

60

A
6377

10-10

10-10

1440

PHILIPPO IV

REX CASTELLE ET LEON

REX ARAGON ET SICILIE

REX NAVARRE ET GASCONE

REX PORTUGAL ET ALGARVE

REX CYPRUS ET JERUSALEM

REX GRECE ET ARMENIE

REX SYRIE ET EGYPTUS

REX LIBIE ET AFRICA

REX INDIE ET ORIENTIS

REX OCCIDENTIS ET SPANIE

REX BRITANNIE ET IRLANDIE

REX SCOTIE ET NORWEGIE

REX SUECIE ET DANIE

REX POLONIE ET LITHUANIE

REX RUSSIE ET BYZANTINE

REX TURCIE ET ARABIE

REX PERSIE ET INDIE

REX SINA ET CEBU

REX MALACCA ET SUMATRA

REX CELEBES ET BATAVIE

REX JAVANE ET SONDANE

REX MALAYE ET BORNEO

REX AUSTRALIE ET ANTARCTICA

REX AMERICA ET CANADA

REX BRASILE ET PORTUGAL

REX SPANIE ET PORTUGAL

REX ALGERIE ET TUNISIE

REX MAROC ET ESPAGNE

REX SYRIE ET PALESTINE

PHILONIS IV-
DAEI, SCRIPTORIS ELO-
quentissimi, ac Philosophi summi, lucu-
brationes quotquot haberi potuerunt, Latine
factae per, Sigismundum Gelenium.

A
6377

His accessit propter argumenti similitudinem,
Athenagoras De mortuorum resurrectione, Petro
Nannio interprete: ☉

Aeneas Gazæus De immortalitate animarum, ☉
corporum resurrectione, Ioanne Vuolphio inter-
prete: uterq; integritati restitutus: addito re-
rum memorandarum Indice.

LIBROS
DEL DR.
L. MARCO



u-4689

Τῆς ἐμπληρέας δὲ λαοῦ αἰτία γίνεται.

Cum Priuilegg. Imp. Caroli V. ad quinquennium
☉ Regis Galliarum ad sexennium.



PHILONIS IV-
DAEI, SCRIPTORIS ELO-
quentissimi, ac Philosophi summi, lucu-
brationes quotquot haberi potuerunt, Latine
factæ per Sigismundum Gelenium.

A
6377

His accessit propter argumenti similitudinem,
Athenagoras De mortuorum resurrectione, Petro
Nannio interprete: ☉

Aeneas Gæzus De immortalitate animarum, ☉
corporum resurrectione, Ioanne Vuolphio inter-
prete: uterq; integritati restitutus: addito re-
rum memorandarum Indice.

LIBROS
DEL DR.
MARCO



BIBL
AD
u-615

Τῆς ἐπιμελείας δὲ λα πάντα γίνεται.

Cum Priuilegg. Imp. Caroli V. ad quinquaginta annos
☉ Regis Galliarum ad sexennium



Privilegium Imperatorium supe-
riore editione intima-
tum est.

Piero Le-Grand

Pi

HENRY par la grace de dieu, Roy de France, Aux Preuost de Paris, Bailly de Rouen, Seneschaulx de Lyon, Thoulouse & Poictou, & a tous noz autres Iusticiers & officiers ou leurs lieutenant, salut. Receue auons l'humble supplication de nostre aime, & feal Nicolas l'Euesque le leune, marchand libraire & bourgeois de la uille de Basle, l'un des Cantons, de noz alliez & confederex & bons comperes les Souyffes, contenāt quil' auroit recouuert ung liure non encore ueu Intitule, *Philonis Iudæi, scriptoris eloquentissimi, ac philosophi summi, lucubrationes, quotquot haberi potuerunt, Latine factæ per Sig. Gelenium, coniunctis Athenagora De mortuorum resurrectione, & Aenea Gazæo De immortalitate animarum, & corporum resurrectione, utrisq; suæ integritati restitutis.* Pour lequel liure recouurer & imprimer, il luy a conuenu & conuiendra faire grands frais & despesces, & il n'a doubte que les libraires & imprimeurs ne feroient si tost que ledict exposant aura fait publier ledict liure, Iceluy imprimer, qui seroyt luy oster tout moyen de se pouoir rembourser de ses dictz frais & mises, & de recevoir le fruiet quil' espere de son labeur. A ceste cause il nous a humblemēt requis luy uouloir sur ce pourueoir de nostre remede conuenable. Pourquoy nous ce consideré uoulans fauorablement traicter ledict exposant, en cest endroict, à Icelluy auons permis et octroyé, permettons & octroyons, per ces presentes, uoulons & nous plaist, de noz grace special plaine puissance & auctorité Royal qu'il puisse, & luy loise, imprimer, ou faire

4 2 impri

LIBROS
 DEL DR.
 MARCO

imprimer, & mettre en uente, le liure dessusdict. Sans ce
que pendant & durant le temps & terme de six ans en=
suyuans, à compter du iour & datte que ledict liure se=
ra acheué d'imprimer, nul autre libraire ou imprimeur
de nosdictz Royaulme, pays, terres, & seigneuries de
nostre obeissance, puissent imprimer, ou faire imprime=
mer, ne mettre ne exposer en uente, sans le congé & per=
mission dudit exposant. Et ce sur peine & confiscation
desdictz liures et d'amende arbitraire, à nous à applic=
quer. SI V.O.V.S mandons, & à chascun de uous
se comme à luy appartiendra, que de noz presentz per=
mission, concession, & octroy, & de l'effect & contenu
en icelles: nous faictes, permettes, & souffres ledict ex=
posant iouir & user plainement & paisiblement, sans
en celuy mettre ou donner ne souffrir estre faict, mis, ou
donné aucun empeschement, au cōtraire, le quel si faict,
mis, ou donné luy estoit faictes mettre incontinent, sans
delay à plaine & entiere deliurāce & au premier estat,
& deu. Car tel est nostre plaisir, nonobstant quelz con=
ques lettres à ces contraires. Donné à Paris XVIII.
iour de Feurier, L'an de grace Mil cinqcens cinquante
troys, & de nostre Regne le septiesme.

Par le Roy en son conseil.

Robillart.

GENEROSO ADO-

LESCENTI DOMINO IOAN-

ni à Balma Perano Re. Protono-
tario, Sigismundus Ge-
lenius s.



CIO equidem, adolescens ge-
nerose, ex quo post illos gigan-
teos conatus diuise sunt lingua
μυρόπων αἰθρώπων, eadū cui-
que suam datam gratiam, ut
semper uel barbarum hominem
melius intelligamus, libentiusq;
audiamus propria lingua loquentem quàm per inter-
pretem. Vertit olim Timæum Platonis eloquentis phi-
losophi librum M. Tullius orator eloquentissimus: sed
etiamsi hoc opus extaret, nemo qui Græce scit non mal-
let illum in sua lingua legere. Fuit tamen superiorum se-
culorum, post translatum euersumq; à barbaris impe-
rium, & uastatam literarum altricem Italiam, tanta in-
felicitas, ut ne historiæ quidem Romanæ maneret series,
fœdè interrupta, mutilis & magna sui parte laceris re-
lictis præcipuis eius autoribus. ergo huic & cæteris di-
sciplinis succurrendum erat propter eos qui Latine tan-
tum sciunt, uersis sat multis per nostri seculi eruditos
uoluminibus. mihi sacris profanisq; historijs manus ad-
moliri libuit, quantum potui succisiuis & interdum fur-

E P I S T O L A

*tuus horis in hoc meo uitæ genere, quo saxū Sisyphiū,
 uel potius Plautinam molam, iam per decem fr̄e lustra
 uoluo reuoluoq; , lectione tumultuaria uersans Græcos
 Latinosq; codices. Pergemus igitur quando & nos ma-
 num fr̄ulæ subduximus, inuenturi aliquos qui hæc non
 fastidiant, ut sunt uaria mortalium iudicia. quomodo au-
 tem ætatem laturi sint hi nostri partus, uiderit posteri-
 tas: mihi interim patroni eorum quærendi sunt, ne for-
 tē sint tam *μικροβάδιοι*, ut parentem suum relinquant
 superstitem. In eorum numero tu adolescens generose
 iam dudum designatus es animo, ut nihil hætenus præ-
 ter occasionem defuerit. non possum enim non exocu-
 lari tuum elegantissimum ingenium, quod sub idoneo
 formatore domino Gilberto Cognato uiro doctissimo
 gnauiter excolis, nec contentus imitari uiros literatos,
 etiam epistolijs amantissimis ad mutuam inuitas bene-
 uolentiam: quæ omnia mihi optimæ frugis maturè se-
 cuturæ spem faciunt. Debeo igitur & ipse in hoc uir-
 tutis stadio anhelanti aspergere frigidam: & inuenies
 hic exempla egregia hominum, quos Christus ipse iam
 tunc ante carnem assumptam colloquio dignatus est,
 ut Abrahami Iacobi Mosisq; , & cum primis Iosephi in
 omni ætate omniq; fortuna sui similis. quamuis non de-
 sint tibi exempla domestica, quæ solent acriores adde-
 re stimulos: ut qui nobilissima Burgundiæ familia &
 cum alijs æquè nobilibus coniuncta ortus sis. in quibus
 ut proximi sic præcipui sunt, pater Philibertus à Bal-
 ma, Peræ Corgenonisq; in Segusiis dominus, & ma-
 ternus auus illustris baro Digoniæ Ioannes à Damis:
 præte-*

N V N C V P A T O R I A

*præterea duo auunculi, totidem uestræ Burgundiæ si-
dera, Reuerendissimus dominus Gulielmus à Poupet,
abbas Balmæ Balernæ Goillæq; , & frater huius illu-
stris dominus Ioannes à Calce, unus ex intimis aulæ Cæ-
sareæ, tanto monarchæ suo meritò charissimus. Vadit
igitur ad te Philo, ducens secum Mosem illum antiquis-
simum, Ogygio seculo natum, & Cadmo multo supe-
riorem, quandoquidem eius tempore illiteratam Græ-
ciam fuisse testantur Chronographi. afferunt autem hi
uiri diuina placita, & eorum interpretamenta iuxta
priscorum sententiam. non est tamen quòd te maiestas
hæc rerum absterreat, sed alliciat potius, præsertim cum
sacris functionibus destinatus, iam nunc te his parare
debeas, & ut facis, respondere spei conceptæ de tua in-
dole. inuenientur hic multa quæ sacros sensus osten-
dant certius, non tam obscuros aliqua caligine, quàm
præstringentes mentis oculos splendore nimio. lice-
bit etiam hic pleraq; agnoscere, quæ pòst summi theo-
logi transferenda putarunt in suos commentarios. cer-
tè non debet esse ingrata huius lectio, cùm Platonem
non tam prope ad nostros accedentem, & alienio-
rem Aristotelem, Auerroemq; scriptis ac religione bar-
barum, in scholas admittant etiam theologi. haben-
da tantum est ratio temporum, simulq; cogitandum,
hæc fuisse scripta cùm nondum satis uulgata esset lux
Euangelica. habuit & pietas religioq; suam infantiam,
iuuentam, uirilitatem, & uisa est aliquando ad senium
uergere. sed nescit senium res immortalis & Deo cha-
rissima. Qualis autem quantusq; uir fuerit hic Philo,*

EPIST. NVNCVP.

docebunt subiuncta aliquot testimonia. Fuit certè inter suos primarius, Tiberij Alexandri Alabarchæ (sic in Aegypto Iudeorum summum magistratum uocant) frater, cuius qui Romæ inter consulares Vespasiani amicos statuan habuit, sicut Iuuenalis cum Stomacho meminit, eruditione non minus celebris, quàm germanus opibus. unde illud uulgatum, ἢ φίλων πλάττωσις, ἢ πλάτων φιλωνίς. mihi Plato potius φιλωνίς uidetur, id est Mosén æmulari, cuius Philo fuit discipulus. cōstat enim Platonem in Aegypto peregrinatum, ibi audisse non magis Aegyptiorum quàm Iudeorum ἱερογλυμματεῖς. Hæc apud te adolescens generose præfari libuit, quo magis accendaris ad operis uisendi cupiditatem, quod te animi nostri erga te propensissimi admonebit.

Bene uale. Basileæ, Cal. Februarijs,

Anno M D LIIII.

TESTIMONIA SANCTISSIMORVM VI- rorum de Philone Iudæo.

EUSEBIUS HISTORIAE
Ecclesiasticae Libro secundo.

Cuius Caesaris temporibus, Philo magna famæ ce-
lebritate apud plurimos fuit: uir sanè, qui non
nostrorum hominum solum, sed etiam Gentia-
lium, qui humanitatis ac politiioris literaturæ elegantia
excelebant, facillè principem locum obtinuit. Genus au-
tem antiquitus ex Hebræorum stirpe duxit: atq; illis ui-
ris, qui Alexandria in summis honorum gradibus loca-
ti, magnum splendorem acquisiuisent, nulla ex parte
inferior putabatur. In diuinas præterea & patrias di-
sciplinas quantum & quàm magnum laborem contule-
rit, inter omnes liquido constat. Quinetiam in studijs
philosophiæ, liberaliumq; artium cognitione qualis &
quàm excellens fuerit, non necesse habeo dicere: præser-
tim cum Platonica & Pythagorica disciplinæ formam
ardentiore studio imitatus, omnibus suæ memoriæ &
ætatis uiris antecelluisse prædicetur.

Acrursus de eo sic loquitur. Philo quidem uer-
bis copiosus, sententijs locuples, in diuinis scripturis
explicandis altus, & in sublime se tollens, uariam ac

multiplicem sacri eloquij interpretationem pertexuit.
Et paulò pòst, Istum, Caio regnante, Romam profectum
esse, & librum de Caij impietate ac scelere à se compo-
situm (quem faceret admodum & dissimulanter, De uir-
tutibus, inscripsit) postea, Claudio imperium gerente,
coram uniuerso senatu recitasse memoriæ proditum est.
Quapropter non illud opus solum, uerum etiam alia ab
eo edita tantopere admirabantur Romani, ut digna exi-
stimarent, quæ in ipsorum bibliotheca, tanquam monu-
menta quædam reponerentur.

AUGUSTINVS CONTRA
Faustum Manichæum, libro
XII. cap. II.

Vidit hoc, inquit, Philo quidam, uir liberaliter ex-
ruditiſſimus, unus eorum, cuius eloquium Græ-
ci Platoni æquare non dubitant.

HIERONYMVS IN CA-
talogo Scriptorum Eccle-
siaſticorum.

PHilo Iudæus, natione Alexandrinus, de genere sa-
cerdotum: idcirco à nobis inter scriptores eccle-
siaſticos ponitur, quia librum de prima Marci
Euangelistæ apud Alexandriam scribens ecclesia, in no-
strorum laude uersatus est: non solū eos ibi, sed in mul-
tis

eis quoq; prouincijs esse memorans , & habitacula eorū
 rum dicens monasteria. Ex quo apparet , talem primā
 Christo credentium fuisse ecclesiam, quales nunc mona-
 chi esse nituntur & cupiunt , ut nihil cuiusquam pro-
 prium sit, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidun-
 tur, orationi uacatur & psalmis, doctrinæ quoq; & cō-
 tinentiæ: quales & Lucas refert primum Hierosolymæ
 fuisse credentes . Aiunt hunc sub Caio Caligula Romæ
 periclitatum, quò legatus gentis suæ missus fuerat. Cum
 secunda uice uenisset ad Claudium , in eadem urbe locu-
 tum esse cum apostolo Petro, eiusq; habuisse amicitias,
 & ob hanc causam etiam ecclesiam Marci, discipuli Pe-
 tri, apud Alexandria sectatores ornasse laudibus. Extāt
 huius præclara & innumerabilia opera . In quinq; li-
 bros Moysi: De confusione linguarū liber unus: De na-
 tura & inuentione liber unus: De his quæ sensu præca-
 mur & testamur liber unus: De eruditione liber unus:
 De hærede diuinarum rerum liber unus . De diuisione
 æqualium & contrariorum liber unus : De tribus uir-
 tutibus liber unus: Quare quorundam in scripturis mu-
 tata sint nomina liber unus: De pactis libri duo : De ui-
 ta sapientis liber unus: De gigantibus liber unus: Quòd
 somnia mittantur à Deo libri quinque: Quæstionum
 & solutionum in Exodo libri quinq; : De tabernacu-
 lo & decalogo libri quatuor: Necnō de uictimis & re-
 promissionibus , siue maledictis : De prouidentia : De
 Iudeis : De conuersatione uitæ : De Alexandro, dicen-
 te quod propriam rationem muta animalia habeant,
 & quòd omnis insipiens seruus sit : Et de uita nostro-
 rum

rum librum, de quo supra diximus, id est, de apostolicis uiris, quæ & inscripsit *περὶ βίᾳ θεωρητικῇ* *ἱερωῶν*, quòd uidelicet cœlestia contemplantur, & semper deũ orent. & sub alijs indicibus: De agricultura duo: De ebrietate duo. Sunt & alia eius monumẽta ingenij, quæ in nostras manus non peruenerũt. De hoc uulgo apud Græcos dicitur, ἢ *πλάτων φιλονίζει*, ἢ *φίλων πλάτωνίζει*. id est, aut Plato Philonem sequitur, aut Platonem Philo: tanta est similitudo sensuum & eloquij.

RAPHAEL VOLATERRA-
nus Anthropologiæ Libro decimo=
oẽtauo, ex Suida.

PHilo Iudæus, Alexandriae natus, disciplinisq; omnibus eruditus, in nostra & Græcorum philosophia facile cæteros antecellit, eloquentiæ Platonis adeo æmulator, ut prouerbium fuerit, ἢ *πλάτων φιλονίζει*, ἢ *φίλων πλάτωνίζει*. id est, aut Plato Platonizat, aut Philo Platonizat. In diuinis autem legibus & patrijs institutis quantus fuerit, ex his quæ nobis librorum suorum tradidit monumentis palam est. Igitur temporibus Caij principis quanta acciderint Iudæis mala, uoluminibus absoluit: in quibus & suam legationẽ pro Iudæis apud ipsum Imperatorem refert: unde suggillatus nec sine periculo domum redijt. Sed & Iosephus huius legationis meminit lib. 18. his uerbis, Et quidem cum seditio apud Alexandriam fuisset inter Iudæos & Græcos, terni ab utrisque legati partibus mittuntur ad Caium,

Caium, in quibus pro parte Græcorum erat quidā Ap-
pion grammaticus, qui cum in cæteris insimularet eos,
tum quòd honores diuinos (ut mos est apud alios) Cæsa-
ri non deferrent: quapropter iratum reddidit Caium.
Philo, qui legationi præerat Iudæorum, uir in omnibus
magnificus, philosophiæ non ignarus, uehementissime
omnia confutauit. tandem absterritus ac repulsus, Bo-
no nos, inquit, animo esse oportet, quibus est Caius infe-
stus. Neceffe namq; diuinum adesse, ubi humanum ces-
set auxilium. Hæc quidem ille. Sed Philo in ipso libro,
quem de sua legatione scripsit, omnia exequitur. Iterū
ergo reuertens legatus ad Claudium in Vrbe, cum apo-
stolo Petro tunc primum congressus est, uenitq; in eius
& Marci discipuli amicitiam, ob quam causam postea
Alexandrinam ecclesiam, cui Marcus præfuit, & Chri-
stianos ea tempestate laudibus prosequitur, ut Hiero-
nymus testatur. Volumen eius ingens plures continens
libros ad nos peruenit, conuersum Sixti III Pontificis
tempore, à Lilio Tiphernate meo præcepto-
re, bibliothecæq; Vaticanæ
dicatum.

CATALOGVS ET ORDO

Librorum in primo Philonis Iudæi

Tomo contentorum.

- 1 De mundi opificio.
- 2 Legis Allegoriarum liber I.
- 3 Legis Allegoriarum lib. II.
- 4 De Cherubim.
- 5 De sacrificijs Abelis & Caini.
- 6 Quòd deterius potiori insidiari soleat.
- 7 De Agricultura.
- 8 De plantatione Noe.
- 9 De Temulentia.
- 10 De his uerbis, respicit Noe
- 11 De Gigantibus.
- 12 Quòd Deus sit immutabilis.
- 13 De confusione linguarum.
- 14 De Abrahamo.
- 15 De migratione Abrahami.
- 16 De congressu querendæ eruditionis
gratia.
- 17 De Profugis.
- 18 Quis rerum diuinarum hæres sit.
- 19 De Ioseph.

6^e de fabula folio 326

Ricmo de-Grand





PHILONIS

IUDAEI, DE EA

QVAM MOSES DESCRI-

bit Mundi creatione Liber,

Sigismundo Gelenio interprete.



AEteri legislatores partim
nullo ornatu adhibito nu-
dum ius præscripserūt: par-
tim ad exaggerādam apud
uulgus rem, fabulosis fig-
mentis ueritatem prætexe-
runt. Moses uerò utraq; ra-
tione posſhabita; altera ut

rudi ac ignauā parumq; decora philosopho: altera ut
mendace plenaq; præstigijs, perpulchrum ac honestissi-
mum legum suarum fecit initium: neq; statim quæ facien-
da, quæue non, admonens: neq; quoniam formāda prius
erant mentes accepturorum has leges, affingens fabu-
las, aut aliorum figmenta recipiens: sed admirandum (ut
dicere cœpi) est hoc principium creationē mundi com-
plexum: utpote cum & mundus legi & lex mundo con-
ueniat, & homo legi obnoxius mox ciuis mundi eua-
dat, dirigens sua facta ad arbitrium naturæ gubernantis
hanc rerum uniuersitatem, eam sublimitatem sensuum

Philo.to. I.

b

quibus

quibus mundi creatio traditur, nullus poeta, nullus scriptor laudare queat pro dignitate. superat enim omnem dicendi audiēdiue facultatem, utpote sublimiores quā ut mortali quopiam uase possint conuenienter percipi. non tamen ideo cessandum est, sed studio pietatis uel ultra uires audendum: non ut priuatim afferamus aliquid proprium, sed è multis pauca quædam, ad quæ humanam mentem penetrare fas est, deductam amore ac desiderio sapientiæ. quemadmodum enim colossorum similitudines uel in exiguo exprimuntur anulo: ita fortassis etiam scripturæ creationem mundi prodentis pulchritudo eximia splendore quodam percellens lectorum animos, mediocri stylo enarrabitur: si prius admoncantur, quod admoneri operæ precii fuerit. quidam enim mundum magis admirati quā eius conditorem, hunc quidem non factū æternūq; asseuerant: deum uerò in alto ocio degere mentiuntur impij: cum debuissent contra, huius ut conditoris ac parentis admirari potentiam, illum non supra modum uenerari. at Moses tum philosophiæ fastigium assecutus, tum oraculo de præcipuis naturæ arcanis edoctus, animaduertit duo esse in rebus necessaria: alterum causam agentem, alterum quod ab agente afficitur. præterea agens illud esse huius uniuersæ mentem syncerissimam ingentissimāq; præstantiorem quā sit uirtus aut scientia, imò quā ipsum summum bonum & ipsum summū pulchrum. alterum autem illud passioni obnoxium, inanime & suapte natura immobilitate, motum, formatum animatumq; à mente illa, reditum esse opus absolutissimum. cæterum qui mundum
factum

factum negant, non animaduertunt se tollere quod est inuita utilissimū, & ad pietatem summè necessarium, nempe providentiam. nam opificium non negligi ab opifice suo parenteq; docet ratio. etenim pater hoc agit ut permaneat sua progenies, cōditor item diuturnitati à se conditorum consulit, arcens quicquid noxam damnūque illaturum uidetur, contra quicquid utile commodumq;, modis omnibus prospiciens. at quod factū non est, nihil commercij habet cum eo qui se non fecit. est autem absurda opinio atq; inutilis, mundum tanquam rempub. sine magistratu inducere, cui non præfectus, non præses, non iudex præsit, quem omnia dispensare gubernareq; deceat. at magnus ille Moses longissimo interuallo distare existimans rem uisibilem ab infecta: quandoquidem quicquid sensui subiectum est, generationi mutationiq; obnoxium nunquam eodem statu manet: inuisibili & mente sola prehensibili naturæ æternitatem tāquam germanam cognatamq; attribuit: de sensibili uerò generationem tanquam propriū uocabulum prædicat. quoniam igitur uisibilis sensibilisq; hic mundus est, factum esse consequitur necessario. quapropter non alienū fuit ab autoris proposito, generationem eius scripto prodere, idq; admodum grauiter ac theologice. sex autem diebus fabricatum ait mundum, non quòd temporis spacio opus habuerit conditor: deum enim non iussu solum, uerum & cogitatu operari creditur: sed quoniam opus erat res creari quodam ordine, ordini autē numerus est proprius, inter numeros uerò lege naturæ aptissimus generationi est senarius. nam post unitatem primus occur-

rit perfectus parilibus constans partibus è quibus conficitur: è ternione scilicet sui dimidio, è binario parte tertia, & ex unione parte sexta: qui (ut ita loquar) mascula simul ac foeminea natura præditus est, & compositus ex utriusq; uiribus. masculus enim in rebus censetur impar numerus, sicut par foemina. imparium aut è principium ternio, parium binarius. ex amborum uero uiribus constat senio. oportet enim mundum cum sit creaturarum omnium absolutissimus, iuxta perfectum numerum compingi, nempe senarium: & quia in seipso complexurus erat generationes è binaria copula, formari ad numerum mixtum, eum qui primus pariter impar est, ut in se contineret tum profeminantis masculi, tum foeminae genituram suscepturæ speciem. singulis autem diebus attribuit aliquam uniuersi portionem, excepto primo die, quem ne nominat quidem primum, ne connumeretur cæteris: sed unum nominans, apto utitur uocabulo, considerata unionis natura, appellationeq; eius hic conuenientissima. Differemus igitur quæ his uerbis continentur quantum fieri potest, quando impossibile est dici omnia. inest enim hic eximius ille mundus intellectu solo conspicuus, sicut procedente sermone patebit in enarratione huius diei. Deus enim ubi pro sua deitate præuidit, in itamentum pulchrum non posse absq; exemplari pulchro existere, nec sensibile quicquam citra exceptionem probari posse, quod non archetypo intelligibilis ideæ respondeat, postquã decreuit uisibilem hunc ceterum mundum cõdere, prius formauit simulacrum eius intelligibile, ut ad exemplar incorporei deoq; simillimi,

corpo-

corporeum absolueret mundum recentiorē hunc; antiquioris effigiem, totidem complexurum sensibilia genera, quot in illō intelligibilia. mūdum autem illum qui ex ideis constat, nefas est loco ullo dicendo cogitandoue circumscribere: sciemus tamē quo pacto consistat, si considerauerimus aliquam rerū nostratium similitudinem. quoties condenda est urbs cura regis alicuius aut imperatoris pro fortuna magnifici, pręsto est quispiam peritus architectonica, qui contemplatus loci opportunitatem, primum intra seipsum partes futurę urbis prope modum omnes deliniat, templā, gymnasia, curias, fora, portus, naualia, uias angiportusq; , mœniorum situm, et ædificiorum tam priuatorum quam publicorum. dein de impressis uelut in ceram in suum animū singularum rerum imaginibus, effingit urbem intelligibilem: cuius effigiem innata retractans memoria, atq; ita impressis sibi magis etiam simulacris, ut bonus artifex, ad semel propositū exemplar respiciens, aggreditur designatam suam structuram ē saxis & materie, repręsentans incorporeas illas ideas singulis operis partibus. eodem fermē modo de deo sentiendum est, qui ubi decreuit ingentem banc urbem condere, prius formas eius concepit: ex quibus postquam intelligibilem mundum constituit, ad illius exemplar sensibilem hunc condidit. Quemadmodum igitur illa in architecto pręsignata urbs locum extra nullum habuit, tantum impressa artificis animo: eodem modo ne ille quidem ex ideis constans mundus alibi locum habere poterat, quā in dei uerbo quod adornauit hæc omnia. quis enim alius possit esse locus uirtutum

tum dei, idoneus ad concipiendas non dico omnes ideas, sed uel unam quampiam earum simplicissimam? est autem uirtus etiam mundi effectrix, à uerò bono ceu à fonte oriunda. nam si quis uellet causam huius uniuersalis opificij perscrutari, non aberraret opinor à scopo si diceret, quod quidam priscus sapiens: bonum esse patrem conditoremq;, ideoq; suapte naturæ bonitate non inuidisse substantiæ, nihil boni ex seipsa habenti, quæ tamen quiduis fieri poterat. erat enim ex seipsa expers omnis qualitatis, indigesta, inanimis, plena ruditate, confusione, atq; discordia: sed capax alterationis mutationisq; in contrarium statum optimum, uidelicet ordinem, qualitatem, animationem, similitudinem, identitatem, coaptationem atq; consonantiam, cæteraq; quæ ad potiorē ideam attinent. Tum deus nemine monente (quis enim erat alius?) suoapte consilio decreuit diuitias gratiæ suæ copiose largiterq; profundere in naturam nullius bonæ rei per se capacem sine diuinæ munificentia. attamen non pro magnitudine gratiæ suæ beneficus est, nimirum infinitæ ac incomprehensibilis: sed attemperat se ad uires eorum quos dignatur sua beneficentia. nec enim sicut deus ad benefaciendum natura propensus est, ita creatura ad accipienda beneficia. illius enim potentia longè superat, at huius infirmitas impar est eorum magnitudini, succumberetq; nisi deus pro cuiusq; portione moderaretur suam gratiam. quòd si cui libeat apertioribus uti uocabulis, nil aliud dixerit esse mundum intelligibilem, quàm uerbum dei iam mundum condentis. nec enim intelligibilis urbs est aliud
quid

quid, quàm illa architecti ratio cinatio, cogitantis iam urbem mente conceptam condere. Mosis enim est opinio hæc, non mea. ergo hominis generationem aggressus scribere, procedēte sermone diserte fatetur, formatū eū utiq; ad dei imaginem. quod si pars imago est imaginis, patet quod etiā tota hæc species, uidelicet uniuersus hic mundus, qui magis quàm homo refert diuinam imaginem. liquet autem quod archetypum sigillum, quem dicimus esse mūdum intelligibilem, ipse sit archetypum illud exemplar, idea idearum, uerbum dei. narrat enim quomodo in principio fecit deus cœlum et terram, principium usurpans non ut quidam putant, iuxta significationem temporis. tempus enim ante mundum non erat, sed aut unā factum est, aut post eum. Cum enim tempus sit spaciū motus cœli, fieri non potest, ut motus rem motam præcesserit: sed necesse est hunc aut post, aut simul existere. necessario igitur colligitur, tēpus aut æquæuum esse mundo, aut recentius. affirmare aut illud esse antiquius, re uera alienum est à philosophia. quod si principium non accipitur nunc iuxta significatū temporis, conueniens fuerit id significari iuxta numerum, ut hæc uoces, IN PRINCIPIO FECIT, idem ualeāt quod PRIMVM fecit cœlum. Est enim reuera consentaneū rationi, primū in generatione illud prouenisse, cū sit præstantissimū ex his quæ facta sunt, & è purissima constet essentia: quamobrē decorū tam non apparētium, quàm sensui patentium, destinatū est domicilium sacratissimum. Nam si omnia simul & semel fecisset condita, minus ordinis fuisset in rebus tam pulchre conditis.

nec enim est quicquam pulchri in confuso ordine. Ordo uerò est consequentia seriesq; rerum præcedentium & sequentium, si non ipso opere, certe consilijs opificum, si modo caueatur ut ea certa inconfusaq; sint. itaq; ante omnia conditor fecit in mundo intelligibili cælum incorporeum & terram inuisibilem, & aeris ideam & uacui. hunc uocauit tenebras, utpote atrum naturaliter. uacuum uerò abyssum. profundissimum enim est, & dehi-
scit patētissime. deinceps fecit aquæ incorpoream essen-
tiam, itemq; spiritus, deniq; postremam lucis septimam
æque incorpoream, & exemplar solis intelligibile, om-
niumq; stellarum quæ cælo lucem erant illaturæ, digna-
tus priuilegio lucem & spiritum. Hunc enim nominauit
dei, quia spiritus plurimum ad uitam conferat, quæ ab
autore deo proficiscitur. lucē uerò appellauit ualde bo-
nam: hæc enim intelligibilis uisibili tanto est lucidior ac
splendidior, ut existimo, quanto sol antecellit tenebras,
dies noctē, quantoq; mens totius animi imperatrix sen-
sus quibus res discernimus, & oculi reliquas partes cor-
poris. cæterum inuisibile illud & intelligibile diuinum
uerbum & dei uerbum, imaginē dicit dei: & huius ima-
ginem lucem illam intelligibilem, quæ facta est imago di-
uini uerbi, suæ generationis interpretis: quæ est super-
cælestis stella, fons stellarum sensibilibus: quam non teme-
re appellare possemus uniuersalem lucem, à quo sol, la-
na, cæteræq; stellæ tam fixæ quàm erraticæ hauriunt sin-
gule pro uiribus conuenientes sibi splendores synceræ
illius & puræ lucis, quæ obscuratur quàm primum uer-
git ab intelligibili ad sensibilem. Syncerum enim nihil
sensit

sensu percipitur. Recte autem se habet illud quoq; dictum, quod Tenebræ erant super abyssum.) Aer enim quodammodo existit supra uacuum, quandoquidem omnem illam immensam regionem uacua desertamq; expleuit, quæ ad nos usq; à lunari orbe pertinet. ceterum postquam effulsit lux illa intelligibilis sole antiquior, cesserunt aduersæ tenebræ, discescente deo dirimenteq;, cui perspicuæ sunt contrarietates rerum, & nativæ quædam certamina. ne igitur perpetuis laborarent seditionibus, nèc bellū pulsa pace prævaleret confuso in mundo ordine, non solum separavit lucem à tenebris, uerum & terminos in medijs spacijs posuit, quibus utrunq; arceatur ab extremitatibus alterius. Alioqui propter uicinitatem inductura erant confusionem contentionibus de principatu mutuis, pertinaci ambitione luctam appetentia, nisi præfixi in medio termini ad pugnam gestientia dirimerent. hi sunt uesper & mane, quorum alterum prænunciat lætum aduentum solis orituri, sensim tenebras submouens. uesper autem occidentem solem subsequitur, ingruentes tenebras leniter excipiens. atq; hæc ipsa, mane inquam & uesper, in ordine incorporearum intelligibiliumq; rerum ponenda sunt. nam nihil omnino sensibile est in his, sed omnia idæ mensuræq; ac loci & sigilla incorporea, ad generationem aliarum rerum corporearum. Facta autem luce & succedente tenebris, fixisq; in medio terminis uespera ac mane, necessariò temporis mensura mox effecta est, quem diem nominauit opifex, eumq; non primum, sed unum: qui sic dicitur propter singularitatem intelligibilis mūdi habentis naturam

turam unitatis. Iamq; perfectus erat mundus ille incorporeus, situs in diuino uerbo, cum sensibilis hic ad exemplar alterius absoluebatur: & ante alias eius partes potissimam omnium faciebat cōditor, cælum uidelicet, quod aptè firmamentum appellauit, ut rem corpoream. corpus enim naturaliter firmum est solidumq; tres dimensiones habens. solidi autem & corporis quæ potest esse alia cogitatio, quam quaquaversum dimensio? Merito igitur supposito pro incorporeo sensibili hoc corporeoq; firmamentū id uocauit: quod mox ὁρατὸν, id est, cælū apte ualdeq; propriè appellauit: siue quia omnium ὄρος, id est terminus, siue quia primum ὁρατῶν, id est uisibilem factum sit. post cuius generationem nominat diem secundum, integrum diei spaciū mensuramq; ad cælū referens, ob cuius inter sensibilia dignitatē honorēq;. Post hæc quoniam uniuersa aqua in terrā totā diffusa erat, omnesq; eius partes penetrauerat, quemadmodum spongia humorem combibit, ut ceu palus quædam cœnosa ex utroq; elemento macerato confunderetur, & quodammodo fermentaretur in unam indiscretam informemq; naturam: iubet deus quicquid aquarum falsum erat ac proinde offecturum fertilitati satorum & arborum, collectum in unum confluere ex omnibus terræ foraminibus: tum aridam emergere, dulci humore in ea relicto ad eius perpetuitatem. humor enim hic moderatus pro glutine est iungendis partibus distantibus. quo fit etiam, ne omnino exsiccata terra infrugifera & sterilis reddatur: utq; tanquam mater, non solum alterum alimenti genus, cibum, sed utrunq; ceu natis suis

suis cibum ac potum præbeat. quapropter uenis mǎmarum similibus exūdauit, quæ per cauernas editæ fluuios fontesq; profilerēt, nihilo secius tamē latentes quoq; humores indidit omnibus aruis & latifundijs, ad fertilitatem fructuum copiosissimā: his ita dispositis autor nomina imposuit, aridæ terram, aquæ uero inde secretæ mare, atq; ita ornare terram aggressus, iubet eam proferre herbas & spicas, omnigenaq; olera producere, tū prata scæno uirentia, & quicquid cessurum erat pecuarijs in pabulum, aut in cibum hominibus. Eodem iussu & arborum species omnes sunt editæ, nulla omissa uel mitium uel syluestrium, eaq; omnia fructibus suis abundabant in ipso statim ortu, secus quàm hodie. Nūc enim singula gignuntur suis uicibus, non simul omnia. Quis enim nescit primam esse sementem & plantationē, tum sequi incrementa satorum plantarumq; deorsum radices ceu fundamenta demittentium, sursum item altas stirpes attollentium? Deinde frondes foliaq; germinant, postremo fructus profertur, ac ne is quidem perfectus, sed uarias subinde facies recipiens, & nunc formā mutans, nunc magnitudinem. Nam primo tam minutus est, ut pene uisum fugiat, similis atomis corpusculis, quæ non temere uocari possunt prima sensibilia. Post hæc paulatim accedente alimento quod rigat arborem, & afflatus temperatis ac tepidis aurisq; mollibus nutricantibus augefcit & ad iustam magnitudinem peruenit, cum qua etiam qualitates uariat, ceu picturæ artificio iam his iam illis tinctus coloribus. At in prima huius uniuersitatis generatione (ut dixi) deus omnem stirpium syluā

è ter=

ē terra produxit perfectam, fructibus non inchoatis, sed
 maturis refertam, sine dilatione inuitantem ad fructum
 affutura mox animalia. Terra uero ad illius iussu tan-
 quam dudum pręgnans & parturiens, parit omnes sa-
 torum, arborum atq; fructuum inenarrabiles species, qui
 quidem fructus non solum in alimoniam facti sunt ani-
 mantibus, uerum etiam in hoc preparati, ut in perpe-
 tuum propagaretur similitudo generatio, quippe qui cō-
 tinebant uim seminariam, obscuris & incertis rationi-
 bus insitam, quę se tandem proferret statis temporum
 circuitibus. Voluit enim Deus naturam certis horarum
 spatijs decurrere, consulēs immortalitati specierum, &
 reddens eas æternitatis participes. Quapropter inchoa-
 ta perduxit ad finem properē, rursumq; à fine reflexit
 ad initium. ē plantis enim fit fructus tanquam ē princi-
 pio finis: & ē fructu semen, intra se denuo plantam con-
 tinens, tanquam ē fine principium. Quarto autē die cæ-
 lum picturis exornauit, non quod terrę id posthaberet,
 dans inferiori naturę priuilegium, potiolem uero ac di-
 uiniorem secundo loco ponens, sed ut euidentissimē im-
 perij sui potentiam ostenderet. Quippe qui pręuidens
 opiniones nondum creatorum hominum, cōiecturas ue-
 risimiles & credibiles libenter sequentium, quę multā
 quidem rationis speciem habent, non itēm synceram ue-
 ritatem: et quod suis oculis magis credituri essent quā
 deo, admiratores sophisticę potius q̃ sapientię: quodq;
 solis ac lunę cursibus, tum æstiuis, hybernis, uernis au-
 tumnalibusq; mutationibus, annuorum terrę proren-
 tuum omniumq; nascentium causas acceptū laturi essent
 syde-

fyderum caelestium ambitibus: ne cui creatura affcribere primas causas auderent, siue per impudentiã siue per ignorantiam nimiam: recurrant, inquit, mētibus ad primam huius uniuersitatis generationem, meminere inq; ante solem & lunam omnigenas stirpes, omnigenosq; fructus è terra proditos. Atq; ita sibi persuadeant, & in posterum eam prolaturam eos ex caelestis patris arbitratu, quoties ei placuerit nō expectato celi fauore, cui dedit quidem potētiam, sed non liberam. Nam ipse, quē admodum auriga habenas, aut gubernator clauum tenens, dirigit quā uult recto more ac lege singula, nullius ope indigēs. omnia enim deo possibilia. Atq; hæc est causa cur terra prior germinarit, & herbam protulerit: cælum uero post sit ornatum in numero perfecto quaternario, quem denarij omnium absolutissimi causam fontemq; non falso dicere licet. Quod enim actu est denarius, hoc quaternarius potētia esse uidetur. Si igitur ab unitate usq; quaternionem deinceps componantur numeri, denarium conficient: qui est immensitatis numerorum terminus, ad quem ceu metam circumaguntur & se reflectunt. Quin & musicas symphoniarum rationes idem quaternio continet, uidelicet diateffaron, diapente, diapasōn, disdiapasōn, è quibus concentus fit absolutissimus. Nam diateffaron proportionem habet supertertiam, diapente sesquialteram, diapasōn duplam. Eas proportionem omnes quaternio in se continet. supertertiam in quatuor ad tria. sesquialteram in tria ad duo, duplam in duo ad unum, aut quatuor ad duo. Quadruplā uero in quatuor ad unum. est & alia his quaternarij, di

Am

Etu cogitatuq; miranda. Primus enim hic solidi naturã
 ostendit, cum præcedentes numeri incorporeis rebus di-
 cati sint. Nam in unitate censetur punctum quod uocãt
 geometræ, in binario linea. Ea est longitudo sine latitu-
 dine. quæ ubi accessit, fit superficies, ad ternarium perti-
 nens. Hæc quo minus sit corpus natura solidum, una de-
 stituitur altitudine: qua iuncta ad ternarium, fit quater-
 narius. Vnde multum existimationis contigit huic nu-
 mero qui ab incorporea intelligibiliq; essentia duxit
 nos ad considerationem corporis trifariam patentis,
 quod suapte natura primum sensu percipitur. Id qui pa-
 rum intelligit, è lusu quodã uulgato cognoscet. Qui nu-
 cibus ludunt, solent positos prius in plano tribus, quar-
 tam superimponere, in formam pyramidis. Triangulus
 igitur ille in plano consistit intra ternarium: cui super-
 imposita quaternarium in numero facit, in figura uerò
 pyramidem, solidũ iam corpus. Præterea nec illud igno-
 randum, quod primus numerorum quatuor, quadrangulus
 est pariter par, mensura æquabilitatis ac iustitiæ:
 quodq; solus ex eisdem & compositione & innata po-
 tentia consistit. Cõpositione ex duobus & duobus. Rur-
 sum potentia ex bis duo, pulcherrimam quandam con-
 sonantiæ speciẽ præ se ferens, quæ nulli inest ex alijs nu-
 meris. Mox enim senarius compositus è duobus ternarijs,
 non amplius gignitur his per se multiplicatis, sed
 alius, nẽpe nouenarius. Alijs quoq; multis uiribus præ-
 ditus est quaternio, quæ accuratius & copiosius in pro-
 prio tractatu indicandæ sunt. Nunc illud addidisse sat
 erit, eum totius cæli mundiq; generationi dedisse initium.

Nam

Nam quatuor elementa ex quibus uniuerſum hoc conditum eſt, tanquam à fonte manauerunt à numero quaternario: atq; adeo hæc quatuor, quibus annus diſtinguitur, tempora, unde animantes plantæq; proueniunt, ſcilicet hyems, uer, æſtas & autumnus. Cum igitur tot priuilegijs à natura honoratus ſit modo dictus numerus, neceſſario conditor rerum ornabat cælum, quarto die, adhibitis ornamentis pulcherrimis ac diuiniſſimis, hoc eſt ſtellis luciferis: & gnarus lucem eſſe omnium rerum præſtantiſſimam, fecit eam inſtrumētum uisus, ſenſuum excellentiſſimi. Quod enim mens in animo eſt, id oculus in corpore. Videt enim uterq;: altera intelligibiles res, alter ſenſibiles. Uſus autem mentis in ſcientia ad noſcenda incorporea, cæterum oculi in luce ad contemplationem corporum. quæ res & ad alia multa bona prodeſt hominibus, & in primis ad id quod maximum eſt, ſcilicet philoſophiam. uisus enim à luce ſubductus in ſuperna, conſideratq; natura ſtellarum & motu earum tam concinno, tum fixarum ac erraticarum ſtatis circuitibus, dum illæ eodem ſemper modo circumferuntur, hæ uero diſſimiliter & in contrarium duplici curſu utuntur, ad hæc chorea uniuerſarum modulata, & ad muſicæ leges pulchre conueniente, ineffabilem delectationē uoluptatēq; in animo excitat. atq; ita inſcatus alijs atq; alijs ſpectaculis (nam unum ex alio naſcitur) nullam cōtemplandi ſatietatem conſequitur. Poſt hæc, ut fieri ſolet, ulterius procedente curioſitate ſcrutatur quæ nam ſit rerum harum uiſibilium eſſentia: & utrum generatæ ſint, an nullum habuerint principium: quis ue modus ſit
motus

motus earum, quæ ue causæ quibus dispensantur singula
 la. Ex huiusmodi uero disquisitionibus philosophia nata
 est, qua nullum perfectius bonum introiit uitam ho-
 minum. Cæterum opifex respiciens ad intelligibilis lucis
 ideam, de qua dictum est in mentione mundi incorpo-
 rei, condidit has sensibiles stellas, simulachra diuina &
 pulcherrima, quas tanquam in templo inter corporeas
 essentias pulcherrimo collocauit in cælo multis de cau-
 sis. Primum lucis inferendæ, deinde signorum, tum tem-
 porum quibus annus distinguitur, postremo dierum,
 mensium, annorum, quæ sunt mensuræ temporis, ex qui-
 bus nata est natura numeri: quem autem singula hæc
 usum, quam uel utilitatem præbeant, liquet ex eorum ef-
 fectibus. Sed quo diligentius animaduertantur, non alie-
 num fortasse fuerit etiam differendo ueritatem uestiga-
 re. Cum uniuersum tempus distributum sit in duas par-
 tes, diem & noctem, diei præfecit pater ille solem tan-
 quam magnum regem: nocti uero lunam cum cæterarum
 stellarum multitudine. magnitudini autem uirtutis ac
 potestatis solaris præclare attestantur quæ modo dicta
 sunt. Vnus enim cum sit & solus, priuatim & peculiari-
 ter dimidium totius temporis sortitus est, scilicet diem:
 reliquæ uero omnes stellæ una cum luna alterum dimi-
 dium, quod uocatum est nox. & illo exorto tot stellæ
 quæ apparebant, non obscurantur solinn, sed euanescent
 etiam præ splendore diffuso. post occasum uero eius, uno
 momento incipiunt ostentare suas species. Factæ sunt
 autem, ut ipse ait, non solum ad lucem emittendâ in ter-
 ras, sed etiam ut futura præsignificent. aut enim exortus
 carum

earum & occasu deliquio ue, aut emersione occultatione ue, aut alijs motuum differentijs, homines de futuris conijciunt, & præfagiunt copiam inopiam ue fructuum, prouentum uel pestem animantium, serenum & nubilum, tranquillitatem aeris & procellas uentorum, inundationes & exilitates fluminum, mollicie maris & tempestatem, horarum anni uices præposterarum, dum aut æstas hybernatur, aut hyems æstuat, aut uer autumnum refert, aut contra autumnus uernam temperiem. Nec defuerunt qui concussione terræ motumq; ex cæli obseruatione prædicerent, aliq; multa euentu certissimo: ita ut uerissime dictum sit, in signa esse factas stellis, atque etiam in tempora. tempora porro de quatuor annuis uicibus horarum intelligenda sunt. Et quidni? tempus enim quod aliud esse potest, quam tempus rei bene gerendæ? at horæ anni omnia perficiunt & ad bonum euentum perducunt, sationes, plantationes, genituras & incrementa animalium. Factæ sunt etiam stellæ ad mensuras temporum. nam solis lunæq; & aliorum siderum recursus, dies & menses annosq; conficiunt. moxq; res utilissima, numeri natura extitit, tempore illam proferente. Ex una enim die fit unum, è duabus duo, è tribus tria: è mense triginta, ex anno tantus numerus, quantum dierum continetur duodecim mensibus: & ex infinito tempore infinitus numerus. Tantas & tam necessarias utilitates afferunt naturæ motusq; stellarum cælestium: ne quid dicā de rebus nobis incognitis (nec enim mortalibus nota sunt omnia) attamen ad perpetuitatem mundi conferentibus; quas legibus à deo præfinitis haudquaquā uiolabilibus

oportet semper & ubiq; administrari. Postquam autem terra & cælum suis ornamentis exculta sunt, altera tertio die, alterum (ut dictum est) quarto, mortalia genera animalium fingere aggressus est rerum opifex, exorsus ab aquatilibus die quinto, existimans nullam esse inter duo quæpiam tantam cognationem, quantam inter animalia & quinarium. Differunt enim animata ab inanimis non alia re magis quam sensu. is uero in quinque diuiditur, in uisum, auditum, gustum, odoratum & tactum: quorû singulis deus attribuit certas materias, & instrumenta propria ad subiecta iudicanda: colores uisui, uoces auditui, sapores gustui, uapores odoratui, tactui uero mollicies & duricies, tum quicquid calidû est & frigidum, leue & asperum. iussit igitur omnifaria piscium genera cetorumq; suis locis existere, tum quâtitate tum qualitate inter se differentia. Sûnt enim in alio mari alia, interdum etiam eadem. Nec tamen ubiq; omnia fingebatur, & fortasse merito. quædam enim amant palustre ac uadosum mare, quædam cloacas & portus, quæ nec in terram prorepere, nec longe à terra natare ualent. quædam in alto mari degentia, uitant promōtoria in id procurrentia & insulas & scopulos. & alia serenitate tranquillitateq; delectantur, alia fluctibus & tempestate. Nam continuis iactationibus exercita, & ui contra impetum reluctantia, firmiora euadunt, pinguescuntq; amplius. mox autem etiam genera uolucrum creauit, tanquam germana aquatiliû. Vtraq; enim natatilia: nec u'la species per aerem meantium, ut imperfecta ommissa est. lamq; aqua & aere conuenientium sibi animantium

ceu sortem adeptis, rursum prouocatur terra ad generationis partem reliquam. reliqua autem erant post stirpes animalia terrestria, & dixit: Producat terra pecudes & feras & reptilia in suo quæq; genere. Illa uero continuo emisit quæcunq; iussa est, eaq; ornata eximie, tum robore, tum innatis nocēdi iuuandi ue uiribus. Vltimus autem omnium homo creatus est. modum uero creationis eius paulo post dicam, ubi prius ostendero pulcherrimam consequentiam in creationis animalium ordine. anima enim inertissima & rudissima generi pisciū obuenit: absolutissima autem & longe optima generi humanum, ceterum inter utraq; media generi terrestriū ac uolucrum. Hæc enim acutiores sensus habet quàm illa piscibus indita, hebetiores tamen quàm humana. ideoq; primi creati sunt pisces, corporeæ plus quàm animalis essentiæ participes, quodam modo animalia & nō animalia, mobilia inanima, ad solam corporis conseruationem ui animali eis addita, sicut uulgo salem inspergunt carnibus, ne facile putrefiāt. post pisces uerò secuta sunt uolucra & terrestria, uidelicet acrioribus iam sensibus prædita, & animales proprietates habitu ipso præseferentia. postremus (ut dixi) homo creatus est. cui cōditor mentem eximiam donauit, quæ sit ceu animæ anima, quemadmodum pupilla in oculo. nam hanc quoq; scrutatores naturæ dicunt esse oculi oculum. tum igitur omnia simul sunt condita. in quo quidem uniuersali opificio necesse erat seruari ordinem, propter futuram generationem aliarum rerum ex alijs. in his autē quæ successiue generantur, ordo hic est, ut natura incipiens à ui

lissimis, desinat in præstantissima omnium. id uerò quid sit, dicendum apertius. semen genitale est principium animalium. hoc esse uilissimum uidemus, spuma simile. ceterum ubi in uulvam iniectum hæserit, motus mox particeps, in uesticam quãdam mutatur. ea semine est melior. & quoniam motus placidus inest foetibus tanquam artifex, uel ut magis proprie dicam, irreprehensibilis ars, fingit animal ex humida essentia, in corporis membra partesq; eam distribuens: sicut spiritualementiam in uirtutes animæ, nutritiuam & sensitiuam. nam de rationali nunc super sedendum est dicere, propter eos qui alit eam externe aduenire diuinam sempiternamq;. atq; ita generatio quam natura cœpit à uili semine, in res præstantissimas desinit, animal & hominem. idem hoc & in uniuersi huius creatione contigit, quando enim res effingere placuit opifici, in ordine primi fuerunt, qui & uilissimi, pisces: postremi uerò, qui & optimi, homines. reliqua uerò inter extremitates media, potiora prioribus, deteriora posterioribus, terrestria & uolucra. Ceterum post alia omnia (ut dixi) hominem ait iuxta imaginem factum & similitudinem, ualde pulchre. nihil enim è terra genitum deo similius quàm homo, hanc porrò similitudinem nemo æstimet figura corporis, nam neq; deus humana forma est conspicuus, neq; humanum corpus refert dei speciem, sed dicitur imago iuxta mentem reatricem animæ, ad illud enim singulare ceu archetypum, in uno quoq; mens effigiata est, quodammodo deus eius qui ipsam circumfert ut statuam, sicut enim se habet magnus ille imperator ad uniuersum mundum, ita se habere

uide-

uidetur humana mens ad hominem, inuisibilis enim est, uidens ipsa omnes res: & ignotam habet essentiã suam, cū alias intelligat: & instructa artibus, sciētijq; multifarijs, aperit sibi uias omnes terra mariq;, utrunq; elementum perscrutans, moxq; sublimis euolās, & aerem eiusq; mutationes contemplata, profert se ad summum æthera: uagataq; circa stellarum tum fixarum tum erraticarum cursus ac choreas iuxta musicæ præcepta absolutissimas, trahitur amore sapientiæ se deducētis: atq; ita emergens supra omnem sensibilem essentiã, demum intelligibilis desiderio corripitur, illic cōspicata exemplaria ideasq; rerum quas hic uidit sensibilem, eximias illas pulchritudines, ebrietate quadam sobria capta, tanquā corybantes lymphatur, alio plena amore longe meliore, à quo ad summum fastigium adducta rerum intelligibilium, ad ipsum magnū regem uidetur tendere, tum uerò in uidendi cupidam purissimus ac merissimus diuinae lucis radius more torrentis effunditur, ita ut ad eum splendorem caliget mētis oculus. Sed quoniam nō quæuis imago refert exemplar archetypum, suntq; multæ dissimiles, post hæc uerba IUXTA IMAGINEM, additū est significātius ET SIMILITVDINEM, ut intelligatur exactum sigillum, formam habens euidētissimam, introducit enim propheta patrem huius universitatis dicentem hæc: Faciamus hominē iuxta imaginem nostram & iuxta similitudinem.) Dicat aliquis: nunquid opus est quopiam ei, cui obediunt omnia? an cum cælum faceret, terram & maria, nullo egebat cooperatore: hominē uero tā paruum animal ac fragile facturus,

cturus, nō poterat absq; alieno adiutorio suismetipse uiribus effingere? Huius rei causam uerissimam necesse est deum solum scire: ceterum quæ per coniecturas credibiles uidetur rationi consentanea, non est celandæ. est aut hæc. Rerum quæ sunt in natura, aliæ nec uirtutis participes censentur nec uitij, ut stirpes & bruta: illæ quia inanimæ, & suapte natura imaginationis expertes: hæc quia carent mente ac ratione. uitij uerò ac uirtutis tanquam domiciliū uidetur mens & ratio. in quibus cōmode inhabitent. aliæ item sola uirtute præditæ, nihil omnino habēt uitij, ut stellæ. nam hæ animalia esse dicuntur, & quidē intelligētia: uel potius mētes singulares, totæ quætæ probæ, nec ullius capaces uitij, rursum aliæ mixtæ ex utraq; natura, ut homo, qui contrariorū est capax, prudentiæ & imprudentiæ, tēperantiæ & incontinētiæ, fortitudinis & timiditatis, iustitiæ & iniustitiæ: & ut compendio dicā boni & mali, turpis & honesti, uirtutis & uitij, ergo conueniebat ut uniuersalis ille pater deus bona quidē per seipsum solū faceret, quippe sibi cognata: sicut nec indifferentiū creatio fuit aliena ab eo, quādo quidē hæc quoq; expertia sunt uitij deo inimici, ceterū mixtorū creatio, partim erat ei propria, partim impropria. propria propter admixtā eis meliorē ideā: impropria uero, propter contrariam & deteriore. quāobrem de sola hominis generatione scriptū est: Dixit deus, Faciamus hominē: quod indicat assumptos alios tanquā cooperatores: ut irreprehensibiles tam uolūtates quā actiones hominis recte se gerentis acceptum ferantur deo rectori omnium: contrariæ uero alijs ipsi subditis.

oportet

oportebat enim patrem non esse causam malorū suis filiis. malum autem est vitium, vitiosæq; actiones. Pulchre autem cum dixisset in genere hominem, mox discreuit species, dicens Marem & foeminam conditos, licet nondum sua cuiq; forma contigerat, quandoquidē extremæ species continentur in genere, & tanquā in speculo apparent cernētibus acutius. Querat hic aliquis causam, cur ultimum operum sit homo in mūdi creatione. nam post omnia alia cum conditor ac pater fecit, ut docent sacre literæ. Qui legem rimātur profundius, eamq; quā maximē fieri potest excutiant summa diligentia, dicunt quod postquā deus hominem in suam cognationem admisit, ratione donatū dono longē optimo, ne cætera quē dē ei inuidit: sed ut animali familiarissimo amicissimoq;, omnia quæ mundo continentur præparauit, uolens ut recens creatus nulla re careret, quæ ad uitam, atq; adeo bene uiuendum cōferat. quorum alterum præstat copia ubertasq; rerum ad fruendum paratarum: alterum contemplatio cælestium, qua quidē percussa mens, amorem ac desiderium scientiæ rerum huiusmodi concipit: unde prognata est philosophia, per quā homo quamuis mortalis, immortalitatem adipiscitur. quemadmodū igitur conuiuatores non prius ad cœnam uocant quā instructo bene cōuiuio: & qui edūt ludos aut athletarū spectacul., priusq; spectatores uocati cōueniant in theatra uel stadia, parant copiā concertatorū, carumq; rerū quæ ad oculos aurēsue oblectandas pertinent: ita etiam mundi totius imperator, tanquam conuiuator ludorumque præfectus, uocaturus hominem ad conuiuium simul & spectat.

spectaculum, quicquid ad utrumq; pertinebat præpar-
 uit: ut ille in mundum ingressus mox inueniret & con-
 uiuium & theatrum sacratissimum: alterum refectū co-
 pijs, quas terra fluuij mare aer suppeditant ad usum si-
 mul & uoluptatem: alterum spectaculis, quorum tum
 essentia tum qualitates stupendæ sint, nec nō motus cho-
 reæq; admiratione dignissimæ, propter ordinem conue-
 nientissimum, numerum proportionē aptissimum, cur-
 sus recursusq; mire concinnos: in quibus omnibus uerā
 illam & exemplarem musicam inesse non falso quis di-
 xerit: quam postea homines animis suis impressam pro-
 diderunt, artem utilissimam uitæ summæq; necessariam.
 Hæc quidem prima causa est, ob quam homo rebus om-
 nibus præpositus esse uidetur, altera quoq; non absurda
 dicenda est. Mox ut natus est homo, paratū inuenit quic-
 quid ad uitam opus erat, ut futura disceret: tantum non
 diserte clamante natura, fore ut si autorem sui generis
 imitarentur, uitam sine dolore & sine labore in uberri-
 mis copijs degerent. id ita futurum, si nec uoluptates ra-
 tioni contrariæ dominationem in anima occupauerint,
 uentris uenerisq; studio ceu arcibus communitis in ea:
 nec gloriæ, honorum, pecuniarum, cupiditates in uita
 sibi potentiam usurpauerint: nec mœrores mentem de-
 pressam curuatamq; sibi subdiderint: nec timor malus
 consultor præclaros ad uirtutem impetus represserit:
 nec imprudentia, timiditas, iniustitia, cæterorumq; ui-
 tiorū turba ingruerit. nam in hæc omnia mala, quæ mo-
 do dixi, ab utentiū felicitate hominū et affectibus prauis
 debitorū, effusorūq; in cupidines, quas ne nominare qui-
 dem

dem fas est, animaduertit iustū iudiciū, de impijs studijs
 pœnas exigens. Itaq; criminum reos necessario sequitur
 inopia, ægre enim proscindentes arua, & fontanos flu-
 uialesq; riuos inducētes, adhæc seminantes plātantesq;
 et agriculturæ laborē noctu atq; interdū obcūtes, quot
 annis cōportant necessaria, eaq; interdū tenuia, nec ad-
 modū suffectura, utpote læsa ex causis uarijs. aut enim
 perpetuis imbris abripuit inundatio, aut grando uno
 impetu delata perfregit, aut nix aduſit frigore, aut pro-
 cellæ subuerterunt radicitus, multæ enim aeris & aqua-
 rum inexpectatæ mutationes inopiā fructuū afferunt,
 quod si per temperantiam lenirētur affectus immodici,
 et iustitiæ subderetur honorū iniusti; lucri studiū, utq;
 compendio dicam, actionibus ad uirtutē compositis ui-
 tiosæ ac proinde inanes decederēt, sublato ex anima bel-
 lo uerè omnium difficillimo grauissimōq; & pace præ-
 ualente constitutēq; dotes nostras cum lenitate ac mo-
 destia: sperare liceret, deum utpote boni honestiq; amā-
 tem, & insuper humani generis, affluentiam bonorum
 ultro largiturū hominibus. Liquet enim facilius esse pro-
 uentū rerum absq; agricultura largiter suggerere, q̃ res
 ipsas ex nihilo producere, atque hæc altera causa dicta
 sit: tertia uerò est hæc. Principium & finem deus uolens
 inter se coaptare, ut res necessitudine cōiunctas & ami-
 citia, principium quidem fecit cælum, finē uerò hominē:
 illud inter sensibilia & incorruptibilia perfectissimum,
 hunc inter ex terra genita & corruptibilia optimum,
 paruum (si uera dicēda sunt) cælum, multarū naturarū
 stellis similīū simulacra intra se gestantē, in quibusdam

artibus & scientijs, singulisq; celebrium uirtutum contemplationibus. nam cum cōtrarias naturas habeant, id quod est corruptibile, & id quod incorruptibile, utriusq; speciei quod pulcherrimum est, principio finiq; attribuit, principio cælū, ut dixi, fini hominē. Præter has illa etiam causa reddi solet à quibusdam. necesse erat omnium rerum creatarum postremū produci hominem, ut nouissimus repentē inter alias animantes existens, terrorem eis incuteret. sic enim futurū erat ut ad primū eius conspectum obstupescerēt, adorarēt tanquam rectorem à natura datum & dominum. quapropter hoc uiso omnes ad unam cūcuratæ sunt, & uel ferocissimæ primo statim intuitu māsuescebant, rabiem qua in se inuicem efferebantur, erga solum mitigātes hominem, quamobrem opifex eius & pater animal hoc naturaliter ratione præditum, non re solum, sed & uerborum autoritate regem constituit omnium sub luna terrestrium, aquatiliū, uolucrum. quicquid enim est mortale in his tribus clemētis, terra, aqua, aere, totum ei subiecit, cælestia tantum excipiens, ut diuiniorem partem sortita. huius autē regni fides apparet euidentissimē, dum pecorum multitudo maxima dūctatur à uulgari quopiam homine, nec armis instructo, nec ferro accincto, nec ullum telum gestante, sed mastrucam tantū habente pro uelamine, & baculū quo ea dirigat, & inter uiam lassitudine tentatus subnitatur. itaq; frequentissimos greges ouium, caprarū, bouum, præ se agit opilio, caprarius, bubulcus, homines ne corporibus quidem robusti & uigentes, ut saltem habitudine bona stipendi sint suis pecudibus: sed tanta illa robora uiresq;

resq; armis instructæ (plerisq; enim instrumenta quibus se defendant à natura sunt addita) tanquã serui dominũ reuerentur, & imperata faciunt. tauri sub iugũ missi ad terræ culturam, profundos sulcos proscindunt tota die, nonnũquam etiam per longũ spaciũ, subsequente quo piam agricola. arietes ægrè sustinentes onus uellerũ, uer no tempore iussu pastoris stant quiciti, & libenter se præ bent tondendos, assuefacti uelut populi annuũ tributum pendere suo regi à natura imposito. quid equus animal animosissimum? hic quoq; facili recepto freno regitur, quominus lasciuiat, utq; habenis parcat: simulq; tergũ aptè fessori accommodat, moxq; sublimẽ fert cursu concitatisimo, quocunq; ille peruenire cupit cum rectore suo properans. isq; insidens absq; labore, admodũ quietus, alieno corpore, pedibusq; alienis cursum conficit. Lice ret & alia multa dicere, si liberet esse prolixum, quibus euidens fieret, nullũ animal sibi libertatẽ usurpare detrectando obsequiũ homini debitũ. quare iam dictis exemplis contenti erimus. nec illud tamen ignorare oportet, non statim quia postremus homo factus est, esse inferiorẽ ordine, id quod testatur aurigæ gubernatoresq;: nam alteri post quadrigas locati à tergo cursum earũ moderantur habenis utcunq; uisum fuerit, nunc laxando eas ad celeritatem, nunc reduciendo, si uideatur iusto maior impetus. gubernatores itẽ in nauis postrema parte puppi consistentes, omnib. omnino præstantiores habentur uectoribus. quippe quorum in manu nauis ipsius sarcinarumq; salus sit posita. sic & hominẽ ceu aurigã quen dam & gubernatorẽ conditor rebus præfecit omnibus,

ut

ut regat & gubernet quicquid terra continetur, curans gerendo stirpium animaliumq; , tanquam quidam subpræfectus illius primarij summiq; regis. Postquam autem uniuersus hic mundus perfectus est iuxta perfectam naturam numeri senarij, sequenti diei septimo pater honorem addidit, quem ubi laudauit, mox sanctum appellare dignatus est, est enim festus non unius populi regionisue, sed in uniuersum omnium: quæ sola digna est ut dicatur popularis festiuitas, & mûdi natalis. Cæterû septenarij naturâ nescio an quis satis laudare queat, cû ea sit præstantior q̃ ut ulla faciûdia possit exprimi. nec tamen quia mirâda quædã de eo prædicatur, ideo silere debemus. imò audendum potius, si non omnia aut magis propria possumus, certè ea prodere, quæ mente ualemus assequi. Dupliciter septenarius dicitur. alter intra denarium, quem unitate sola septies metimur, constantem ex septem unitatibus. alter extra denarium, cuius omnino principium est unitas iuxta duplices aut triplices aut utiq; proportionales numeros, ut se habet LXIII. & DCCXXIX. prior ab unitate duplicando crescens, posterior triplicando. utraq; autem species non obiter consideranda est. secunda certè manifestissimum habet priuilegium. semper enim qui ab unitate componitur in duplis aut triplis aut utiq; proportionalibus septimus numerus, cubitus est simul & quadrangulus, utramq; speciem continens, tum incorporeæ tum corporalis essentia. incorporeæ quidem planiciem, quam conficiunt quadranguli, corporalis uerò iuxta aliam dimensioem, quâ conficiunt cubi. id euidentissime patet in modò dictis numeris

numeris. mox enim ab unitate dupla ratione crescens septimus, scilicet LXIII. quadrangulus quidem est, octies octo multiplicatis: cubus autem quater quatuor quater. rursum tripla ratione crescens ab unitate septimus, uidelicet DCCXXIX. quadrangulus quidem est multiplicato per seipsum XXVII. cubus autem multiplicato nouies nouem nouies, semperq; à septimo incipiens ut prius ab unitate, & eadem proportionē augēs usq; septimū, inuenies omnino eum crescere in cubum simul & quadrangulum. Ergo à LXIII. compositus dupla ratione faciet septimum MMMXCVI. quadrangulum simul & cubū, quadrangulum quidem latus habentem ipsum LXIII. cubicum uerò numerum XVL Transēdum iam & ad alteram septenarij speciem quæ continetur in denario, mirificam præ se ferentem naturam non minus quàm prior. Septem ipsa conficiuntur ex uno & duobus & quatuor habentibus duas rationes concinnissimas, duplam uidelicet & quadruplam. alteram diapason consonantiæ: alteram uerò scilicet quadruplam, consonantiam disdiapason conficientem. continet & alias diuisiones septenarius, cōstans ex quibusdam coniugationibus. diuiditur enim primum in unitatem & senionem, deinde in binarium & quinarium, postremo in ternionem & quaternionem. Est autem hæc quoq; proportio numerorum admodum musica. sex enim ad unum habent rationem sexcuplam. sexcupla autem ratio maximum inter tonos interstitium facit, quo distat grauißimus ab acutißimo, sicut demonstrabimus, cum à numeris ad harmonias sermonem traduxerimus.

ceterum

ceterum quinq; ad duo maximā in harmonia uim ostendunt, fermē & equipollentem harmoniæ diapason, quod in regulis eius artis apparet liquidissimē. quatuor autem ad tria primam harmoniam efficiunt supertertiam, quæ est diatessaron. Præterea aliam quoq; pulchritudinem suā profert septenarius, eamq; sacræ considerationis. Cum enim cōstet ē ternione & quaternione, rectam in rebus & nusquam uergentem figurā naturaliter exhibet. id quomodo fiat declarandum est. rectangula forma, quandoquidem est principium qualitatum, constat ex numeris his: III. & III. & V. tria autem & quatuor, quæ quidem est essentia septenarij, rectum angulum efficiunt. nam obtusus & acutus inæqualitatem, confusio- nem & imparitatem præ se ferunt, cum sint iusto acutiores obtusioresue. at rectus collationem nō admittit, nec fit recto rectior, semper sui similis, nec unquā propriam naturam uarians. Iam si rectangulus triangulus figurarum & qualitatum est principium: in hoc autem rem maximē necessariā rectum angulū essentia septenarij præbet, ternio simul & quaternio, merito censendus est hic fons omnis figuræ & omnis qualitatis. Huc accedit & illud, quod III. planæ figuræ est numerus, quandoquidē iuxta unionem est punctum, linea iuxta duernionem, superficies uerò iuxta ternionē ordinatur. quaternio porro ad solidum corpus pertinet, per accessionem unitatis accedente ad superficiem altitudine. unde liquet essentiam septenarij geometriæ & solida metiendi esse principium, & ut compendio dicam, incorporeorum simul corporeorumq; tanta in septenario sanctitas est sita, ut præ-

præminentiam habeat præ omnibus numeris non excedentibus denarium. nam ex illis alij gignunt non gignuntur, alij gignuntur quidem non gignunt tamen. alij tum gignunt tum gignuntur. solus septenarius in nulla harum parte consideratur. id ita esse demonstratione cõfirmandum est. Vnum quidem gignit omnes deinceps sequentes numeros, ipsum a nullo omnino genitum. octo autem gignuntur quidem à bis quatuor, sed nullum gignunt, ex his qui sunt intra denarium. item III. eundem locum inter genitores & prognatos obtinet. repetitus enim VIII. gignit, ipse gignitur à repetito II. soli ut dixi VII. nec gignere natura dedit, nec gigni. quam ob causam ceteri quidem philosophi numerum hunc assimilant natæ sine matre Virgini Victoriæ, quam ex Iouis capite exortam narrant fabulæ: Pythagorici uerò universitatis huius imperatori. nam quicquid nec gignit nec gignitur, immotum manet. in motu enim generatio, quando quidem & id quod gignitur, nõ caret motu. mouetur enim alterum ut gignat, alterum ut gignatur. solus autem nec mouet nec mouetur antiquus ille princeps & autor, cuius imago merito dici potest septenarius Attestatur meis dictis Philolaus uerbis his: Est, inquit, autor & princeps rerum omnium deus, semper unus, stabilis, immobilis, ipse sui similis, aliorum dissimilis. Ergo in rebus intelligibilibus immobilis & impassibilis apparet septenarius. in sensibilibus quoq; declarat suam magnam latissimæq; patentem uim, natam ad profectum omnium terrestriũ, uel lunæ certis recursibus. Quo aut modo considerandũ est, Septenarius ex unitate et reliquis deinceps numeris

*numeris compositus, gignit XXVIII. perfectũ nume-
 rum æquatum suis partibus. is ita natus numerus aptus
 est ad restituendam lunam in id momentum ex quo pri-
 mum cœpit crescere sensibilibiter, & ad quod decrescen-
 do solet recurrere: ea crescit à prima lunata facie usq; di-
 midiatam diebus septenis, moxq; totidem alijs ad ple-
 num orbem proficit: deinde rursus à meta per eandem
 uiam à pleno orbe ad dimidiatum alijs septenis diebus
 recurrit, totidemq; ad lunatam faciem, quibus deinceps
 additis cõficitur modo dictus numerus. Vocatur autem
 septenarius à proprietatis uocabulorum studiois etiam
 absolutorius: quia hoc absoluntur uniuersa & perfici-
 untur. Id inde coniectare licet, quia omne corpus asti-
 uum tres habet dimensiones, lōgitudinem, altitudinem
 & latitudinem, quatuor autem fines, punctum, lineam,
 superficiem, solidum; ex quibus compositus conficitur
 septenarius. Impossibile autem erat corpora septenario
 metiri, iuxta illam è tribus dimensionibus suisq; finibus
 compositionem, ni contigisset primorum numerorum
 ideas, uidelicet unius, duorum, trium, quatuor, in qui-
 bus fundatur denarius, in se complecti naturam septena-
 rij. nam modo dicti numeri quatuor quidem habent ter-
 minos, primum, secundum, tertium, quartum: dimensio-
 nes uerò tres, primam ab uno ad duo, secundam à duo-
 bus ad tria, tertiam à tribus ad quatuor. Præterea cla-
 rissimè demonstrant uim perfectiuam rerum insitam se-
 ptenario uel ætates ab infantia senectutem usq;, quas se-
 ptimanis annorũ metimur. namq; primo septennio den-
 tes proueniunt, secundo tempestiui ad genituram emit-
 tendam*

tendam reddimur, tertio barbam promittimus, quarto augmentum roboris consequimur, tum quinto tempus nuptias postulat, sexto uis intelligendi maturatur, septimo tum mens seipsa melior auctiorq; euadit tum ratio; octauo utraq; plenè perficitur, nono uerò æquitas ac mansuetudo, affectib. maiore ex parte perdomitis. porro decimo finis uitæ optimus, integris etiamtū instrumētis sensuum. solet enim longa senectus unūquenq; supplantare & affligere. quas ætates etiam Solon Atheniensium legislator descripsit his elegiacis.

Impubes pueri septem uoluentibus annis

Claudunt enatis dentibus eloquium.

Post alios totidem, diuorum numine dextro;

Occultum pubis nascitur indicium.

Annis ter septem prima lanugine malas

Vestiet, ætatis robore conspicuus.

Quartus id augebit iam septenarius, isq;

Optima uirtutis proferet indicia.

Adde alios totidem, festinans ocyus ætas

Coniugio monuit quærere progeniem.

Sexta ætas animo si quid deest addet, eaq;

Disces quid deceat, quid quoq; dedecet.

At quæ succedunt per proxima ter duo lustra;

Ornabunt linguam dulcibus eloquijs.

Nona ætas languet, tum frigida membra retardant

Virtutem non unquam interituram animi.

At quisquis decimam poterit contingere metam;

Iam tempestiuo funere conciderit.

Ita quidem Solon modo dictis decem septimanis humida

Philo. to. i,

d.

nam

nam uitam dinumerat. Hippocrates uerò medicus ait septem esse ætates, infantis, pueri, adolescentis, iuuenis, uiri, senioris, senis. Harum mensuram septimanas annorum, non tamen deinceps. Sic autem dicit: In hominis natura septem sunt tempora, quas ætates uocant, infans, puer, adolescens, & reliquæ. Infans est donec intra septennium dentes amittat. Puer usq; genituræ excretionem, ad geminatum septennium. Adolescens usq; barbæ hirsutiem, ad annum ter septimū. Iuuenis usq; dum crescit totum corpus, ad quater septimum. Vir usq; unde quinquagesimum, ad septies septimum. Senior usq; sextum supra quinquagesimum, ad octies septimum. Quicquid uerò deinceps sequitur, ad senium pertinet. Illud quoq; ad peculiarem septenarij cōmendationem affertur, quòd mirum habeat in natura ordinem, constans ex tribus & quatuor. Tertium quidem ab unitate si quis duplicet, inueniet quadrāgulum. quartum uerò cubum. ex utroq; autem compositum, cubum simul & quadrangulū. Itaq; ab unitate tertius, in dupla ratione quadrangulus est. Quartus uerò, scilicet octo, cubus, septimus autem quatuor ad septem, cubus simul & quadrangulus, ita ut omnino perfectus sit septimus numerus, ambas æqualitates promittens, & superficiale per triangulum, iuxta ternionis cognationem: & solidam per cubum iuxta familiaritatem quam habet cum quaternione. Ex ternione autem & quaternione fit septenarius. Est autem non solum perfectiuss, sed ut uerbo dicam, maximè harmonicus, & quodammodo fons pulcherrimi diagrammatis, quod omnes harmonias, scilicet dia-

tessaron

teffaron, diapente, diapafon: omnes item proportionēs, ſcilicet arithmeticam, geometricam & in ſuper harmonicam continet. Is laterculus conſtat ex his numeris, ſex, octo, nouem, duodecim. octo quidem ad ſex ratione ſupertertia, quæ eſt harmoniæ diateffaron. Nouē uerò ad ſex ſeſquialtera, quæ eſt diapēte. At duodecim ad ſex ratione dupla, quæ eſt diapafon. Continet autem (ut dixi) etiam proportionēs omnes: arithmeticam quidem in his numeris, ſex, nouem, duodecim. ſicut enim medius primum tribus ſuperat, ita totidē ſuperatūr ab ultimo. Geometricā uerò ex his quatuor numeris, ſcilicet ſex, octo, nouem, duodecim. Qua enim ratione ſe habent octo ad ſex, eadem duodecim ad nouem. Eſt autem ratio ſupertertia. Harmonicam porrò ex his tribus, ſex, octo, duodecim. eſtq; harmonicæ proportionis duplex iudiciū. Vnum, quādo quam rationem habet ultimus ad primū, eādē habet id quo ſuperat ultimus medium, ad id quo primus ſuperatur à medio. Id euidentiffimum fiet ex modo propoſitis numeris, qui ſunt ſex, octo, duodecim. Vltimus enim primi duplus eſt, & partes quib. ſe inuicem hi numeri ſuperant, item duplæ. Nam duodenarius octo narium ſuperat quatuor, & octonarius ſenariū duobus. Quatuor autē duorum duplū eſt. Alterum aut iudiciū harmonicæ proportionis, quādo medius æqua portioe et ſuperat et ſuperatur ab extremis. octo enim cōſiſtens in medio, ſuperat primū portioe tertia. ſubtractis enim ſex, reliqua duo ſunt primitertia portio. ſuperatur quoque ab ultimo æqua portione. ſubtractis enim VIII. à XII. reliqua III. fiet ultimi portio tertia. Hæc neceſſario

dicenda habuimus de pulchritudine quā habet hoc diagramma siue laterculus, siue quocunq; alio libet appellare nomine. tot ideas atq; etiam plures septenarius ostendit in rebus incorporeis & intelligibilibus. extendit autem se eius natura & in omnem uisibilem essentiam, quæ cælum ac terram, id est, huius uniuersi fines occupat. quæ enim mundi pars erga septenarium non afficitur, amore & desiderio eius domitat? Primo cælū ipsum aiunt septem cinctum circulis, quorū nomina sunt hæc, arcticus, antarcticus, tropicus solstitialis, tropicus brumalis, æquinoctialis, signifer, & insuper lacteus. nam horizon nostrum est accidens, quatenus quisq; aut acute cernit, aut contra, sensu circumquaq; protendente se ulterius aut citerius. certè erraticarum cohors aduersum fixis cursum tenens, septem distinguitur ordinibus, maximum præ se ferens affectū erga terram & aera. nam hunc quidem quaternis quotannis temporibus uariat, per singula infinitas mutationes afferens, tranquillitatibus, serenitatibus, nubilationibus, procellarum uiolentia. Fluuio quoq; inundant & minuunt, camposq; stagnare aut contra squalere faciunt. Quin & in mari easdem uices inducunt, accedente recedenteq;. Licet enim uidere sinus marinos ubi refugiente aestu amplum repente littus existit: & paulò post reuertente, mare se reddit altissimum, non paruis onerarijs, sed centies cētenas amphoras uehentibus nauigabile. Nec minus terrenis omnibus tum animantibus tum stirpibus largiuntur incrementa maturitatemq; fructuum, singulorū naturam foudo ad cursus recursusq; indefatigabiles, ut noui flores succedant

succedant, moxq; maturescant ad præbendam indigentibus copiam. Vrsa quidem quam uocant nautarum deductrix, è septem stellis constat: quam spectando gubernatores mille uis fulcant maria, tentantes rem arduam, & maiorem quàm pro humana sapientia. hoc enim scopo usi, scrutando inuenerunt regiones ignotas maioribus, continentis quidem incolæ insulas, insulani uerò in continente sitas. oportebat enim à purissima cæli essentia animali deo charo terræ simul marisq; recessus abditos ostendi, uidelicet humano generi. Huc accedit etiam pleiadum chorus ex septem stellis absolutus, quarum emersus & occultationes magnorum cōmodorum causa fiunt omnibus. his enim occidentib. sulci proscinduntur ad semetem. ortu uerò earū instante, letum futuræ messis nuncium afferūt. exortæ item agricolas gestientes ad comportationem rerum necessariarū excitant. illi uerò libenter recondunt cibaria, quæ mox in quotidianos usus depromant. Sol ipse diei dux, bina quotannis æquinoctia faciens, uere atq; autumno, uernum in ariete, autumnale in libra, euidentissimā probationem exhibet diuinæ maiestatis in septenario. utrunq; enim æquinoctiū fit mense septimo: quibus temporibus etiam festa indixit lex duo maxima & celeberrima, quando quidem utroq; quicquid terra fert perficitur, uere quidem frumentum & quæcūq; seminamus alia: autumno uerò uitis fructus & plerarumq; aliarum arborum. & quoniam à celestibus terrena dependent iuxta quendam naturalem consensum, septenarij ratio superne orta, descendit & ad nos, ut mortales inuiferet. lamprimū nostræ animæ, ex

septa mente rectrice, partes septem sunt, accedente ad
 quinque; sensus organo uocis, et postrema ui genitali. quæ
 sanè omnia, sicut fit in miraculosis machinis, à mète tan-
 quam occultis quibusdam neruis trahente, nunc mouen-
 tur, nunc sinütur quiescere, utcūq; motus aut quies com-
 petit. Similiter et corporis si quis internas externasue
 partes examinet, septenas inueniet. in propatulo quidē
 hæscet: caput, pectus, uentrem, manus geminas et pedes:
 intestinas uerò, stomachum, cor, pulmonē, lienem, iecur,
 renes duos. item quod regnum obtinet in animante ca-
 put, maxime necessarijs instrumentis septem utitur, ge-
 minis oculis auribusq; et totidem naribus, septimoq;
 ore, per quod mortalia (ut ait Plato) intrant, exeūt im-
 mortalia. Intrāt enim id cibi et potus, corruptibilis cor-
 poris alimenta corruptibilia: prodeunt autem à ratione
 immortalis animæ immortales leges, per quas rationæ-
 lis uita regitur. Item quæ per uisum præstantissimū om-
 nium sensuum iudicātur, ad eundem numerū pertinent
 in genere. Septem enim sunt quæ conspiciūtur, corpus,
 distantia, figura, magnitudo, color, motus, status, præte-
 rea nihil. Vocis quoq; mutationes uniuersæ cadūt in se-
 ptenarium, acuta, grauis, circumflexa, quarto loco uox
 aspera, quinto lenis, sexto longa, breuis septimo. Quin-
 et motus septem esse animaduertūtur, sursum, deorsum,
 dextrorsum, sinistrorsumq; prorsum, retrorsumq;, et
 in orbē, sicut clarissime liquere potest ex saltationibus.
 Aiunt insuper excrementa quoq; corporis subijci modò
 dicto numero. nāq; ex oculis promanant lacrymæ, sicut
 per ambas nares purgationes capitis. per os item saliuæ
 quas

quas exspuimus. Insunt etiā geminæ cloacæ per quas del-
 rinatur superfluitate s corporū, altera antica, postica a
 tera. Sextum est per totum corpus sudoris profluuium,
 adhæc naturalissima seminis effusio per membra genita-
 lia. Rursum mulierum fluxus menstruus ad diem ut plu-
 rimum septimū durat: & foetus intra uterum mensibus
 septem animantur naturaliter, ut quiddam ualde miran-
 dum accidat. Fiūt enim septimestres partus uitales, cum
 octimestres omnino impossibile sit uiuere. Acuti quoq;
 morbi corporum, præsertim cum ex mala temperatura
 uiriū in febres cōtinuas incidimus, septimo fermè die iu-
 dicātur. Hic enim in tali de uita certamine, alijs salutem,
 alijs mortem decernit. Eiusdē numeri uis non solū in iam
 dictis, uerū etiam in optima quaq; sciētiarum uersatur,
 ut grāmatica & musica. Lyra enim septē tenta fidibus,
 proportionē respondens septem erraticarū choreæ, me-
 morabiles harmonias perficit, princeps inter oīa prope
 modū instrumenta musica. inter elemēta quoq; grāmati-
 cæ, uocales quæ uerè sic dicuntur, septē sunt, quandoqui-
 dē & per se uidētur sonare, et alijs cōiūctæ, uoces articu-
 latis efficiūt. nā in semiuocalib. supplēt quod deest, red-
 dēdo sonos integros. mutariū uerò uertūt et mutāt natū-
 ras, afflādo eis uirtutes proprias, ut ineffabiles antea, iā
 fiāt effabiles. Quāobrē mihi uidētur primi noīm impo-
 sitores, quippe sapiētes, uocasse hūc numerū *ἑπτά* τὸ *σε-
 βή* *μῦς*, id est ab insita maiestate honestatēq;. Romanicer
 tē addito sigma quod deest in Græco uocabulo, clarius
 etiā exprimunt uim etymologicā, SEPTEM cū appellā-
 tio, à maiestate (ut dictū ē) honestatēq; ipsius. Hæc aliāq;

plura à philosophiæ studiosis dicuntur de septenario, propter quæ summo honore in natura superna dignatus est, nec minus honoratur apud præcipuos uel Græcos uel Barbaros, qui exercent disciplinam mathematicā: in honore est etiam apud uirtutum amātissimum Mosen, qui eius pulchritudinē inscripsit sacratissimis legis tabulis, eandemq; animis posterorum cunctorum cunctis insculpsit, post sex dies iubens festum agi septimo, ab alijs abstinendo operibus quæcunq; ad quærendum parandumq; uictum attinent, interim uacādo uni philosophiæ studio corrigendisq; moribus & examini consciētiae: quod insitum in animis, tanquam iudex obiurgare non ueretur, alijs intentādo minas uehementius, alios admonēdo modestius: eos quidem qui sponte sua cōtumaces sunt, minis territans, eos uerò qui peccāt inuiti per imprudentiam, ciuilitè admonens, ne posthac labantur similiter. Dein de per epilogum creationem mundi summatim memorans, inquit propheta: Hic est liber generationis cæli & terræ, quando creata sunt, die quo fecit deus cælum & terram, & omne uirgultum agri antequam oriretur in terra, omnemq; herbam agri prius quam germinaret.) An non manifeste incorporeas & intelligibiles ideas memorat, quibus tanquā anulis signatorijs exprimi res sensibiles contigit. prius enim quam terra uirgultum produceret, ait in rerum natura uirgultum ipsum fuisse, & prius quàm herba in agro existeret, herbam fuisse inuisibilem: subintelligēdum autem quod & ante singulas res alias quas sensus indicant, antiquiores effigies mēsuræq; quibus effiziantur & metiuntur, iam fuerant. nam etiā si

particu=

particulariter percensuisset omnia, uir alioqui breuitatis studiosus si quis alius, nihilominus iam dicta pauca hæc essent exempla naturæ uniuersorum, quæ absq; incorporeo exemplari nihil in rebus sensibilibus perficit. deinde ordinem sequendo, & obseruando rerum consequentiam dicit: Fons autem ascendeat è terra, & irrigabat omnē superficiem eius.) Nam alij philosophi uniuersam aquam aiunt esse elementum unum ex quatuor, ex quibus mundus creatus est. sed Moses acrioribus oculis etiam longinqua diligenter contemplari & comprehendere solutus, elementum quidem opinatur esse magnum hoc mare, partem quartam uniuersi, quam posteriores oceanum nominantes, maria quæ nos permeamus ad illum collata habere portuum magnitudinem existimant. dulcem autem aquam & potabilem secreuit à marina, quam terræ attribuit, ratus huius partem nō illius, uel ob causam dictam superius, ut tanquam uinculo contineatur dulci qualitate pro glutinē insita. arida enim relicta nullo subintrante humore, qui foramina ipsius uaria permearet, fortasse fathisceret. nunc continetur & permanet, partim ui uiuentis spiritus, partim humore qui non sinit arefactam abire in fragmenta maiora minoraq; & hæc quidem una est causa. iam dicenda & altera, à ueritate tanquam scopo non aberrans. Nihil è terra genitum absq; humida essentia consistere natura patitur. id semina iacta indicant: quæ quidē aut humida sunt ut animalium, aut sine humiditate non germinant, qualia sunt stirpium. Vnde liquet necessario dictam humidam essentiam partem esse terræ omnia parientis, sicut

mulieres opus habent menstruís. Aiunt enim naturæ perquisitores hanc esse fœtuum essentiam in utero, nec dissentaneum est ab his quæ diximus quod mox dicetur. Cuilibet matri tanquam partem summè necessariam natura scaturientes mammas addidit, præparans alimenta nascituris infantibus. Mater autem etiam terra esse uideatur, quæ propter & priscis illis placuit ut uocaretur *ἡ μήτηρ*, composito è matre & terra nomine. non enim terra mulierem (ut dixit Plato) sed mulier terram imitatur: quam uerè poetica gens omniparentem, frugiferam, Pandoramq; nominare solita est: quippe causam generationis & perpetuitatis tam stirpium quàm animalium. Merito igitur terræ quoq; antiquissimæ matrum ac fœcundissimæ natura tanquam mammas dedit, annuum fluentia fontiumq; ut stirpes rigentur, & omnia animalia potum copiosum habeant. Post hæc autem inquit: Formauit deus hominem, humo sumpta de terra: & inspirauit in faciem eius spiritum uitæ.] Hic quoq; manifestissimè docet, plurimum differre inter eum qui nunc formatus est hominem, & eum qui ad imaginem dei factus est antea. Qui enim nunc formatur, sensibilis est, particeps qualitatis, ex corpore constans & anima, uir & mulier, natura mortalis. Ille uerò ad imaginem factus, idea quædam aut genus aut signaculum, intelligibilis, incorporeus, nec mas, nec fœmina, naturaliter incorruptibilis: sensibilis autem & specialis hominis structuram compositam esse ait ex terrena essentia & diuino spiritu. Factum enim corpus quidem ex humo quam sumpsit artifex, & formam humanā inde effinxit.

anima

anima uerò ex nulla omnino re creata, sed ex patre atq; rectore rerum omnium. Nam quod dicit Inspirauit, nihil erat aliud quàm spiritus diuinus è beata illa & felice natura in coloniam hanc missus ad utilitatem nostri generis: ut quamuis mortalis sit iuxta partem cõspiciuam, saltem iuxta inuisibilem immortalis reddatur. Quamobrem proprie dicere licet, hominem mortalis & immortalis naturæ esse confinium, utriusq; quantũ necesse est participem, factumq; mortalem simul & immortalẽ: mortalem iuxta corpus, iuxta mentem immortalẽ. Ille autem primus homo terrigena, princeps totius nostri generis, utraq; parte præstantissimus & anima & corpore factus mihi uidetur, longeq; posteros suos antecellere utraq; præstãtia. hic ipse enim erat re uera pulcher atq; bonus. Coniecturam autem formositatis eius corporis uel ex tribus causis licet capere, quarũ prima est hæc. Cum terra tum recens extitisset secreta ab aquarum mole, quod mare appellatum est, sequebatur ut materia rerum sincera & inspicata puraq; esset, ex qua quicquid conficiebatur, merito erat inculpabile. Altera uero, quia non ex quauis terræ parte humo sumpta uideatur deus hanc humana specie statuã formare uoluisse summa cum diligentia: sed selecta undequaq; optima, ex pura materia ad id quod inerat purissimũ excollasse accurate, quod maxime ad hoc opus aptum erat. Domus enim quædam aut templum sacratum fabricabatur rationali animæ, quam illa diuina imago circumferre debebat. Tertia ne conferenda quidẽ cum iam dictis. Opifex bonus erat arte quoq; inter cætera, ut singule corporis

poris partes & priuatim conuenientibus absolueretur numeris, & apte in uniuersum cohererent. Ad eam per omnia quadrantem commensuratiōem accessit & habitu: do bona & color appositissimus, ut quā maxime fieri potest pulcherrimus idem qui primus homo aspicere-tur. Quod autem in anima quoq; par inerat præstati-a, manifestum est, nullo enim creato exemplari in ea faciē-da usus uidetur, sed solo (ut diximus) suo ipsius uerbo, ideoq; narratur effigiem & unitamentum fuisse hūc ho-minem inspiratum in faciē, ubi sensus locantur, quibus corpus animauit Opifex, deinde ratione in partē prin-cipalem imposita circumdedit ei satellitium, ut colores & sonos, itidemq; sapores atq; uapores & cætera simi-lia tractaret, quæ sine ope sensuum per se ipsam perci-pere non poterat, sequitur autem necessario, omnibus modis pulchri exemplaris pulcherrimam esse imaginē. nam dei uerbum etiam eam quæ in natura est pulchritu-dinem superat, quippe non ornatum pulchritudine, sed ipsum ornamentum illius (si uera fatenda sunt) decētissi-mum. Talis mihi uidetur factus primus homo tum cor-pore tum anima, omnium quotquot sunt fuerunt uē præ-stantissimus. Nos enim ex hominibus gignimur, illum uerò deus condidit, quanto autem melior autor, tanto etiam opus melius: quemadmodum sane quicquid uiget senescente melius est, siue animal, siue planta, siue fru-ctus, siue aliud quid ex his quæ natura cōtinet. itaq; par est illum recens creatum hominem robur fuisse uniuersi nostri generis, posteros uerò eius non ita uiguisse, dege-nerantibus usque formarum & uirium successionibus: quod

quod quidem & in plastrarum & in pictorum arte uidi fieri, deteriora enim sunt quæ exprimuntur ad exemplar propositum, quod si hæc ipsa imitetur plastes pictor uel, multo magis degenerant: quippe longe remota à principio, simile quiddam in magnetæ spectatur. nam qui è ferreis annulis ipsum tangit, hæret tenacissime: qui uero hunc deinceps, minus. pendent tamen & tertius à secundo, & quartus à tertio, & quintus à quarto, & alij ab alijs per longam seriem una ui trahente continētēq; sed non eodem modo. Semper enim quo longius absunt à principio laxantur, eo quod remittatur uis attractoria, nec iam pariter astringere ualeat. Tale quiddam & humano generi accidisse uidetur, per singula secula succedentibus exilioribus & corporis & animæ uiribus ac qualitatibus. Quod si principem illum nostrum, nō tantum primum hominem, sed & solum mundi ciuem dicamus, dicemus uerissime, erat enim domus ei mundus & ciuitas, haudquaquam manufacta ex modo creata saxorum lignorumq; materia, in qua tanquam in patria securissime habitabat, alienus ab omni metu, utpote dignatus dominatione rerum terrestrium, & formidandus cæteris mortalibus animantibus, ut domino doctis obedire aut coactis: pacateq; uiuebat in iucunditatibus innocens, quoniam autem omnis legitima ciuitas habet instituta sua, necesse erat mundi ciues uti institutis cum toto mundo communibus. Ea sunt recta ratio naturæ, quæ ratio magis proprie cognominatur ius, lex diuina, suum cuiq; ita ut debetur & conuenit tribuens, huius ciuitatis ac reipublicæ oportebat esse quosdam ante homi-

nam ciues, qui merito dici possent magnæ urbis ciues, amplissima pomœria sortiti ad habitandum, & ascripti in ius ciuitatis maximæ perfectissimæq; hi uerò quia nã alij possint esse, quàm rationales diuinæ naturæ, partim intelligibiles incorporeæq;, partim non sine corporibus, quales stellæ sunt, cum his conuiuendo & colloquendo, uerisimiliter in felicitate syncerissima degebat ille cognatus summi regis recens in lucem proditus: qui plenus largissimo spiritu diuino omnia tum dicere tum facere studebat ad placitum patris regisq; sui, sequens eius uias eisdem uestigijs, quâ uirtutes uiam publicâ mununt: per quas uias solis animabus fas est incedere, eum finem affectantibus, ut tandem reddantur genitori deo similes. Atq; ita primi hominis utraq; pulchritudo tam corporis quàm animæ, & si multo infra ueritatem, certe pro nostra uirili, quantum fieri poterat, dicta est. Posteritas autem eiusdem ideæ particeps, necessario tametsi obscuras, seruat tamen adhuc formas cognationis quæ sibi cum patre illo intercedit, cuiusnam cognationis? omnis homo iuxta mentem diuino uerbo est cognatus, beatæ illius naturæ sigillum siue particula quædam, siue splendor & quasi radius: item mundo uniuerso iuxta structuram corporis, est enim cõtemperatus ex eisdem elementis, terra, aqua, aere, igne, singulis portionē suam conferentibus ad supplementum materiæ sufficientissimæ: eam oportebat sumere opificem, ut fabricaret hanc uisibilem imaginem, præterea in omnibus modo dictis regionibus tanquam in domesticis cognatisq; uersatur, locum loco mutans, & aliàs aliò se conferens, ut
 proæ

proprie dicere liceat hominē esse omnia, terrenū, aquaticum, uolucrum, cœlestem: quatenus enim habitat & ingreditur in terra, terrestre est animal: quatenus urinatur, natat, & sæpe nauigat, aquaticum, cuius rei testes sunt naucleri, negociatores, purpurarū captatores, cæterorumq; conchyliorum atq; piscium, quatenus autem sublime in pensilibus degit cœnaculis, merito dici potest agricola, atq; insuper cœleste, propter principem inter sensus uisum, quo solem adusq; & lunam cæterarūq; stellarum tum erraticarum tum fixarū singulas euadit. Per pulchre autem & impositio nominum assignatur primo homini, ad sapientiam enim & regnum pertinet, at ille sapiens est suimetipse discipulus & doctor per dei gratiam, & insuper rex quoq;. Decet autem rectorē ut appellet unumquemq; subditorum, eximiam uerò oportet fuisse imperandi uim in primo illo homine, quem accurate formatum deus secundo post honore dignatus, subpræfectum sibi, rectorem aliarum rerum omnium constituit, quandoquidem etiam tot seculorum posteritas eius, euanescente iam per tam longum spatium genere, nihilominus adhuc brutis dominatur, seruans tanquam scintillam principatus & potentiæ hæreditariæ. Ait igitur scriptura, Omnes animantes à deo adductas ad hominem, ut uideret quas hic appellationes singulis indearet.) non quòd dubitaret, ignotum enim deo nihil, sed sibi conscius quòd rationalem in mortali naturam fecerit suapte ui mobilem, ne ipse esset uitij particeps, itaq; periculum faciebat iam noti tanquam præceptor, insitum ei habitum excitans, & ad contemplationem operum suo-
rum

rum prouocans, ut eis ex tempore nomina imponeret; nec impropria nec inconuenientia, sed diserte rerū proprietates exprimentia, cum enim rationalis natura etiā tum pura maneret in anima, nullo turbante languore, aut morbo, aut affectu, purisq; uteretur tam corporum quā rerum imaginationibus, non aberrabat à uero dū nomina eis inderet, apposite significatis applicando, ut ad primum uocabuli sonum mox natura cuiusq; intelligeretur, tātum omnigenarum uirtutum inerat homini, contententi ad ipsum finem humanæ felicitatis. Verum quia nihil est in rebus genitis firmum, sed omnia mortalia necessarias mutationes admittunt, oportebat & primum hominem experiri aliquam infelicitatem, ut autē obnoxius uiueret, occasio fuit mulier, donec enim solus erat, similitudine referebat creatum mundum & deum, gestans utriusq; naturæ formas expressas in anima, non omnes, sed quotquot earum mortalis ipsa capere poterat, ubi uero formata est & mulier, conspicatus germanam speciem, & cognatam formam, gauisus eo spectaculo, & accedens eam complexus est, at illa cum nullū animal uideret sibi similius, libenter eum resalutauit, & reuerenter, deinde superueniens amor, tanquam unius animalis duo dimidia prius distātia collecta tunc in unū coaptauit, indita utriq; cupidine gignendi similem prolem per mutuam consuetudinem, ea cupido etiam corporum uoluptatem peperit. Vnde est origo iniquitātū præuaricationumq; omniū: quando talis uoluptas mutauit mortalem & infelicem uitam beata immortalisq;.

Viro autem adhuc solitariam uitam degente, necdū formata

mata muliere, paradifus à deo plantatus dicitur, noſtris
 his nequaquam ſimilis, noſtrorum enim inanimata ſyla
 ua eſt, arboribus plena omnigenis, alijs ſemper uirenti-
 bus ad amœnitatem perpetuam, alijs primo uere pube-
 ſcentibus ac germinantibus, rurſum alijs mites fructus in-
 uſum humanum ferentibus, non modo ad neceſſitatē, ſed
 & ad ſuperfluos uoluptates uitæ delicatioris: alijs diſſi-
 milem, qui neceſſario ſeris relinquitur, at dei paradifus
 animatus omnes arbores habet rationeq; præditas, qua-
 rum fructus uirtutes ſunt & incorruptus intellectus atq;
 ſagacitas, quid turpe ſit, quid honeſtum, dijudicans, ad-
 hæc uita ſana & incorruptibilitas, & quicquid eſt ſimi-
 le, hæc autē philoſophia per ſimilitudines magis quàm
 proprie loqui uidetur. arbores enim in terra nec unquā
 prius natæ ſunt, nec naſcituræ eſt credibile, uitæ aut in-
 tellectus ſeraces, ſed ut puto ſubindicatur, per paradi-
 ſum quidē principalis uis animæ, quæ eſt plena ceu plan-
 tis, innumeris opinionibus: per arborem autem uitæ, pie-
 tas inter omnes uirtutes eminentiſſima, per quā immor-
 talis redditur anima: ſicut per dignotionem boni in aliq;
 arbitra prudentia, quæ diſcernit res naturaliter contra-
 rias, his ceu terminis in anima poſitis, deus tanquam iu-
 dex conſiderabat utrū eſſet propenſior: & poſtquam ui-
 dit eam uergerē ad calliditatē, ſanctitate pietateq; poſt-
 habita, ex quibus immortalis uita prouenit, merito eie-
 cit pulſam ē paradifo in exilium, præciſa omni ſpe redi-
 tus, propter eius erratum difficile ſanatu & incurabile:
 quandoquidem etiam deceptionis occaſio non mediocri-
 ter fuit culpabilis, non diſſimulanda hoc loco per ſilen-

Philo. to. i.

e

tium:

tium. Pertur antiquum illum ueneficum & terrigenam serpentem humanâ uoce usum esse, is olim conditi ante omnes uiri uxorem aggressus, opprobrauit ei stupiditatem & numinis reuerentiam nimiam, quod cunctando procrastinaret carpere fructum aspectu speciosissimum omnium, gustu uero suauissimum: adhuc utilissimum, quippe cui uis insit dignoscendi bona & mala, ibi mulier propter mentis inconstantiam inconsiderate assentiens, gustatum pomum uiro communicauit, itaq; ambo repente ex innocentia simplicitateq; morum, in calliditatem mutati sunt. Id indigne ferens ille pater) merebatur enim iram facinus, quandoquidem neglecta uitæ immortalis arbore, hoc est uirtute absolutissima, unde longæuam ac beatam uitam carpere potuerant, breuem mortalemq;, non dico uitâ, sed tempus ærumnosum prætulerant) pænæ meritæ sententiam eis intulit. Sunt autem hæc nō figmenta fabulosa, qualibus poetæ ludunt & sophistæ, sed figurata documenta, ad allegoriæ scrutationem inuitantia per latentes coniecturas, quas si quis sequatur ut decet, serpentem haud absurde uoluptatem subindicare interpretabitur: primum quia pedibus carens pronus uentre nititur: deinde quia terræ glebis pro cibo utitur: tertio, quia uenenum gestat in dentibus, quo solet morsos tollere. Quibus omnibus malis obnoxius est homo uoluptati deditus: quippe qui ægrè caput attollit, grauatus depressusq;, subuertente supplantanteq; ipsum intemperantia. Vescitur quoq; non cibus cælestibus, quos sapientia uiris contemplatiuis per sermones et opiniones porrigit: sed his qui quotannis è terra proueniunt: unde

ortæ

orta ebrietates & cupedinarij gulosiq; appetitus uenē-
 tris, postquam auctæ totum hominem dediderunt huius
 modi studio, ea quoq; quæ sub uentre sunt excitant, &
 in furores quosdam erumpere faciunt, qui enim coquo-
 rum & popinariorum laborem abliguriunt, attacti ca-
 put nidoribus ex condimentis exhalantibus, participes
 huius turpitudinis fieri cupiunt, & ubi quis sumptuo-
 sam mensam uiderit, toto corpore in apposita irruit,
 datq; operā ut expleatur omnibus, hoc solū spectans, ut
 nihil è tanto apparatu sinat reliquum. Quamobrem nō
 minus q̄ serpens in suis dentibus uenenum circumfert, hi
 sunt enim insatiabilitatis ministri & operarij, nihil non
 ad cibum secantes conterentesq;: qui primò linguæ diu-
 dicandos sapes offerant: deinde gulæ. Est autē immo-
 derata ciborum congestio lethifera naturaliter & uenē-
 fica, utpote concoctionem præ multitudine non admit-
 tentibus quæ ingesta sunt, quando adduntur alia super
 alia priusquam priora digesta sint. Vocem autem huma-
 nā serpens emisisse dicitur, quia plurimos sui studiosos
 propugnatoresq; uoluptas habet: qui defensione huius
 suscepta, nouam audent afferre doctrinam, tribuentes ei
 potētiam in rebus omnibus magnis ac paruis absq; ulla
 exceptione, quando & primi maris fœminæq; congres-
 sus sequestram habent uoluptatem, & genituræ absque
 hac non perficiuntur, tum quæ genita sunt nullius prius
 consuetudinem affectant quàm huius, quippe gauden-
 tia uoluptate, contrarium uero huic dolorem ægrese-
 rentia, quapropter plorat infans recens editus, nimirū
 dolens propter frigus. nam è calidissimo loco uulue, in

qua longo tempore habitauerat, progressus repente in
 acrem frigidum & inassuetum sibi, uelut ictus eo sentit,
 doloris ac uexationis manifestissimum fletu præbens in
 dicium, festinat enim, ut aiunt, ad uoluptatem, tanquam
 ad maxime necessarium & cuncta complectentem finē
 omne animal, præcipue homo. Nam reliqua per solum
 gustum & genitalia frui hac expetunt, homo per alios
 quoq; sensus, quicquid spectatu audituq; delectare po-
 test consecretans auribus atq; oculis. Quin & alia dicun-
 tur in laudem huius affectus plurima, & quod sit ani-
 malibus familiarissimus atq; cognatissimus. Verum satis
 sint exempli causa iam dicta, propter quæ humanā uo-
 cem serpens emisisse uisus est. ideo, ut puto, Moses etiam
 in legibus quas priuatim scripsit de animalibus quæ sint
 cibis apta, quæ non, maxime laudat eum qui uocatur o-
 phiomachus. Est autem reptile subnixum longis cruri-
 bus, quibus à terra pro ingenio suo prosilit & sublime
 fertur, quemadmodum cætera locustarum genera. nam
 hic ophiomachus nihil aliud mihi esse uidetur, quàm
 temperantiæ symbolum, quæ implacabile absque ullis
 inducijs bellum gerit cum uoluptate atq; intemperan-
 tia, altera enim frugalitatem, parsimoniam, sola necessa-
 ria, subrigidam honestamq; uitam eximie complectitur:
 altera operositatem sumptuositatemq;, quæ lautitias de-
 liciasq; afferunt animæ atq; corpori, & uitam reddunt
 obnoxia, morte molestiorē his qui recte sapiunt. Cæte-
 rum uoluptas suas præstigias ac fraudes uiro non audet
 admoliri, sed fœminæ, & per hanc illi, idq; admodū ap-
 posite efficaciterq;, in nobis enim quasi uir est mens,

sen-

sensus quasi focmina. Voluptas uerò prius appellat per-
tentatq; sensus, per quos id quod principale est mētem
illicit. Postquam enim singuli sensus eius ueneficijs subie-
cti fuerint, adlubescens his quæ offeruntur, coloribus
figurisq; uarijs uisus, uocum concentibus auditus, sapo-
rum suauitatibus gustus, exhalatium uaporum fragran-
tiæ odoratus, acceptis his donis tanquam famuli affe-
runt ea ueluti dominæ ratiocinationi, aduocatam adhi-
bendo suadelam, ne repulsam ulla in re patiantur. Ra-
tio porrò inescata, iamq; ex regina facta subdita, & ser-
ua ex domina, & exul ex ciue, mortalis fit quæ immor-
talis antea fuerat. Omnino enim scire oportet, quòd uo-
luptas tanquam lasciuia meretricula amatorem appetit,
quærens stupri conciliatores, per quos illum ceu hamo
capiat. sunt autem huius cupidinis sequestri sensus, quos
postquam inescarit, facile mentem subiugat: quæ res ex
ternas intrò admittat, illis internuncijs & ostentantibus
singularum formas, & ei suum affectum imprimētibus.
nam ceræ similis, recipit per sensus imaginationes, quia
bus apprehendit corpora, quòd per seipsum non ualet,
ut ante dixi. Continuo autem mercedem uoluptatis ha-
buerunt, qui primi sese in seruitutem dediderunt mole-
sto huic morbo & insanabili: mulier quidem uehemen-
tes dolores parturitionis, & in reliqua uita continuas
tristitias, præsertim in gignendis educandisq; liberis, æ-
grotis sanisq;, in prosperitate & aduersitate degenti-
bus, quominus libertate frueretur, uitæ socium agno-
scens pro domino, cuius mādāta exequi necesse habeat.
uiro item pro parte sua labores exantlandi sunt propo-
siti

siti, sudoresq; continui, ut acquireret necessaria uictui. præterea multatur ubertate terræ spontanea, quæ prius absq; agricolæ opera arteq; fertilitatem didicerat: iam uerò inexhaustis laboribus succurrendum est inopiæ, ne fames internecionem afferat. Opinor enim quemadmodum sol & luna perpetuo lucem ministrant semel iussi in rerum primordio, & diuinum mandatum indefinenter faciunt, nõ ob aliam causam quàm quia malicia procul terminis cæli exulat: eodem modo terræ quoq; latifundia frugifera sine arte curaq; agrorum latura fuisse ingentes rerum copias annuis prouentibus. nunc autem perennes illi fontes dei gratiarum retenti sunt, postquam cæperunt uitia maiores quàm uirtus profectus facere, ne in indignos profunderetur beneficentia. Itaque debuerat humanum genus, si pœna par culpæ læda esset, omnino deleri propter tantam erga benefactorem seruatoremq; deum ingratitudinem. at ille suo pte ingenio clemens, miseratione uindictam moderatus est, genus quidem manere sinens, uictum autem non æquè ut antea præbens, ne duobus malis accedentibus, ocio saturitateq; proni ad uim & peccatum fierent. Talis erat uita innocenter ab initio simpliciterq; uiuentiũ: talis item postquam uirtutem posthabuerunt uitijs, à quibus abstinendum est. Licet porro ex superiore de mundo condito narratione alia quoq; multa nos discere, præcipue quinque res omnium pulcherrimas & optimas, primum esse & præfse numen, ne nos fallant impij: quorum alij dubitabant, ambigendo an sit: alij uerò his audaciores perfricta fronte negauerunt esse, sed uerbis tantummodo celebrari

celebrari ab hominibus per figmenta fabularum ueritatem adumbrantibus. Secundo, deum unum esse, ne fallamur à multorum deorum assertoribus: quos non pudet deterrimam reip. speciem ex terra in cœlum transferre uulgi potentiam. Tertiò (sicut iam dictum est) mundum esse factum, aduersus eorum opinionem qui cum infectum sempiternumq; esse contendunt, nihil deo tribuentes amplius. Quartò, hunc ipsum creatum mundum esse unum, quando & unus eius opifex est, qui hac unitate opus suum simile sibi reddidit, ad cuius uniuersi perfectionem usus est omni essentia. integrum enim non esset, nisi compactum & constitutum fuisset ex omnibus partibus. nam non desunt qui credant plures mundos esse, quidam etiam infinitos, ipsi carentes fine modoq; ignorantie, & ad ueritatem indociles: quos nosse cauereq; bonum est. Quintò, præesse mundo dei prouidentiam. semper enim autor curam gerit operis sui, communi necessariaq; lege naturæ: quemadmodum & parentes curant suam progeniem. Hæc quicumq; non tam auribus quàm cogitatione maturè perceperit, & in animum suum mirandas, omniq; studio petendas, species impresserit: Esse deum præesseq; rebus, & hunc unum esse qui uerè sit, & ab ipso mundum conditum credi oportere; eumq; (ut dictum est) unicum, hac unitate auctori suo similem: postremo nunquam non gubernari eum ab opifice suo: is beatam felicemq; uitam acturus est, decretis pietatis diuinis formatus.

PHILONIS IV=

DAEI, SACRAE LEGIS AL-

legoriarum post sex dierum opus,

Liber primus.



T perfecti sunt celi & omnis eorum militia.] Postquam de mentis sensusq; generatione dudum dixit, nunc ex utroq; perfectionem mādāt literis. Sed neq; mētem indiuiduam, neq; sensum particularem perfectū esse ait, uerum ideas: alteram mentis, alteram sensus. Tectē quidem mēte cælum, quoniam intelligibiles in eo sunt nature, uocat: sensum uerò terram, quia constitutionē corpori similem & fermē terrenam sensus sortitus est. Ornant autem mentem quidem intelligibilia incorporea; omnia: sensum uerò corporea & quæcunq; sensibilia.

Et compleuit deus die sexto opus suū quod fecerat.] Rusticane simplicitatis est putare, sex diebus, aut utiq; certo tempore mundum conditum: quia totus mundus uicissitudo est dierum ac noctium, quam solis motus super terram, sub terraq; meantis necessario conficit. Sol autem pars cæli censetur, ut fatendum sit tempus posterius mundo esse, quippe quod mundi est effectus. nam cæli motus indicauit naturam temporis. Ergo cum audis: Compleuit sexto die opera, intelligere non debes de diebus

diebus aliquot, sed de senario perfecto numero, quia primus in tres partes æquales diuiditur, dimidiam, tertiam, sextam, & ex æquilateris duobus constat, bis tribus. binarius quidem & ternarius excedunt iuxta corpus æqualitatē: alter materiæ imago, quæ diuiditur secaturq; tanquam mortalis, alter uerò solidi corporis, quod iuxta triplicem dimensionem potest diuidi. quin & organicorum animalium motibus cognatus est. sic enim organicum corpus natum est ut suo apte ingenio moueri queat prorsum, retrorsum, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum. Vult igitur indicare propheta, tum mortalia, tum incorruptibilia genera ex proprijs constituisse numeris, mortalia (ut dixi) senario metiens, beata uerò & felicia septenario. Primum igitur septimo die requiescens à mortalibus operibus, alias diuiniore formationes incipit. nunquam enim deus operari desinit: sed sicut proprium ignis est urere, & niuis refrigerare: ita dei quoq; operari: idq; multo magis, eo quod ipse alicui etiam rebus omnibus operandi autor est. Recte sanè dicitur Quiescere fecit, non Quienit. quiescunt enim quæ uidentur operari, ipsa non agentia. at factor ille non quiescit. ideo subinfertur, Quiescere fecit quæ exorsus est.] Quæcunq; enim nostris artibus fabricantur, ea semel absoluta stant manētq;: at quæ deus perficit sua scientia, mouentur denuo. fines enim eorum, aliorum sunt principia: ut diei finis, noctis initium. menses quoq; & annos desinentes, initia sequentium cogitare debemus. itidem dum alia corrumpuntur, gignuntur alia: & dum alia gignuntur, corrumpuntur alia: ut uerè dictum sit,

e s perire

perire nihil eorum quæ generata sunt. sed aliud accedēs ad aliud, aliam formam repræsentat. gaudet autem natus ra septenario. erraticæ septem sunt, in contrarium nitentes quotidiano cæli cursui. urfa septem stellis completur, cōmerciorum, consociationis hospitalitatisq; hominum causa præcipua. mutationes quoq; lunæ singulis septimanis fiunt, sideris rebus terrestrib. familiarissimi: quod quascunq; in ære mutationes operatur, maximè iuxta suas hebdomadariasfigurationes efficit. mortalia certè (ut dixi) omnia quæ diuinius principium cælitus sibi contrahunt, iuxta septenarium mouentur salutariter. Quis enim nescit infantium septimestrium felices paratus: si uerò tempus uteri producat in mensem octauū, plerosq; omnes infelices? rationem quoq; aiunt in homine absolui primo septennio, quando iam idoneus est interpretres usitatorum nominum ac uerborum, rationalem habitudinem sibi comparans: item sequenti septēnio ad summam perfectionem peruenire, nimirum ad potentiam progignendi sui similem: id quod accidit circiter annum ætatis quartumdecimum. tertium deinde septennium incrementi finis est. nam usq; primum supra uigesimum annum augetur proceritas hominis: quod tempus à multis uocatur ætatis maturitas. animæ quidem bruta pars septisariani diuiditur, in quinque sensus, & uocis instrumentum, & genitalem uim suis membris insitam. Item corporum motus septem sunt, sex pro ratione membrorum, in orbem septimus. septem item interiora uiscera, stomachus, cor, lien, iecur, pulmo, renes gemini. totidem quoq; membra corporis, caput, ceruix, pectus,

manus

manus, uenter, inguen, pedes. certè principalis pars hominis septem habet foramina, oculos duos, totidem aures naresq; os septimum. septem sunt & excrementa, lacryma, mucus, saliu, genitura, quæq; per geminas corporis cloacas deriuatur, sudorq; totius corporis. in morbis sanè septimus dies maximè iudicat: & mulieribus menstruæ purgationes usq; septimum diem protenduntur. quin & ad utilissimas artes uis huius numeri peruenit, scilicet grāmaticam & musicam: quandoquidem in grāmatica uocales optimæ clementorum potētissimæq; septem sunt: & in musica lyra chordarum septem, præstantissima est instrumētorum fermè omnium: quoniam harmoniarum ratio, quæ quidem in melico genere pulcherrima est, in hac consideratur maximè. tonorū quæque septem sunt discrimina, acutius, grauis, circumflexus, asper, tenuis, longus, breuis. & primus numerus nascitur ex perfectō, id est senario, & unitate. præterea iuxta quandam rationem qui intra denarium sunt numeri, aut gignunt eos qui sunt intra denarium, aut gignuntur ab eis, aut utrunq; at septenarius nec gignit ullum eorum nec gignitur à quoquā, quapropter in suis fabulis Pythagorici eum semper uirgini sine matre natæ assimilant, quia & illa nec partu est edita, nec unquam pariēt. Itaq; quiescere fecit diē septimū ab operib. suis quæ fecit.] Id aut sic intelligēdū, mortalia genera tū deus cessat fingere, cū incipit facere diuina, & septenarij naturæ familiaria. id ad mores pertinet hoc modo: quādo in animā subintrauerit illud iuxta septenariū uerbum sanctū, compescitur senarius, & quicquid occupatū uidetur in faciendis

faciēdis hisce rebus mortalibus. Et benedixit deus diem septimum, & sanctificauit eum.] Mores qui iuxta septimam uereq; diuinā lucem facti sunt, benedicit deus, moxq; sanctificat. summa enim cognatione benedictus sancto iungitur. ideo de illo qui magnum uotum uouit scriptura dicit, quod si mutatio repentina polluerit eius mentem, non erit sanctus. Cæterum dies priores merito irrationales sunt. irrationalis est enim quiuis nō sanctus mos. ideoq; qui benedictus sanctus. Rectē igitur dictum, quod septimum benedixit simul & sanctificauit, quia in eo cessauit ab omnibus operibus suis quæ cœpit deus facere.] Causa redditur ob quam benedictus sanctusq; factus sit, qui iuxta septimam perfectamq; lucem degit, quandoquidem in hac natura quiescit mortalium constitutio. ita enim, se res habet. postquam splendor uirtutis exortus fuerit, clarus reuera diuinusq;, cessare facit generationem naturæ contrariæ. docuimus aut quod deus facere non cessat, sed aliarum rerum generationem aggredditur, quippe non opifex modo, uerum & pater rerum conditarum. Hic est liber generationis cœli & terræ, quādo creata sunt.] Hæc quæ iuxta septenarium mouetur perfecta ratio, principium est tum ordinati iuxta ideas intellectus, tum generationis intelligibilis rerum iuxta ideas ordinarum: uel ut propriè loquar ad sensum pertinētium. Librum autem uocat dei uerbum, in quo inscriptæ insculptæq; habentur cæterarum rerum substantiæ. Ne autem suspiceris intra certa temporis spacia numen facere aliquid, sed ignota, incerta, inscrutabilia, incomprehensibilia humano generi esse eius opera, subinfert

subinfert has uoces, Quando creata sunt, non desiniens
discretè quandonam. Incircumscriptè enim fit quicquid
ab hac causa fit. atq; ita negatur hoc uniuersum intra
sex dies conditum. Die quo fecit deus cælum & ter-
ram, & omne uirens agri antequam oriretur in terra,
omnemq; herbã agri prius quàm germinaret. Nō enim
pluerat deus super terram, & homo non erat qui opera-
retur terram.] Diem hunc superius librum dixit, siqui-
dem utrobq; cæli & terræ describit generationem. nam
illustriſſimo ſplēdidīſſimoq; ſuo uerbo, uno edicto deus
utrunq; creat, & ideam intellectus, quam figuratè cæ-
lum uocauit, & ideam ſenſus, quā ſignificauit terræ no-
mine. Duobus autem agris aſſimilat ideam intellectus et
ideā ſenſus. intellectus enim fructus ſunt quæ intelligun-
tur: ſicut ſenſus ea quæ ſentiūtur. Quod autem dicit tale
eſt. ſicut particulari indiuiduoq; intellectu prior eſt
quædam idea tanquam archetypum huius exemplar: i-
tem particularis ſenſus alia, ad exprimendas formas ui-
cem ſignaculi obtinēs: ita prius quàm fierent indiuidua
intelligibilia, erat idipſum intelligibile, ob cuius partici-
pationem cætera quoq; ſic nominantur. Virens quidem
agri, intelligibile dixit mentis. ſicut enim in agro uiren-
tia germinant florentq;, ita mentis germen eſt intelli-
gibile. itaq; prius quàm indiuiduum intelligibile creare-
tur, illud ipſum intelligibile abſolutū erat, generale iam
tum uniuerſaleq;, quippe completum. Et omnem, in-
quit, herbã agri prius quàm germinaret.] Id eſt, prius
quàm germinarent indiuidua ſenſibilia, iam erat gene-
rale ſenſibile per creatoris providētiam. Hic quoq; ad-
didit

didit Omnem, decenter sanè sensible contulit cum herba, quia animæ parti brutæ sorte obuenit. alioqui cur si prædixit, uirens agri & omnem herbam, ac si herba ne quaquam uireret? sed uirens agri est intelligibile mentis germen: herba uerò sensible, ipsum quoq; germen brutæ partis animæ. Non enim pluerat deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram.] Valde naturaliter. nisi enim deus pluerit super sensum perceptiones subiectoꝝ, ne intellectus quidem circa sensum operabitur & occupabitur. Cum enim ipse ex seipso, non sit idoneus ad irrorandos uisui colores, uoces auditui, gustui sapor, cæterisq; sua perinde subiecta sensibus, quàm primum deus sensibilibus sensum rigare cœperit, mox intellectus tanquam uberrimæ terræ cultor præsto est. at idea sensus, quæ figuratè uocatur pluuia, nullo alimento indiget. sed alimentum sensuum sunt indiuidua sensibilia, quæ utiq; corpora sunt. idea autem aliud quàm corpus est. cæterum prius quàm existerent indiuidua, non pluerat deus super ideam sensus, quæ terra hic nominatur, hoc est nullum alimentum ei præbuit. nam ea nullo prorsus opus habebat sensibili. quod autem sequitur: Et homo non erat qui operaretur terram, idem est quod: idea intellectus ideam sensus non exercebat. mens enim eiusq; intellectus exercet sensum per sensibilia. intellectus autem idea, prius quàm ullum existat indiuiduum illi familiare corpus, non exercet ideam sensus. si enim exerceret, exerceret per sensibilia. nam in ideis nihil est sensibile. Fons autem ascendebat de terra, & irrigabat eius faciem.] Hic intellectum dicit ter-

*re fontem, sensus uerò faciem eius. hunc enim locum ex
 uniuerso corpore ad exercendas ideas aptissimum, na-
 tura omnia prouidens eis attribuit. Fontis autem modo
 intellectus sensum quemq; irrigat, immittens riuos con-
 uenientes singulis. Et uide quomodo analytica ratione
 potentie animalis inuicem connexæ sunt. cum enim tria
 sint, intellectus, sensus & sensibile, medius est sensus, u-
 tramq; autem extremitatem occupant intellectus & sen-
 sibile. atqui ne intellectus quidem potest operari, hoc
 est exercere se per sensum. nisi autem deus pluerit & ri-
 garit sensibile, ne compluræ quidem rei sensibilis ulla
 est utilitas, ni terræ modo intellectus extendens se usq;
 sensum, mouerit eum quiescentem, & adduxerit ad sub-
 iecti sui comprehensionem. itaq; intellectus & sensibile
 semper par pari referre conantur, hoc quidem subie-
 ctum sensui tanquam materia: ille uerò mouens sensum
 ad externa tanquam artifex, ut fiat impetus. animal e-
 nim non animali præstat rebus duabus, imaginatione
 & impetu. imaginatio fit progressu intellectu per sen-
 sum ad externa: impetus uerò imaginationis germanus
 per intellectus uim intensiuam, quam intendens per sen-
 sum attingit subiectum, & accedit ad id, cupiens com-
 prehendere. Et finxit deus hominem de humo ter-
 ræ, & inspirauit in faciem eius spiritum uitæ: & factus
 est homo in animam uiuentem.] Duplex hominum ge-
 nus. alter est cælestis, terrestris alter. cælestis quidem, ut
 pote ad imaginem dei factus, expers corruptibilis & in-
 totum terrene essentie. terrestris uerò è seminali mate-
 ria, quam humi uocat, compactus est. ideo cælestem non
 fictum*

fictum dicit, sed formatum ad imaginem. terreſtre uero
 figmentum, irrationalis progeniem eſſe artificis. cæte-
 rum homo terreus accipiendus eſt intellectus qui inferi-
 tur corpori. nondum ei concretus. is terrenus reuera eſt
 & corruptibilis, niſi quòd deus inſpirauit illi uim ueræ
 uitæ. ac tum demum fit iam, non amplius fingitur, in ani-
 mam non ocioſam & ignauam, ſed intelligentem uereq;
 uiuentem. ait enim In animam uiuentem factus eſt homo.
 Querat aliquis, cur deus terrigenam & corpori addi-
 ctam mentem ſpiritu diuino dignatus ſit, & non potius
 illam iuxta ideam factam & iuxta imaginem ipſius dei.
 Secundo quid ſit quod dicit Inſpirauit. Tertio, quam ob
 rem in faciem inſpirat. Quarto, quam obrem utatur ſpi-
 ritus uocabulo: num ita, ſicut quando dicit: Et ſpiritus
 dei ferebatur ſuper aquam: flatus nunc non ſpiritus ſit
 mentio. Ad primum reſpondendum, primo, quod beni-
 gnus cum ſit deus, largitur bona omnib. etiam non per-
 ſectis, inuitans eos ut emulatores uirtutis atq; partici-
 pes ſiant, oſtentansq; immenſas ſuas diuitias, quod ſuffi-
 ciant etiam his qui non magnam utilitatem inde capiunt.
 Hoc autē etiam alijs rebus declarat maniſeſtiſſimè. Quo-
 ties enim pluit in mare, fontes producit in locis deſertiſſi-
 mis, tenuem & aſperam ſterilemq; terram rigat inun-
 dans fluminibus, quid aliud exhibet quàm nimietatem
 diuitiarū benignitatisq; ſuæ. Eadem eſt cauſa, ob quam
 nullam animam ſterilem boni creauit, quamuis ſint quæ-
 dam quib. hoc eſt inutile. Altera reſpoſio cōmendat diui-
 nā iuſtitiam. Inſpiratus aliquis uera uita, ſed uirtutis ex-
 pers, puniendus propter peccata, inique ſecum iniuſteq;
 agi

agi diceret, quandoquidem per ignorantiam boni pro-
lapsus sit in ea. Esse autem in causa ipsum, qui nullam ei-
mentem inspirasset. & forsitan negaret omnino se pecc-
tasse, siquidem quæ ab imprudentib. fiunt, ne in peccato-
rum quidem rationē competere quidam asseuerant. hæc
quidem uox inspirauit, idem ualet quod afflauit anima-
uitq; inanima. absit enim ut putemus deum oris aut na-
rium instrumentis usum ad inspirandum. expers enim
qualitatis deus, tantum abest à forma humana. quin &
aliud naturæ arcanū hæc uoces proferunt. Triæ enim hic
requiruntur, quod inspirat, quod inspirationem capit,
& quod ex inspiratione accipitur. Deus inspirat, mens
inspirationem capit, spiritus ex inspiratione accipitur.
quid ergo ex his colligitur? unitio fit horum trium, por-
rigente deo à seipso manātem uim per medium spiritum
usq; subiectū: ad quid aliud nisi ut cogitatione percipia-
mus eum? alioqui quomodo anima deū intellexisset, nisi
ipse inspirando attigisset eam quantum fieri potuit? nec
enim ausa fuisset humana mens tam alte ascēdere, ut at-
tentaret dei naturam, ni deus ipse trahendo subleuasset
eam ad seipsum, quatenus fas erat humanū intellectum
subleuari. Quin & formauit eum pro ipsius uiribus. Cæ-
terum faciem inspirat naturaliter & moraliter. natura-
liter quia in facie sensus creabat: quæ pars corporis ma-
ximè animata est & inspirata. moraliter sic: quemadmo-
dum principalis pars corporis est facies, ita animæ pars
principalis est mens. hanc solam inspirat deus, alias hoc
honore non dignatur, sensum, ratiocinationem, gignen-
diq; uim. nam hæc secundum locum obtinēt: à quo igitur
Philo. to. i, f hæ

hæ quoq; inspirantur? Dubio procul à mēte. Quicquid enim hæc accipit à deo, brutis animæ partibus cōmunicat. quo fit ut mens animetur à deo, brutum uerò quod inest animæ, à mente. Est enim mens tanquam deus partis brutæ, & ideo Mosem quoq; scriptura non grauatur deum Pharaonis dicere. Nam quæ fiūt, partim à deo & per ipsum fiunt: sicut procedente contextu legetur, Plantauit deus paradysum. inter ea mēs censetur. Bruta uerò pars à deo quidem facta est, nō autem per deum, sed per rationalem partem præsidentem regnātemq; in anima. Spiritum porrò non flatum dixit, quasi intersit aliquid. Nam in spiritu intelligimus robur, tenorem, & uim: flatius tanquam aura quædam est & exhalatio lenis ac sedata. Quapropter mens facta ad ideam & imaginē, dici potest cōmunicare cum spiritu. robur enim hic intelligitur. procedens aut à materia leuiore, aura dicitur exhalatioq;, qualis fit ex aromatibus: quæ asseruata uel sine suffitu emittunt quandam fragrantiam. Et plantauit deus paradysum in Edem ad orientem, & posuit ibi hominem quem finxerat.] Diuinam & cælestem illam sapientiam cum nominaffet multis nominibus, & uarias appellationes eam habere ostendisset, ut quam principium & imaginem & uisionem dei uocauit: nunc eius tanquam exemplaris imitamentum terrenam sapiētiā insinuat per paradisi plantationē. absit enim ut tanta rationem nostram inuadat impietas, ut suspicemur deum plantare & terram colere. cur enim id faceret, statim occurrat dubitatio. non enim ut amœnos secessus & uoluptates sibi quæreret, quæ fabulositas ne in cogitationem

quidem

quidem admittenda est. nam deo ne totus quidē mundus dignum esset domicilium: qui sibiipse locus est, et ipse se ipso plenus sibiq; sufficiens, cum deus alienam indigentiam, solitudinem inanitatemq; impleat & contineat, ipse uerò à nullo alio contineatur, utpote unus & totum ipse ens. ergo terrenam uirtutem seminat ac plātat deus humano generi, quæ sit imago effigiesq; cælestis uirtutis, miseratus enim nostrum genus, & cōspicatus id plurimis refertum uitij, auxiliatricem & depultricem animæ in morborum uirtutem terrenā radicaui, ad imitationem formamq; cælestis exemplaris, eamq; nō uno uocat nomine. Paradisus certè figuratè dicitur uirtus. locus autem proprius paradiso Edem, id est deliciæ. uirtuti autē conuenit pax, uoluptas, gaudiū, in quibus sunt ueræ deliciae. quin et ad orientē est huius paradisi plantatio. nam nec occidit nec extinguitur, sed perpetuo suapte natura lux eius oritur: & ut puto, sicut sol exortus caliginosum ærem replet luce: sic etiam uirtus exorta in anima caliginem eius illustrat, & multum tenebrarum discutit. Et posuit, inquit, ibi hominem quem finxerat.] Cum enim bonus sit deus, & ad uirtutem tanquam peculiare suum opus, exerceat genus nostrum, mentem collocat in uirtute, uidelicet ut nihil aliud quàm hanc colat curetq; ceu bonus agricola. Quærat hic aliquis, quare cū fas pūūq; sit imitari opera dei, ego uetor plantare lucum apud sacrarium, deus aut plantat paradisum? ait enim lex: Non plātabis tibiipse lucum, omnē arborem apud sacrarium dei tui non facies tibiipse. quid igitur dicendum? Decens esse deo plantare & edificare uirtutes in anima,

mens autem sui amans & impia, uolens uideri æqualis deo, dum se facere putat, reuera patitur. ceterum cum deus seminat & plantat in anima quicquid honestū est; mens si dicat, ego planto, impie facit. non plantabis igitur quando deus plantat. quod si et plantas in anima posueris, ô anime, fructiferas planta omnes, & non lucum. In luco enim tam syluestres quàm mites sunt arbores. uitium autem sterile in anima cum miti fructiferaq; plantare uirtute, lepræ est biformis & confusæ proprium. si tamen ea quæ misceri non debent in unum coegeris, separa secerneq; à pura & incontaminata natura, quæ solet offerre deo res irreprehensibiles. hæc autem est sacrarium. ab hoc enim alienum est, dicere opus aliquod esse animæ, cum ad deum referantur omnia, & permiscere fructifera infructiferis. reprehendendum enim hoc: tu offer deo res irreprehensibiles. ergo siquid in his præuaricata fueris ô anima, teipsa lædes, non deum. ideo dicitur, Non plantabis tibiipse. deo enim nemo operatur; præsertim uilia. moxq; additur, Non facies tibiipse. dicit autem & alibi scriptura, Non facietis mecum deos argenteos, & deos aureos non facietis uobisipsi. quisquis enim uel qualitatem putat habere deum, uel non unum esse, uel nō ingenitum & incorruptibilem, uel non immutabilem, sibiipse iniuriam facit, non deo. & quisquis aliter sentit, suam ipse animam implet opinione falsa & impia. non uides quod etiamsi nos inducat in uirtutem, & inducti plantemus, nihil quidem infructiferū, sed omnem arborem cibo utilem, iubet tamen purgare præputium? id autem est, uideri plantare. eam arrogan-
tiam

tiam abscidere præcipit. nam impura est naturaliter. Hunc recens fictum hominem posuit in paradiso,] inquit scriptura nil addēs præterea. quis igitur est de quo post dicit: Apprehēdit dominus deus hominem quem finxerat, & posuit eum in paradiso ut operaretur eum, & custodiret?] Num fortè alius est hic homo iuxta imaginem & ideam factus? ut duo homines in paradysum introducantur, alter fictus, alter iuxta imaginem. ergo qui iuxta ideam factus est, non solum inter plantationes uirtutum censetur, uerum etiam operarius est earum & custos, id est memor eorum quæ audiuit & exercuit. at fictus ille nec operatur uirtutes nec custodit, tātum introducit in decreta dei fauente ipso, mox uirtutis transfuga futurus. ideò quem tantummodo ponit in paradiso, fictum uocat: illum uerò quem operarium custodemq; constituit, non fictum, sed quem fecit. & hūc quidem apprehendit, illum uerò expellit. cum autem quem apprehendit, tribus dignatur ex quibus constitutus est, bonitate naturæ, tangendi facultate, diuturnitate memoriæ. ergo tangendi facultas, est positio in paradiso, memoria uerò custos seruatrixq; sanctorum decretorum: sicut bonitas naturæ, actio rerum honestarū & operatio. at ficta mens nec meminit honestatis, nec operatur eam, contēta facultate tangendi. ideò posita in paradiso, paulò post fugitiua expellitur. Et emisit deus è terra omnem arborem pulchram uisu, & bonam ad cibum, & arborem uitæ in medio paradisi, & arborem sciētiæ boni maliq;.] Arbores uirtutis quæ in anima nascuntur nunc describit, hæ sunt indiuiduæ uirtutes, harumq;

rumq; operationes & rectè facta, & quæ dicuntur apud philosophos officia. hæ sunt stirpes paradisi huius. exprimit tamen has ipsas, docens quod bonū illud tum ad spectandum tum ad fruendum sit præstantissimū. Quædam enim artes contemplatiuæ sunt, non item actiuæ, geometria, astronomia: quædam actiuæ, at non cōtemplatiuæ, materiaria, æraria, & illiberales cæteræ. at uirtus contemplatiua simul & actiua est. habet enim cōtemplationem, quandoquidē ad hāc deducit nos philosophia per tres sui partes, rationalem, moralē, naturalemq;. habet itē actiones. est enim uirtus ars totius uitæ omnes actiones in se continentis. & quamuis contemplationē & actionem habeat, tamen in utraq; est præstantissima. est enim contemplatio uirtutis pulcherrima, usus uerò & actio sectanda omni conatu. ideoq; dicit arborē esse aspectu pulchram, quod contemplationem significat: & bonam ad cibum, quod usus & actionis signū est. Cæterum arbor uitæ est illa generalissima uirtus, quam quidā bonitatē uocant, à qua indiuiduæ uirtutes procedūt. quam obrem etiam media paradisi locatur habens regionē capacissimā, ut ab utroq; latere ceu rex stipetur satellitio. Alij dicunt cor intelligi nomine arboris uitæ, quia causa uiuendi est, medium corporis regionem sortitū, ut princeps secundum ipsorum opinionem. uerum hi falluntur, medicam sententiam afferentes pro physica. nos autem, quemadmodū et antea dictum est, illam generalissimam uirtutem dici arborem uitæ affirmamus. hæc uerò discretē in medio paradisi esse traditur. sed altera, scilicet sciētiæ boni maliq; non declaratur intra paradisum sit an
extra

extra. sed postquā dixit, & arbor scientiæ boni maliq;,
 mox desuit, nec declarauit ubinam erat, ne alieno à phy-
 siologiæ mysterijs moueret admirationem scientiæ suæ.
 quid ergo dicendum est? esse eam & intra paradisum et
 extra: essentia quidem intra, potētia uerò extra. quomo-
 do? principalis uis nostra omnicapax est, & sicut cera
 oēs formas uel pulchras uel turpes recipit: sicut & sup-
 plantator ille Iacob fatetur, dicens: Super me facta sunt
 hæc omnia. nam unica anima innumeras formationes re-
 rum quæ in natura sunt capit omnium: quæ quoties cha-
 racterem perfectæ uirtutis recipit, uertitur in uitæ arbo-
 rem: quoties uitij, fit arbor sciētiae boni maliq;: at uitium à
 diuino choro exulat. Ergo principalis illa uis, quæ hoc
 intra se admisit, in paradiso est iuxta suam essentiā: in-
 est enim in ea ui character ille uirtutis proprius, qui in
 paradiso est: at iuxta potentiam non est ibi, quia forma
 uitij aliena est à præceptis dei. Quod dico, uel sic potes
 discere. nunc in meo corpore principalis illa uis est iux-
 ta essentiam, potentia uerò in Italia Siciliæue, quoties
 de his regionibus cogitat: item in cælo, quoties de cæle-
 stibus speculatur. qua ratione interdum quidam in pro-
 fānis locis cōstituti iuxta essentiam, sunt in sacratissimis,
 imaginātes ea quæ ad uirtutem pertinent. Econtra con-
 stituti in sacris penetralibus, cogitatione profānantur,
 quòd ea sit ad deteriores uilioresq; formas mutabilis.
 Itaq; nec inest paradiso uitium, nec abest. potest enim
ibi esse iuxta essentiam, potentia uerò nō potest. Flu-
 uiius autem exit ex Edem, ut irriget paradisum, qui in-
 de determinatur in quatuor capita. nomen uni Phisōn,

ipse est qui circuit omnem terram Euilat, ubi est aurum, & aurum terræ illius bonum est. Ibi carbunculus inuenitur & lapis prasinus. Et nomen fluuii secundo Geon. is circuit terram Aethiopiæ. Tertius fluuius est Tigris. ipse uadit contra Assyrios. Quartus fluuius ipse est Eufrates.] Per hos uult particulares uirtutes designare. hæ sunt numero quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. Cæterum maximus ille fluuius, à quo deriuantur alij quatuor, generalis est uirtus, quam quidam bonitatem nominat. Quatuor autem eius deriuationes, uirtutes totidem. Sumit igitur initia generalis uirtus ab Edem, nempe à dei sapientia: ab ea inquã quæ gaudet deliciaturq; solius dei patris maiestate sese oblectando. Ab hac uniuersali quatuor hæ deriuantur, quæ quidem fluminis in morem rigat benefacta singularum, inudans ealargis fluentis honestarum actionum. Insistamus etiam uocabula. Fluuius, inquit, exit ex Edem ad irrigandum paradysum.] Fluuius est illa generalis bonitas. exit hæc ex dei sapientia: hoc est ex uerbo dei. iuxta hoc enim uirtus uniuersalis facta est. Rigat autē paradysum hæc uniuersalis uirtus, id est, particulares uirtutes irrigat. Capita uerò accipiuntur nō localiter, sed principaliter, nam unaquæq; uirtus princeps reuera & regina est. Hæc autem uox Determinatur, idē ualet quod finitur terminis. Prudentia quid agendū determinans, fortitudo quid sustinendum, temperantia quid eligendū, iustitia quid cuiq; tribuendum. Nomen uni Phison. ipse circuit omnē terram Euilat, ubi est aurum: & aurū terræ illius optimum est. ibi carbūculus inuenitur, et lapis prasinus.] E quatuor

utor uirtutib. una species est prudentia, quæ Phison hic nominatur, ἀπὸ τῆς φειδέσθαι, id est, quod parcat animæ seruans eam à peccatis. circuit aut choreæ modo terram Euilat, id est, placidam mitem propitiamq; constitutionem conseruat. sicut autem metallorum optimū probatissimūq; est aurū, ita inter animæ uirtutes prudentia habetur probatissima. hæc autem uerba, Vbi est aurum, significant: ubi est res aureo fulgore igneoq; prædita illa preciosa prudentia, inter opes diuinas citra controuersiam pulcherrima. huic uirtuti attribuantur duæ qualitates, eius qui habet prudentiam, & eius qui utitur ea, quas carbūculo prafinoq; comparat. Et fluuiio secundo nomen Geon. is circuit omnem terram Aethiopiæ.] Figuratè hic fluuius est fortitudo. interpretatur enim Geon pectus aut cornupeta. utrunq; fortitudinem significat. nam circa pectus, ubi & cor, habet domicilium, et ad defensionem sui parata est. est enim scientia sustinendorum non sustinendorūq; & neutrorum. circuit autem & obsidet hostiliter Aethiopiam, cuius nomen si interpretetis, idem est quod humilitas. humilis autem & abiecta timiditas, cui fortitudo semper aduersatur. Tertius fluuius Tigris, qui uadit contra Assyrios.] Tertia uirtus est temperantia, resistens uoluptatib. istis quæ sibi uidentur imbecillitatem humanam corrigere. nam Assyrios in corrigētes licet uertere. confert aut concupiscentiā cum immaniſſimo animali tigride, cū qua perpetuo negocium habet temperantia. Oritur hic dubitatio, cur secunda fortitudo, tertia temperantia, prima prudentia recensatur, omiſſa mētionē uirtutū ceterarū. animad-

f 5 uerteh=

uertendum igitur tripartitam esse nostram animam, hæ-
 bereq; partes, rationalem, irascibilem, & concupiscibi-
 lem: quarum rationalis regionem capitis inhabitat, ira-
 scibilis uerò pectus, sicut cōcupiscibilis inguina. harum
 cuiq; appositam esse uirtutem propriam. rationali pru-
 dentiam. ratiocinationis enim est scientiā habere facien-
 dorum & non faciendorū. Irascibili fortitudinem, cōcu-
 piscibili temperantiā. hac enim medicamur & sanamus
 concupiscentias. Quemadmodū igitur caput prima sum-
 maq; pars est in animali, secunda pectus, inguen tertia:
 rursumq; in anima, prima pars rationalis, secūda irasci-
 bilis, tertia concupiscibilis: ita & uirtutū prima est, quæ
 circa præcipuum animæ quod est rationale uersatur, et
 circa summum caput habitat, prudentia. secunda fortitu-
 do, quia circa secundam partem, animæ quidē iram, cor-
 poris uerò pectus stabulatur. tertia tēperantia, quia cir-
 ca inguem, tertiam regionē corporis, & circa uim con-
 cupiscibilem, quæ tertium locū habet in anima, occupa-
 tur. Quartus, inquit, fluuius ipse est Euphrates.] Figu-
 ratè uerò quarta uirtus est iustitia, reuera fructifera &
 mentem exhilarans. hæc ergo quādo exoritur? cum tres
 partes animæ inter se cōsonant. hæc consonātia fit, dum
 penes præstantiorem est imperiū: ut quando ambæ ira-
 scibilis concupiscibilisq; parent habenis partis rationa-
 lis, tūc sequitur iustitia. iustum enim est ut quod præstat,
 semper & ubiq; imperet: quod deterius est, imperata
 faciat. atqui rationale præcellentius est, iuliora concupi-
 scibile & irascibile. sed ubi hæ duæ partes retrogradæ
 cōtumacesq; aurigā, id est, rationem impetu uehementi
 abstra-

abstractum superauerint, & utrauis earum momorde-
rit frenum, ibi summa est iniustitia, necessum est enim ut
ignauo auriga regente serantur in uoragines & præci-
pitia: sicut contra ut uirtute huius peritiâq; seruentur.
Præterea sic quoq; consideremus rem propositam. Phi-
son interpretatur oris mutatio. Euilat parturiens, per
quæ significatur prudentia. nam uulgus prudentem exi-
stimat eum qui more sophistarum inuentione ac elocu-
tione pollet plurimum. Moses uero talem agnoscit pro-
studioso eloquentiæ, pro prudente nequaquam. nam in
mutatione oris, hoc est eloquendi facultatis, considera-
tur prudentia: quod quidem est non uerbis sapere, sed
opere spectatum esse actionibusq; ad uirtutem compo-
sitis. Euilat uerò quasi circumscribit imprudentiâ, ne par-
turiat exitium prudentiæ, est enim proprium impruden-
tiæ nomen parturiens, quoniam imprudens mēs inter-
dum res inconcessas parturit, itidem cum pecunias amat
parturit, aut cum gloriam, uoluptatem, & id genus alia
concupiscit, cæterum cum parturit, nondum parit, ideo
non est apta ad gignendum quicquam perfectum igna-
ua anima. Quod si quando uidetur foetus gignere, abor-
tiui deprehenduntur deuorantes dimidium eius carniū,
pares morti animæ. Quapropter in sacra scriptura Mo-
sen amicum dei rogat Aaron, ut sanet lepram Mariæ, ne
fiat in parturitione malorum eius anima, & ideo dicit:
Ne fiat hæc quasi mortua, & ut abortiuum quod proij-
citur de uulua matris suæ, & deuorat dimidiū eius car-
nium. Vbi est aurum, inquit. In mentione auri dicit, Vbi
est. nam prudentia quam assimilauit auro, metallo syn-
cero,

cero, puro, pretioso, examinato igne probatoq; illic qui
 dem est in dei sapientia: & cum illic sit, non possidetur à
 sapientia: sed ubi sapientia, ibi & ipsa est, possessio dei
 conditoris & opificis. Et aurum terræ illius bonum est.
 Ergo est aliud aurum non bonum? certe est. Nam duo
 sunt genera prudentiæ, alterum uniuersale, alterum par
 ticolare. Itaq; prudentia mea cum sit particularis, nō est
 bona. nam me pereunte simul interit. Vniuersalis autem
 illa quæ dei sapientiam inhabitat ceu domicilium, bona
 est. Incorruptibilis enim in domo incorruptibili perma
 net. Ibi est carbunculus & lapis prasinus. Differunt hi
duo, prudens, & prudenter agens, alter ornatus prudē
tia, alter exercens eam. Ob hæc enim duo prudentia ter
rigent homini à deo est insita, ut sapiat & bonus sit.
 Quæ enim eius est utilitas, nisi à ratione recipiatur, &
 ei formas imprimat? itaq; recte uirtus iungitur pruden
 tiæ, & prudens cum exercēte prudentiam, duo preciosi
 lapides. Et forte hi sunt Iudas atq; Issachar, alter enim di
 uinæ prudentiæ cultorem se confitetur, gratias agens ei
 à quo bonum hoc accepit largiter, alter exercet se in uir
 tute honestisq; actionibus. Itaq; Iudas confitentem signi
 ficat, in quo Lia parere desiit. Issachar uerò bona operā
 tem, supposuit enim suos humeros ad laborādum, & fa
 ctus est uir agricola: cuius merces est (ut ait Moses) ani
 ma seminibus plantisq; confita, hoc est, non labor inuti
 lis, sed coronatus à deo & mercedem accipiens. Hæc au
 tem sic intelligi oportere indicatur per alia, quando de
 talari ueste scribitur: Et intexes in ea gemmarum ordi
 nes quatuor. Vnus ordo crit, sardius, topazius, smarag
 dus,

dius, in quo Rubim, Simeon, Leui. Et ordo secundus, inquit, carbunculus sapphirusq; Sapphirus autem est lapis prasinus, carbunculo Iudas insculpitur, quia quartus sapphiro Issachar. Cur igitur non dixit lapidem carbunculum, sicut lapidem prasinum? quia Iudas confessionis figura caret materia & corpore. Nam ipsum confessionis nomen declarat eam esse rem externam: Cum enim mens extra seipsam constituta, deo seipsam obtulerit, sicut ille risus Isaac, tunc confitetur ei qui solus uere est; quamdiu uero se causam rei cuiuspiam existimat, multum abest quin confiteatur cedatq; deo. nam & ipsa confessio debet intelligi non animæ opus, sed dei, qui ostendit ei hanc ingratitudinem. Caret igitur materia Iudas confitens, laboriosus autem Issachar opus habet materia corporea, alioqui quomodo lectioni dabit operam studiosus uirtutis absq; oculis? aut quomodo audiet sermones exhortatorios absq; auribus? aut quomodo cibum potumq; desiderabit absq; uentre & huius curiositate? ideoq; similatur lapidi. Quin & colores eorum differunt. nam illi confessorio uiro conuenit color carbunculi, is enim deo gratias agens, igne quodam acceditur, & thebriatur ebrietate quadam sobria, alteri uero etiam laboranti, color prasini lapidis, pallent enim qui se exercent præ labore, & præ timore ne forte ad optatum finem non perueniant. Querendum etiam, cur duo flumines, Phison Geonq;, regiones quasdam circumeunt, alter Euilath, alter Aethiopiam, è reliquis uero neuter: sed Tigris dicitur meare contra Assyrios, de Euphratis meatu siletur, atqui re ipsa Euphrates, & circumfluit quasdam
regio-

regiones, & ex aduerso sitas habet multas, uerum non fit hic sermo de fluuio, sed de morum correctione. Dicendum igitur prudentiam fortitudinemq; posse murum et uallum aduersus contraria uitia ducere, imprudentiam timiditatemq; expugnareq; sic ea, infirmæ enim ambo capiuntur facile. nam imprudens non ægrè in potestate prudentis redigitur, timidus itidem in fortis, at temperantia non ualet concupiscentiam uoluptatemq; circumuallare, graues enim sunt aduersariæ, nec facile expugnantur, non uides uel temperatissimos necessitate mortalis corporis ad cibos ac potus adigi? unde uentris uoluptates procedunt, satius igitur est resistere ac repugnare concupiscentiarum generi. Quapropter contra Assyrios uadit Tigris fluuius, id est contra uoluptates temperantia, porro iustitia quam nobis refert Euphrates fluuimen, nec oppugnat quenquam nec circumuallat nec habet aduersarium, quare? quia huius est suum cuiq; redere, & est loco non accusatoris, sed iudicis. Quemadmodum igitur iudex, nec uincere uult quēquam nec habere aduersarium, sed lata sententia pondus addit parti iustiori: ad eundem modum iustitia quoque cum nemini aduersetur, cuiq; rei quod suum est tribuit. Apprehendit dominus deus hominem quem fecit, et posuit eum in paradiso ad colendum operando custodiendūq;. Is qui factus est homo, differt ab eo quem deus fecit, ut dixi, ille mens est terrena magis: hic uero factus, expertior materie, & alienus ab huius corruptibili genere, cōstitutione puriore syncerioresq; præditus, hanc igitur purā mentem deus apprehendit, non sinens extra seipsam excedere:

dere: apprehensamq; collocat inter radicata^s germinantesq; uirtutes, ut operetur eas & custodiat. Multi qui se applicarunt ad uirtutis studium, circa finem defecerunt, sed cui deus largitur firmam scientiam, ei dat utrumq;: operari uirtutes indefinenter, & asseruare has tanquā in promptuario, itaq; operari ponitur pro facere, custodia autem pro meminisse. Et præceptum dedit dominus Deus Adamo, dicens: Ex omni ligno paradisi comedens comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedatis: quocūq; enim die comedetis ex eo, morte moriemini.] Quali Adamo præcipitur? quædum quisnam sit hic. Nulla enim prius eius mentione facta, nunc primum eum nominat, nū forte uult tibi illius facti hominis nomen tradere? Appellat, inquit, eum terram, sic enim uox hæc Adam interpretatur. Itaq; nunc cum audis nomen hoc Adam, terrenum corruptibilemq; intellige. nam ille ad imaginem factus, non terrenus est, sed celestis. Quærendum item, cur qui omnibus reliquis imposuit nomina, sibi nullum imposuit. Quid igitur dicendum? mens quæ inest nostrum unicuique, cætera potest comprehendere, seipsam nosse nō potest. Quemadmodum enim oculus alia uidet seipse non uidens: sic & mēs intelligit alia, seipsam non comprehendit, aut dicat quæ & unde sit, spiritus ne, an sanguis, an ignis, an aer, corpus ue aliud: uel hoc saltem, corporeā ne sit an incorporea, & postea non sunt habendi stulti qui de essentia dei differunt? Qui enim animæ suæ nesciunt essentiam, quomodo huius uniuersitatis animā exacte pernoscere poterunt? deus enim anima huius uniuersitatis intelligitur.

Merit

Merito igitur Adam, id est mens, alia nominans & comprehendens, sibi ipse nomen non imponit, quando seipsum ignorat naturamque propriam, huic præceptum datur, non illi factum ad ideam & imaginem, nam ille uel absque hortatu uirtutem per se ipse didicit: hic citra operam præceptoris nunquam potest prudens euadere, interest autem inter hæc tria, præceptum, interdictum, mandatum siue monitum, interdictum ad peccata pertinet, & sit uel apud nequam hominem: præceptum ad recte facta: mandatum ad medium hominem pertinet, qui neque nequam sit neque uirtute præditus. Nec enim peccat ut interdicto habeat opus, neque recte facit, ita ut recta ratio postulat: sed indiget admonitione, quæ abstinere à prauis doceat, exhortans ad desiderium uirtutum civilium. Ergo homini ad imaginem perfectum nec iussis nec interdictis opus est. Perfectus enim homo nullius indiget, uilis autem homo tum præcepto tum interdicto indiget, stulto uero admonitione doctrinaque opus est. Quemadmodum perfectum grammatico musico uel nullis harum artium præceptis opus est: ei uero qui aberrauerit in harum consideratione, leges præceptaque adhibenda sunt: institutio uero recens in disciplinam tradito. Merito igitur menti terrenæ, nec inter uitiosas nec inter uirtute præditas censenda sed mediæ, dantur præcepta hæc & monita, sed tam præceptum quam monitum utriusque nomine adhibetur, domini deique. Præcepit enim dominus deus, ut si quidem paruerint præceptis, dignarentur diuina beneficentia: quod si contumaces fuerint, à domino tamquam heri potestatem habente pellerentur in malam rem, ideoque
dum

dum è paradiso eijcitur, eadem repetuntur uocabula, dicit enim: Et emisit eum dominus deus è delicato paradiso, ut operaretur terram ex qua assumptus fuerat.] Ut quoniam & pro potestate dominus, & pro merito deus præceperat, rursum utroq; modo in contumacem animaduerneret, per quas enim potestates eum deduxit, per easdem inobedientem ablegauit, Præcepta autem sunt hæc: Ex omni arbore paradisi comedens comedes.] Hortatur animam ut fruatur non una quapiam arbore, nec una quapiam uirtute, sed omnibus uirtutibus. Nam istud comesse alimoniam animæ significat. Alium autem anima tractatione rerum honestarum, & actione bonorum operum. Conduplicauit autem rem, dicens, Comedens comede, hoc est commanducatum contritumq; cibum, non ut quiuis è uulgo, sed more athletarum ad parandam fortitudinē. Etenim athleticæ prædistribue præcipiunt, ne cibos concidant dentibus, sed per otium commoliant, quo ad uires proficiant: nam aliter ego, aliter athleta nutrimur. ego, tantum ut uiuam: athleta ut etiā crassescat, & robur acquirat: ideoq; unum est ex præceptis ad uirtutem se exercentium, cibum subtrahere, tale quiddam est comedendo comesse, representemus tamē id etiam diligentius. Honorare parentes, cibus & alimētum est, hos tamen aliter boni, aliter mali honorant, alteri propter uulgarem consuetudinem, qui non comedendo comedunt, sed tantum comedūt. Quando igitur etiā comedendo: cum explicatis perscrutatisq; causis, sic ultro iudicant, esse hoc officium honestissimum, cause autem sunt hæ: genuerunt nos illi, aluerunt, erudiuerunt;

Philo.to.i,

g

omnium

omnium bonorum nobis causa fuerunt. Item comesse est summum illudens colere: comedendo uero comesse, quādo ad caput nostrum causamq; respicimus, & ad referēdam gratiam. Ex arbore autē scientiæ boni maliq; nō comedetis.] Ergo non est in paradiso arbor hæc: quandoquidem hortatur ut edant ex omni paradisi arbore: idq; naturaliter, est enim in eo per essentiam, ut dixi, nō est per potentiam, sicut enim in cera per potentiam insunt sigilla omnia, actu uerò solum id quod impressum est: ita & in anima quæ est cæ similes, omnes formæ continentur potentia: reuera autē unicuique character præsens eam occupat, donec aboleatur ab alio efficacius impresso atq; manifestius. Deinceps illud quoq; perquirendum esse uidetur. Dum hortatur ut ex omni arbore paradisi comedat, unicum hortatur, dum uerò interdicat usum arboris eius quæ boni maliq; causa dicitur, ut plures alloquitur. Illic enim inquit: Ex omni comedes: hic, ne comedatis, & quocunq; die comederitis, non comederis: & moriemini non morieris. Dicendum igitur: primò rarum esse quod bonum est, malum contrā multiplex, ideo sapiente uno inuento reperitur fatuorū multitudo innumera, itaq; meritò unum hortatur innutriti uirtutibus: multos uero ut à nimia calliditate abstineāt, hæc enim utuntur innumeri, præterea ad uirtutem percipiendam tractandamq; una solum re, uidelicet ratione opus est: corpus uero etiam impedit hanc, tantū abest ut adiuuet, hæc enim ferè summa est sapientiæ, alienare se à corpore, atq; eius concupiscentijs, ut autē quis fruatur uitio, non solum mente, sed & sensu & ratione

¶

Et corpore opus est, his enim omnibus malus opus habet ad explendam suam malitiam, alioquin quò nam modo proditurus est arcana, si instrumento loquendi crearet? quomodo autem uoluptatibus fructur absq; uètrè cæterisq; sensibus? Recte igitur unam solam rationē de quærenda uirtute alloquitur, sola enim hac, ut dixi, ad eius acquisitionē opus est, contrà de uitio ad plures uerba facit, animam, rationem, sensus corporis. nam hoc apparet in his omnibus, addit tamen: Quocunq; die comederitis ex ea, morte moriemini.] Atqui post esum non solum non moriuntur, uerum etiam progignunt liberos, Et alijs uiuēdi autores fiunt, quid ergo dicendū duplicem esse mortem, alteram hominis alteram animæ propriam, hominis mors est animæ à corpore separatio: animæ uero mors, corruptio uirtutis, Et assumptio uitij, ideoq; non contentus moriturum dicere, morte, inquit, moriemini, indicans non communem hanc, sed illā æternam quæ per excellētiā mors dicitur: quæ est quoties anima insepelitur affectibus uitijsq; omnibus, atq; hæc mortes sunt inter se ferè contrariæ. nam illa corpus animamq;, quæ prius concreta fuerant, separat, hæc contrà, utrisq; conuenientibus fit, sed præpollente deteriore, uidelicet corpore: subiecta uerò anima, quæ est pars potior hominis. Quoties autem dicit, morte mori, obseruandum pœnalem mortem, non naturalem significari, naturalis porro est per quam anima separatur à corpore: pœnalis uero cum anima è uirtutis uita emoritur, Et uiuit in uita uitij, quam opinionē Mosis secutus præmodum Heraclitus ait: Viuiumus illorum mortē, mor-

tui sumus illorum uitam, ac si dicat, nunc cum uiuimus, mortuam esse animam, & tāquam monumento in sepul tam corpori, quod si mortui fuerimus, tum demum animam uiuere uita propria, liberatam à malo, mortuo uinetoq; corpore.

PHILONIS IVDÆI, SACRAE LEGIS Allegoriarum liber I I.



T abscondit se Adam & uxor eius à facie domini dei in medio arboris paradisi.] Hic introducitur dogma, quo docemur, omnem malum esse exulem, ciuitas enim sapientum propria, uirtus ipsa est, in hanc quisquis admittere nequit exulat, & nemo malus unquam in eam admitti potest, ergo solus malus hinc pellitur & exulat. Virtutis autem exul statim abscondit se à deo. nam si sapientes conspiciuntur à deo, utpote amici eius: liquet abscondi malos & celare se, tanquam inimicos hostesq; recte rationis, esse autem quemq; malum exulem careatq; domicilio testatur scriptura, dum de illo hirsuto & uitijs uario Esau loquitur: Erat autem Esau gnarus uenandi, & ruri degebat, non est enim apta malitia morū populatrix ut uirtutis ciuitatem inhabitet, ex qua inclementer

ter fugatur rusticitas, ac ruditas, at ille sapientia plenius iacob & ciuis est, & propriam uirtutem inhabitat: de quo mox subiicitur: iacob autem uir simplex domum habitabat, ideo & obstetrices quoniam timebāt deum, fecerunt sibi domos, nam quæ scrutātur occulta dei mysteria, quod est conseruare uiuos masculos, ædificāt uirtutis opera, in quibus habitare statuerunt. atq; ita iam demonstratum est, omnem malum ciuitate ~~cancere~~ domoq; cum à uirtute exulet. Qui uero uirtute ornatur, ei pro ciuitate & domo obtigisse sapientiam. Nunc uideamus deinceps, quomodo dicatur aliquis absconditus à deo. Quod nisi per allegoriam accipiamus, nequaquā potest intelligi. Nam Deus implet omnia, penetrat omnia, nihil omnino relinquens scipso uacuum, & quem locum occupabis, in quo non sit deus? attestante nobis aliq; propheta his uerbis: Deus in cælo supra, & in terra infra, nec est aliud præter ipsum, & rursum sic: Ego iam ante constitui te, deus enim omni creatura est antiq;ior, & ubiq; est, itaq; nemo potest se ab eo abscondere, & quid mirum? quando etiam creaturarum capacissimas, quicquid nobis contigerit, effugere latereq; non possumus, aut effugiat quispiam terram, aquam, aerem, cælum, uel mundum hunc uniuersum, in his enim contineamur necesse est, certe extra mundum nemo exulare potest, & poterit aliquis abscondi à deo, cum nec mundum nec partes eius, effugere ualeat? minime gentium. Quid est igitur illud, Absconderunt se? Malus qui uis putat esse deum in loco, nec continere, sed contineri: ideoq; putat se abscondi: tanquam illa summa causa absit ab ea

parte, in quam ipse illatebrare se decreuit, id ita potest
intelligi, in malo homine opinio de deo uera obscura-
tur cœlaturq; est enim plena tenebris, nullam habens il-
lustrationem diuinitus, per quam res circumspiciat, ta-
lis autem à diuino choro exulat, tanquam leprosus et la-
borans profluuiio seminis: alter, deum & creaturâ con-
trarias naturas diuersi coloris in idem cogens ut causas,
cum unica sit causa efficiens: alter gonorroicus, ex mun-
do ducens, & in mundum omnia, adeo nihil factum exi-
stimans, Heracleti opinionis socius, satietatem indigen-
tiamq; introducens, & unum uniuersum, uicesq; rerum
omnium. Quapropter diuina lex ait: Eijciant è castris
animæ omnem leprosum, & omnem qui semine fluit,
& omnem pollutum in anima tam masculum quàm fœ-
minam, eosq; quibus fracta execta; sunt animæ genita-
lia, scorta quoq; unius dominationem fugientia, quibus
diserte interdictum est ne concionem dei frequentent, at
sapientes cogitationes tantum abest ut abscondantur,
ut manifestæ esse cupiant. Non uides quòd Abraham sta-
bat adhuc in loco domini, & accedens ait, Ne perdas iu-
stum cum impio, manifestum tibi notumq; una cum fu-
gitiuo proripiente se abs te, hic enim est impius: iustus
autem qui stat in conspectu tuo non fugiens, te enim so-
lum domine honorari iustum est, non sic autem im-
pius ut pius eripitur, sed satis est solum iustum ser-
uari: quapropter dicit: Ne perdas iustum cum impio
satis digne enim nemo deum colit, sed iuste tantum, cum
enim ne parentibus quidem, dignam referre ualea-
mus gratiam, quando quidem non possumus eis gignēdi
uicem

uicem reddere: an non impossibile est deo uicem reponere mutuam, aut laudem illo dignam, qui omnia ex nihilo condidit? omnem enim uirtutem largitur. tribus igitur temporibus, ô anima, id est, tripartito tempore, tota coram deo semper compareas, non fœmineum ullum affectum tecum trahens, sed uirilem; fortem exercitatumq; rationem ceu suffitum offerens. tribus enim anni temporibus comparere omne masculinum coram domino Deo Israelis, sacra lex præcipit. Quamobrem Moses quoque quando manifestus deo consistit, fugit morem Pharaonis disperditorium, qui iactat se quod nesciat dominum. Seceſſit, inquit, Moses à facie Pharaonis, & habitauit in terra Madiam, id est iudicio naturæ operum, seditq; super puteum.] expectans quidnam boni deus ad potum ceu pluuiam immissurus esset sitienti, desiderantiq; animæ. secedit sanè à Pharaone, hoc est, ab opinione impia qua reguntur affectus, & secedit in Madiam, id est iudicium, deliberans utrum quiescere satius sit; an cum illo malo aduersario subire iudicium capitis. difficit autem an non aggressus ualeat euincere. & i= deò cunctatur, expectans, ut dixi, daturusne sit deus profundæ nec leui cogitationi fontem idoneum ad inundandum impetum regis Aegyptij, hoc est ipsius affectuum. impetrat tamen gratiam. quippe uirtuti militans non cessat à bello, priusquam uideat prostratas uoluptates & defectas uiribus. quapropter non fugit Moses à Pharaone: alioqui nunquam reuerteretur: sed secedit, hoc est, inducias facit athletæ more paulum

respirantis & recolligentis spiritum, donec accitis prudentiæ cæterarumq; uirtutum auxilijs, per sermones dei cum ualidissima potentia rem aggrediatur. Iacob autem, ut supplantator, compendarijs artibus uirtutem adeptus sine puluere, alioqui non uocandus Israel mutato nomine, fugit Labanis negocia, id est, colores, figuræ, et in uniuersum corpora, quorum natura est ut mentem per sensibilia uulnerent. nam quia conflictâdo non poterat ea deuincere, modo uincat mauult fugere, laudandus sanè hoc nomine. Cautos enim, ut inquit Moses, faciet filios prophetæ, non audaces, & rerum ad se minus pertinentium cupidos. Noluît, inquit, aperire Iacob Labani Syro quòd fugeret. & fugit tam ipse quàm omnia quæ iuris sui erant, transmissioq; anne perrexit contra montem Galaad.] Naturaliter enim montes ad cælandos fugitiuos sunt appositissimi, & ad non prodendos Labani pendenti à cogitationibus sensibilibus. quale est, si pulchritudine conspecta captus periclitaris ne offendas ad eam, fuge clàm ab eius imaginatione, nihil amplius menti renunciâs, hoc est, caue mediteris eam & cogitatione repetas. Nam continuæ reminiscentiæ ueras formas imprimendo lædunt mentem, & inuitam concitant. Atq; eadem est ratio sensuum omnium quicunq; nos attrahunt ad aliquid. in his enim clancularia fuga saluti esse solet. cunctatio uerò, enunciatio, dilatioq; superat rationem & in seruitutem redigit. Quapropter caue anime ne unquam rem sensibilem à qua periculum imminet tibi ipse renuncies, nèue retractes eam, ne fortè succumbens ei reddaris infelicißimus: fuge potius

tius manumittens teipſe, libertatē ſeroceſ ſeruituti manſuetæ præſtrens. Sed cur nunc quaſi Iacob neſciret Labanem Syrum eſſe loquitur ſic: Noluĩt Iacob aperire Labani Syro. habet id quoq; rationem non prætereundam obiter. Syria ſublimis interpretatur. itaq; Iacob mens exercit. cum uidet affectum humilem, non cedit, reputans fore ut uincat egregiè. Quando uerò uidet ſublimem & erecta ceruice tumidum, auſugit primum ipſe, mox ſingula eius exercitia, lectiones, meditationes, curationes, rerum honeſtarum memoria, continentia, officia, atq; ita traijcit rerum ſenſibilium fluuium, qui inundat & mergit ui affectuum animam, quo traiecto pergit ad altam ac ſublimem rationem perfectæ uirtutis. perrexit enim ad montem Galaad, qui interpretatur migratio teſtimonij, poſtquam deus migrare fecit animam ab affectibus Labanicis, & autoritate ſua confirmauit eam migrationem, ut conferentem ipſi ac perutilem, ut quæ eam ab humilibus uitijſ & à terra ſe attollere non ſinentibus adducat ad celſitudinem uirtutis & præminentiam. ideò qui ſenſus amat Laban, eoſq; magis quàm mentem in actionibus ſuis ſequitur, indignatur, perſequitur, & increpat: Cur inſcio me fugam moliris,] ac non potius manes in delicijs corporis, opinionibusq; quæ ad corpus pertinent, & res externas dijudicant? tu uerò non contentus ab eis fugere, prædatus es meã quæque prudentiam, Liam unà cum Rachele. nam hæ quãdũ manſerunt in anima, prudentiam gignebant in ea: nunc poſtquam migrarunt, reliquerunt ibi ruditatem & ignorantiam. ideò addit, Cur furatus es res meas? id

est furto subtraxisti. quam autem dicat, ipse indicabit addens: & abegisti filias meas tanquam captiuas: quod si indicasses mihi, prosecutus fuisset te.] Imò non fuisset prosecutus cum rebus tam aduersis & pugnantis. nam si prosecutus fuisset reuera & liberasset animam, amouisset ab ea sonos omnes corporeos & sensibiles. sic enim intellectus liberatur à uitijs & sensibus. nunc ais quidem te liberam eam emittere. re autem ipsa fatearis, quod detinueris eam in carcere. nam si eam cum instrumentis musicis, tympanis citharisq; , alijsq; singulorum sensuum uoluptatibus prosecutus fuisset, non uerè deduxisset. nec enim te solum ô Laban corporum colorumq; socie fugimus, sed etiam tua omnia, inter quæ sensibiles quoq; uoces actionibus affectuum consonant. meditati sumus enim, siquidem uirtutem exercemus, meditationem necessariam, quam & Iacob ante nos, perdere corrumpereq; deos alienos animæ, istos inquam deos fusiles, quos Moses ne faciamus uetuit. hi sunt uirtutes ac bonorum affectuum interitus, uitij uerò malorumq; affectuum confirmatio. quod enim liquatur, semel dissolutum consistit denuo. nam sic legimus: Et dederunt ei omnes deos alienos quos habebant in suis manibus, & in aures quæ erant in auribus suis: & defodit eas Iacob subter terebinthum quæ est in Sicimis.] hi sunt dij malorum hominum. at Iacob non dicitur hos accipere, sed defodere & abolere penitus. nam homo ciuilis nihil superfluum accipiet à malicia, sed è medio tollet clam & defodiet. Sicut Abraham cum rex Sodomorum conaretur ei bruta reddere pro rationalibus, equos pro uir-

ris

ris, negat se quicquam accepturum ex rebus illius: sed extensurum animæ actionem, quam figuratè manum nominat, ad deum altissimum. nec enim accepturum se quicquam suum à funiculo usq; ad corrigiam caligæ, ne ille diceret prophetam à se ditatum: & ne ipse uideatur paupertatem cum uirtute coniunctam posthabuisse diuitijs. cælantur autem & asseruantur semper affectus in Sicimis: quæ uox interpretatur succollatio. nam qui laborat ob uoluptates, libenter asseruator earum est. apud sapientem uerò corrumpuntur & per-eunt, non intra breue tempus, sed hodie, hoc est semper. nam æuum omne hodierno metimur. est enim totius temporis mensura diurnus ambitus. & ideo Iacob dat Iosepho Sicima tanquam portionem eximiam res corporeas sensibilesq;, exercenti se in talibus. Iudæ autem confessori, non dona, sed laudes hymnosq; & cantiones quibus celebretur à suis fratribus. Cepit autem Iacob Sicima non à deo, sed arcu gladioq; suo, uerbis uim secandi repugnandiq; habentibus. nam etiam secundarias res sapiens sibi subijcit: sed eas non asseruat, malens largiri natis ad talia. non uides quod nec deos acceperit, quamuis uisus accipere, sed defodit occultauitq;, & aboleuit in omnia secula? Cuinam igitur animæ contigit defodere abolereq; uitium, nisi cui Deus apparuit, & quam ineffabilibus arcanis dignatus est? ait enim: Num cælare potero Abraham seruum meum, quæ gesturus sum? Euge seruator, quia tua facta ostendis desideranti res honestas animæ, & nihil clàm operaris in ea, ideo ualet fugere maliciam, &

cælare

celare atq; tegere, & interimere semper cupiditates noxias. Postquam declarauimus quomodo malus omnis exul sit, & abscondat se à deo, consideremus iam, ubi nam abscondatur. In medio, inquit, arboris paradisi.] Hoc est, in medio intellectu, qui & ipse est tanquam medius paradisi, uidelicet totius animæ. Nam quisquis à deo fugit, confugit ad seipsum. Cum enim duo sint intellectus, alter uniuersalis, qui est deus, alter suus cuiusq;, quisquis à proprio fugit, confugit ad uniuersalem. Talis autem relicto intellectu proprio, fatetur, nihil esse intellectum humanum, ad deum omnia referens. cōtrà quisquis fugit à deo, negat eum causam ullius rei, sibi ipse quid facit tribuens. Multi enim multa loquuntur, quòd totius mundus suo pte impetu feratur sine prouidentia: artes autem, studia, mores, leges, instituta priuata publicaq;, ius commune hominum quo erga se inuicem, & erga bruta utuntur, humanæ tantum mentis esse inuenta. Sed uides ô anima harum opinionum diuersitatem. altera relicto particulari intellectu, ut generationi ac morti obnoxio, uerè ascribit illi uniuersali tam ingenito quàm incorruptibili omnia. è contra altera deum reijciens, eum qui ne seipsum quidem iuuare potest intellectum, per errorè trahit in auxilium. Ideoq; Moses pronunciat: Si fur parietis perfossor in ipso facto ictus moriatur, non imputatur cædes. quòd si exorto sole fur occisus sit, percussor quoq; morietur reus homicidij. nam si quis incolumem sanam rectamq; rationem pertundat dirumpatq;, quæ attestatur dei omnipotentie, & in hoc facto deprehendatur, scilicet perfregisse concidissq; propriæ

proprie menti plus autoritatis quàm deo tribuendo, is fur est res alienas furtim subtrahens. deus enim omnia possidet. itaq; quisquis sibi aliquid tribuit, aliena usurpat: simulq; vulnus accipit grauißimum & insanabile, arrogantiam, cognatam ruditati & ignorantiæ. percussor autem securus sit. nec enim est alius quàm ipse percussus. sed sicut is qui seipse fricat, fricatur quoq;: & qui seipse extendit, extenditur quoq;: quippe qui tum agentis uim. tum patientis affectionem obtinet: sic is qui suratur res dei sibi ascribens, ab impietate simul atq; arrogantia discruciat. talis utinam percussus moriatur, hoc est inefficax perpetuo maneat. minus enim peccare uidebitur. Nam uitium partim in habitu, partim in motu consideratur. Quod autem mouetur, iam ad effectum uergit, ideò peius quàm id, quod tantum est in habitu. ergo si talis cogitatio moriatur, quæ existimat se causam rerum, non deum, id est quiescat seq; compescat, nulla est cædis actio. nec enim sustulit uiuam opinionem illam quæ omnipotentiam deo tribuit. Quod si sol oriatur, id est, clarus intellectus qui nobis inest, uideatur omnia dispicere præesseq; rebus omnibus, ita ut nihil ipsum lateat, reus erit, & talionem mortis feret ob uiuam opinionem quam sustulit, asserentem deum causam rerum omnium: cum ipse deprehēdatur inefficax uereq; mortuus, & mortuæ inanimis erroneæq; opinionis inuentor. Ideoq; sacra lex execratur eum qui ponit sculptile in abscondito, aut fusile opus manuum artificis: nimirum prauas opiniones, quòd in deum qualitatibus expertem cadat qualitas sicut in sculptilia: et quòd corruptibilis sit, sicut fusilia

fusilia, ille incorruptibilis. Reponis ô cogitatio thesau-
 rizasq; intra te, sed grauaris in medium proferre indo-
 ctas persuasiones quas didicisti apud ueritatis aduersa-
 rios. deprehenderis tamen proculdubio in graui mora
 bo animæ, uidelicet ignorantia, cuius curationem non
 admittis. Quòd autem homo malus in illum uulgarem
 suum intellectum abscondatur, ueritatem fugiens, testis
 erit Moses, qui percussum Aegyptium defodit in sabua-
 lo, id est, conuicit eum qui se putabat regimen habere
 corporis, animam nihili faciens, & uoluptatem finem
 expetendum iudicans. Cum enim animaduertisset labo-
 rem uidentis deum, impositum ei à rege Aegypti, hoc
 est ab affectuum duce malicia, uidit hominem Aegyp-
 tium, humanam fragilemq; affectionem, quæ pulsabat
 cædebatq; uidentem. cumq; circumspexisset totam ani-
 mam hac & illac, nec uidisset quenquam ibi stare præter
 uerum deum, cætera uerò in agitatione iactationeq;,
 percussum conuictumq; uoluptatis amatorem defodit
 in intellectu uulgari & collecticio. nullam habente co-
 gnationem familiaritatemue cum honestate. hic in sei-
 psum abditur. at huic contrarius à seipso fugiens confu-
 git ad deum rerum omnium. ideo dicit scriptura: Edu-
 xit eum foras & dixit: Suscipe in cælum, & dinumeras
 stellas eius] quas uellemus quidem comprehendere nu-
 mero & circumspicere, quippe cum simus amatores
 uirtutis insatiabiles: sed impossibile est nobis permetiri
 Dei diuitias. Nihilominus gratias agimus largitori, qui
 sic immisit in animam semina præclara splendida, per-
 pætuosq; uigentia, sicut stellas in cælum. non temere au-

tem addit, *Eduxit eum foras.* quis enim intro educitur? sed fortasse quod dicit tale est. *eduxit eum in extimam regionem,* non in aliquem externum locum, qui potest contineri ab alio. sicut enim in ædibus intimo conclavi matronali exterior est ea pars in qua uiri uersantur, item hac exterius atrium, inde uestibulum, mox ianua: sic & in anima aliud alio potest esse exterius. itaq; intelligere debemus, mentem educatam esse in extima. Quid enim proderat, reliquisse corpus, & ad sensum confugere? quid sensui ualedicere, & rationi se submittere? oportet enim ut qui mentem educaturus est relinquat eam liberam, immunem ab omnibus corporeis necessitatibus. instrumentis sensitiuis, ratiocinationibus sophisticis persuasionibusq; denique à seipsa. quapropter alibi gloriatur, dicens: Dominus Deus cæli, & Deus terræ, qui desumpsit me de patre meo. impossibile est enim habitantem in corpore & mortali genere, cum deo colloqui, sed eum solum quem deus eruit ex hoc carcere. quamobrem & Isaac ille gaudium animæ, meditaturus & priuatim acturus cum deo, egreditur relicto seipso menteq; propria: Egressus est, inquit, Isaac in campum ut meditaretur sub uesperam. Moses quoque propheta dicit: cum egressus fuero ciuitatem, id est, animam (nam hæc quoq; est animantis ciuitas, mores legesq; præscribens) extendam manus] extēdam & explicabo meas actiones deo; testem inspectoremq; singularum inuocando, cum malicia suopte ingenio quærat latebras. est autem explicari, uideri manifeste, cum igitur anima in omnib. sermonib.

ac operibus explicata fuerit & spectandam se præbuerit, cessant uoces sensuum, omnesq; infasti soni atq; turbulentii. inclamat enim & ad seipsum uocat, uisibile quidem uisum, uox autem auditum, & uapor odoratum, & in uniuersum sensibile quodq; suum sensum inuitat. hæc autem omnia quiescunt, cum egressa animæ ciuitatē cogitatio, meditationes actionesq; suas refert ad deum. Sunt enim manus Moysi graues. nam cum hominis mali actiones subuētaneæ leuesq; sint, merito sapientis graues habentur, immobiles inconcussæq;: ideoq; fulciuntur ab Aarone ratione, & ab Or lumine, quod nulla lux in rebus sit clarior quàm ueritas. Vult igitur scriptura figuratè docere te, sapientis actiones necessario fulciri ueritate rationeq;: & hæc est causa cur Aaron ad finem, hoc est perfectionem tendens, montem Or, id est lucem, ascendit. finis enim rationis ueritas est, quæ longius quàm ullum lumen splendorem suum emittit, in quam ratio conatur ingredi. Non uides quòd etiam acceptum à deo tabernaculum, id est sapientiam, sub cuius umbra sapiens habitat, fixit, firmauit, consolidauitq;: non in corpore, sed extra corpus? castris enim id facit simile, exercitui occupato armis & molestijs quas secum bellum trahit, cui non sit integrū pacem admittere. Et uocatum est tabernaculum testimonij] sapientia testimonium habens è deo. etenim omnis quærens dominum egrediebatur. Egregiè. nam si quæris deum anima, à te ipsa egressa illum quære. donec enim manes in molibus corporeis aut mentis opinionibus, non es apta ad quærendas res diuinas, etiā si præ te feras quærendi studium.

an

an autem querendo inuenturus sis deum, incertum est. multis enim non manifestat seipsum. Dices te simpliciter seduloq; dare operam ut eum cognoscas. conducit sane ad fruendum rebus bonis, uel solum querendi studium. semper enim appetitio rerum honestarum etiam si ad metam non perueniat, tamen homines studiosos a lacritate præoccupat. eodem modo malus fugiens uirtutem, & abscondens se à deo, ad infirmum auxilium confugit mentem propriam. probus contra fugiens à se ipso, uertit se ad cognitionem illius unius, uincens cursu certamineq; omnium longè præstantissimo. Et uocauit dominus deus Adamum, & dixit ei, Vbi es? Cur solus Adam uocatur, quamuis uxor una lateat? dicendum igitur primum quid sibi uelit illa uox, Vbi es? quando mens redarguitur, & ad mutationem trahitur, non solum ipsa uocatur, uerum etiam omnes eius potentie. nam absq; suis potentijs mens ipsa nuda nihil esse inuenitur. ex ijs potentijs & sensus est, nimirum mulier. Vocatur ergo cum Adamo mente uxor quoq; sensus scilicet: seorsum autem non uocatur. Quid ita? quia cum sit brutus per seipsum redargui non potest. nam nec uisus nec auditus, nec ullus alius sensus est docilis. proinde non potest res percipere: eo quod ei sola corpora discernendi facultatem opifex indidit. mens autem ipsa est quæ doctrinam admittit. quæ de causa hanc, non sensum, deus uocat. quod autem dicit, ubi es? plures interpretationes recipit. unam, ut non interrogatio sit, sed affirmatio, ac si dicat, In eo loco es, accentu graui Vbi proferens. putabas deum in paradiso deambulare,

Philo. to. 1.

h

continet

contineriq; ab eo, disce hoc esse tuum accidens, & audi
 sententiam uerissimam ab eo cui cuncta sunt cognita;
 deum esse nusquam. nam ipse non continetur, sed uniuer
 sa continet. quicquid autem in loco est, id contineri,
 non continere, necessariò sequitur. secundo modo di
 ctum id perinde ualeat ac si dicat, quò deuenisti ò anima,
 pro qualibus bonis qualia elegisti mala? à deo uocata ut
 fieres uirtutis particeps, uertis te ad uitium? & cum
 frui datum sit arbore uitæ, id est, sapientia, saturata es
 ignorantia corruptioneq;: quia maluisti mortis animæ
 infelicitatem, quàm ueræ uitæ felicitatem. tertius modus
 est per interrogationem, ad quam responderi potest du
 pliciter. primum si quærenti ubi es, respondeatur nus
 quam. nullum enim locum habet mali hominis anima,
 cui uel insistat uel insidat. ideo malus Græcis dicitur
 ἀτροπος. sic enim appellant malum cuius nusquam usus
 est. talis autem est homo inciuilis, fluctuans semper &
 agitatus, uagusq; in morem incerti flatus, nullius omni
 no amicus constantis sententiæ? altera autem responsio
 talis esse potest, qua etiam Adam utitur. Vbi sim audi:
 ubi hi qui deum uidere non possunt, ubi qui deum non
 audiunt, ubi qui ab autore omnium rerum uolunt se ab
 scondere, ubi qui uirtutem fugiunt, ubi qui exuti sunt sa
 pientia, ubi qui metuunt tremuntq; præ infirmitate ti
 miditateq; animæ. cum enim dicit: Vocem tuam au
 diui in paradiso: & timui eo quod nudus essem, & ab
 scondi me.] omnia quæ modo memorauimus dicit, sicut su
 pra declarauimus prolixius. quamuis nudus non sit nunc
 Adam. Fecerunt sibi perizonata, paulò ante dictum est:
 sed

sed uult scriptura sic quoq; te docere, nuditatē nequam
 quam corporis hic intelligendam, sed iuxta quam mens
 nuda & uirtutis expers deprehenditur. Mulier, inquit;
 quam dedisti mecum, ipsa dedit mihi de arbore, & co-
 medi.] Bene quòd non dixit, mulier quam dedisti mihi;
 sed mecum. non enim mihi ut possessionem sensum dedi-
 sti, sed & ipsam siuisti solutam ac liberam, & quodam-
 modo non subiectam decretis meis mandatisq;. Quod si
 uoluerit mens imperare uisui ne uideat, nihilominus is
 subiectum suum uidebit. itidem auditus quotiescunque
 uox illabetur, eam omnino percipiet, etiamsi mens con-
 tentiose interdicit ne audiat. odoratus quoq; uapores
 ad se uenientes olfaciet, etiamsi mens uelit obfistere. pro-
 pterea deus non dedit sensum animali, sed cum animali.
 cunctas autem res mens nostra cum sensu cognoscit, si-
 mulq; cum eo iudicat. Quale est quod uisus unà cum
 mente percipit rem uisibilem: & quamprimum oculus
 uidit corpus aliquod, mox mens rem uisam percipit esse
 nigram albā, uel aut giluiam uel puniceam, aut trian-
 gulam, quadrangulam, rotundā, uel quouis alio co-
 lore figurā, uel præditam. item mox ut auditus à uoce i-
 ctus est, mens etiam præsto fit, uel hoc argumento, quod
 continuo uocem eam iudicat, exilisne an grandis sit, in-
 dulatāne concinnaq;, an contra inconcinna, & alie-
 na ab harmonicis legibus. idem licet obseruare in alijs
 sensibus. Quin & illud quàm appositè dictum: ipse mihi
 dedit de ligno. id enim quod ligneum sensibileq; inest in
 mente, nemo nisi sensus ei dat. Quis enim ei dedit cognos-
 cere corpus aut albedinem, nisi uisus? quis ut uoces

h 2 dignos

dignoscat, nisi auditus? quis ut uapores, nisi odoratus? quis ut sapes, nisi gustus? quis ut asperum à molli, nisi tactus? Rectè igitur & uerissimè dicit mens, ut corpora percipiam solus sensus mihi dedit. Et dixit deus mulieri, Quare hoc fecisti? quæ respondit: Serpens decepit me & comedi.] Aliud à sensu scitatur deus, aliud sensus respondet. De uiro enim interrogatus, non de hoc respondet, sed de seipso, fatendo se comessse, non comedendum præbuisse. Quid si per allegoriam soluamus quæstionem, & ostendamus mulierem rectè ad interrogationem respondisse? consequitur enim necessariò, ut postquam ipsa comedit, edat uir quoq;. Quoties enim sensus subiectum suum appetens, satiatus imaginatione fuerit, confestim & mens accedit simulq; fruatur, quodammodo explens se cibo accepto ab eo. hoc est quod ait, Inuita marito dedi. nam ille, me contrectante subiectum meum, pro ingenio suo concitabili, imaginationem impressit sibi. Obserua autem quòd uir quidem ait mulierem sibi dedisse: mulier uerò serpentem non dedisse, sed decepisse. Sensus enim proprium est dare, uoluptatis autem uariæ serpentinæq; fraudare ac decipere. Verbi gratia, album naturaliter nigrumq;, calidum & frigidum dat sensus menti, non decipiendo, sed ueraciter. Nam talia sunt hæc subiecta, qualis & inde procedens imaginatio, sicut pleriq; aiunt, qui minus accurate scrutantur physiologiam. At uoluptas non quale est subiectum, tale id agnoscit cogitatione: sed addit arte mendacium, rem inutilem transferens in ordinem utillum: sicut meretrices deformes uidere licet fucantes pingentesq;

gentesq; faciem, ut tegant suam deformitatem: & intemperantem prouum ad uentris uoluptates. hic meri copiam & ciborum apparatus amplectitur, tanquam rem bonam, lædens interim horum abusu tam corpus quàm animam. Rursum amatores uidere licet sæpe insanire in mulierculas aspectu turpissimas, uoluptate decipiente & tantum non percensente, quòd bona forma, bonus color, bona habitudo & membrorum proportio his insit quæ habent omnia contraria. itaq; uerè pulchras in quarum forma nihil desideres contemnunt, illas uerò quas dixi depercut. ergo omni uoluptati decipere est proprium: dare autem sensui. Nam illa circumuenit mentem seducitq;, non qualia sunt subiecta ostendens, sed qualia non sunt. at sensus planè sic offert corpora, ut sunt à natura facta, semotis technis fucisq;. Et dixit dominus deus serpenti: Quia hoc fecisti maledictus es inter omnes pecudes, & omnes bestias terræ. super pectus & uentrem tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus uitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius. Ipse seruabit caput tuum, tu eius calcaneum.] Quam ob causam non expectata defensione execratur serpentem, cum iubeat alibi, audiri ambos inter quos res controuertitur, non præmaturè alteri credere? atqui uidet quòd Adamo non credidit prius quàm mulieri, sed inuitat eam ad defensionem percontando, quare hoc fecisti? at illa errasse se fatetur, deceptam à uoluptate serpentina & uaria. Quid igitur uetabat etiam muliere

h 3 dicente

dicente, serpens me decepit, percontari ipsum deceptumne, potius quàm indicta inauditaq; causa execrari? Dicendum igitur quòd sensus nec inter bona nec inter mala censetur: cum sit medium quiddam sapienti stultoq; commune, & in stulto fiat malus, sicut contrà in sapiente bonus. Meritò igitur quandoquidem naturam per se malam non habet, sed utriq; parti fauens, & ad bonum & ad deterius propendit, non prius damnatur quàm confessus secutum se deteriora. at serpens uoluptas suopte ingenio mala est. eam ob rem in bono ne inuenitur quidem omnino, sed solus malus est eius particeps. itaque iure optimo non permissam respondere execratur deus, utpote nullum semen uirtutis in se habentem, sed semper & ubiq; scelestam atq; reprehensibilem. Quapropter etiam illum Ir absq; causa manifesta malum nouit deus & interficit, uidelicet corpus molem nostram coriaceam. Ir enim coriaceus interpretatur. quem malum esse & insidiatorem animæ non ignorat, & insuper cadauer semper mortuum. Quid enim aliud unusquisq; nostrum facit, quàm quòd corpus suapte natura cadauerosum circumfert, excitante id & sine labore gestante anima: cuius robur si libet considerare. uel robustissimus athleta non ualet breui tempore suam baiulare statuam: anima uerò interdum usq; centesimum annum indefessa fert statuam hominis leuiter. non enim nunc cum interemit, sed iam inde à principio mortuum corpus factum est. Est autem suapte natura malum, ut dixi, & insidians animæ, sed coram solo deo,

&

¶ si quis amicus deo. ait enim: coram domino malus. Ir.] nam mens quando in sublimibus uersando initiatur domini mysterijs, malum & inimicum corpus iudicat. Quando autem absistit à scrutandis rebus diuinis, amicum sibi cognatum germanumq; existimat. confugit igitur ad ea quæ huic cara sunt. Quapropter athlete anima differt ab anima philosophi. nam athleta omnia refert ad bonam corporis habitudinem, cui uel animam ipsam impenderet, utpote amator corporis. at philosophus cum sit honestatis amator, curam gerit eius quæ in se uiuit animæ, neglecto mortuo corpore, non aliud spectans, quàm nequid optima anima patiatur à colligato sibi malo cadauere. Vides quòd hunc Ir interficit non dominus, sed deus? non enim quatenus imperat & regnat liberam exercens potentiam, interficit corpus: sed quatenus bonitate humanitateq; utitur. Nam deus bonitatis nomen est, ut scias quod etiam res inanimatas non potentia, sed bonitate condidit, eadem qua animatas. oportebat enim quo magis elucerent meliora, etiam deteriora produci à potentia huius ipsius bonitatis summæ causæ, quæ deus est. Et quando ô anima uideberis tibi maxime cadauer baiulare? num quando initiaberis & præmijs coronisq; dignaberis? tum certè amatrix eris dei non corporis. consequeris autem præmia, quando uxor tibi contigerit illa Iudæ sponsa Thamar, quæ interpretatur palma uictoriæ symbolum. argumentum est, quòd quando eam ducit Ir, mox & malus inuenitur & interficitur. ait enim, Dedit Iudas uxorem primogenito suo Ir, nomine Thamar. & subdit: fuitq; Ir malus

h 4 coram

coram domino, & interfecit eum deus.] Mens enim quando præmia uirtutis accipit, mulctatur morte istius cadauerosi corporis. Viden ut & serpentem inauditum execratur? uoluptas enim est. & Ir absq; causa manifesta interficit? est enim corpus. quod si consideres ô bone, inuenies deum fecisse in anima quasdam naturas reprehensibiles ex se obnoxiasq;, quasdam usq; quaq; bonas & laudabiles, itidem sicut in stirpibus animalibusq;. an non uides quòd stirpium alias mites, utiles, salutiferas, creauit opifex? alias syluestres, noxias, morbiferas simul & mortiferas? & animalia similiter? ut hunc ipsum serpentem de quo nunc loquimur, animal suapte natura letiferum & factum ad perniciem. hoc sic afficit hominem, ut uoluptas animam. ideoq; serpenti uoluptas assimilatur. ergo sicut uoluptatem & corpus deus nulla certa de causa odit: ita etiam naturas bonas absq; manifesta causa extulit, nihil potius aut prius habens quàm ut eas laudaret. Nam si quis roget, cur Noe dicatur inuenisse gratiam coram domino deo, priusquam aliquid boni fecisset, quantum quidem nos scire possumus, rectè respōdebimus, liquere quòd laudator sit creationis & generationis. Nam Noe interpretatur requies aut iustus. necesse est autem eum qui cessans à peccatis & iniquitatibus, requiescit in honestate & uiuit cum iustitia, gratiam inuenire apud deum. porrò inuenire gratiam, non id tantum significatum habet quod quidam usurpant, pro placere: sed & tale quid: iustus querens rerum naturam in hoc inuenit inuētum optimum, quòd gratia dei sint quæ sunt omnia. sibi enim creando gratifi-

gratificatus est nihil, quando illi nihil inde accessit. in deoq; tantum gratiam profundere propriū est ei. Quæ rentibus igitur principium creaturæ rectè respondebitur. bonitas & gratia dei, quam largitus est humano generi. nam munus, beneficium, gratia dei sunt omnia quæ mundo continentur, & mundus ipse insuper. Melchisedec quoq; regem pacis, hoc est Salem (sic enim interpretatur) sacerdotem sibi constituit deus, nō expreso eius aliquo merito, sed quia talem ipse fecerat, regem, pacatum, primum dignum suo sacerdotio. nominatur enim rex. rex autem aduersatur tyranno, quod ille ius & æquum, hic iniquitatem introducat in rempublicā. ergo tyrannica mens mandat mandata infesta tum animæ tum corpori ac noxia, magnasq; molestias inferentia, uitiosas actiones, & uoluptates quæ nascuntur ex asfectibus. altera uerò mens est rex: quæ non imperat tantum, sed paret etiam: quando præcepta eius talia sunt, ut anima his adiuta ceu naui per totā uitam prosperè nauiget, gubernante illo bono peritoq; gubernatore: qui non alius est quàm uera ratio. uocetur. igitur tyrannus quidem, princeps belli: rex uerò, dux pacis Salem: offeratq; animæ alimēta plena læticiæ gaudijq;. panes enim & uinum offert, quæ Ammanitæ Moabitæq; illi uidenti præbere noluerant. quam ob causam arcentur à concione coetuq; diuino. Ammanitæ enim è genitrice sensuualitate nati, & Moabitæ ex intellectu genitore, figuræ duæ sunt: per quas significantur qui res istas ab uniuersitate contentas pensitant, scilicet intellectum sensumq;, deum autem non cogitant, Non ingredientur, inquit

Moses, concionem domini, quia non occurrerunt nobis cum panibus & aqua, exeuntibus ex afflictionib. Aegypti.] ceterum Melchisedec pro aqua uini offerat, potetq; ac confirmet animas, ut occupentur diuina ebrietate, quæ est omni sobrietate magis sobria. sacerdos enim est ratio, sortem habens Entem ipsum, de quo sublimiter sentit & admodum magnificè: est enim sacerdos altissimi. nō quod alius sit non altissimus. nam deus cum sit unus, tum in cœlo est supra, tum in terra infra, nec est ullus præter ipsum. sed ut nō submisce humiliterq; uerim celsius sublimiusq; quàm de quauis materia sentiamus de deo, adhibet appellationem altissimi. Quid porro boni fecerat Abraham, quando iussus est migrare procul patria cognationeq; & habitare terram quam deus ipse dederit? ea uerò est ciuitas bona, ampla, felicissima. nam dona dei magna preciosaq; sunt. ueruntamen hæc quoque figura fuit non contemnenda. interpretatur enim Abraham, pater sublimis, laudandus utroq; nomine. Mens enim quando non herili more animam terreat, sed paterno imperat, non indulgens ei suauia, sed uel inuitæ obtrudens utilia: omisitq; omnibus rebus humilibus & ad mortalia ducentibus sublimis immoratur contemperationi mundi eiusq; partium: atq; etiam altius ascendens numen ipsum scrutatur eiusq; naturam propter immensum amorem scientiæ: non potest manere in decretis pristinis, sed cupit migrare ad meliora. nonnullos autem deus uel ante natiuitatem pulchrè fingit disponiq; , destinans ad sortem optimam. an non uides quid de Isaac loquatur Abrahamo,

ne

ne speranti quidem ex se patre talem progeniem, atque adeo ridenti promissionem dicētiq; : Itā ne gignet homo centum annos natus, & Sarra nonagenaria pariet? sed annuit assueeratq; qui dicit: profectō Sarra uxor pariet tibi filium, & uocabis nomen eius Isaac: & statuam testamentum meum cum eo testamentum sempiternum.] Quid igitur est cur hic antequam nasceretur laudatus sit? Quædam bona repræsentata iuuant, ut sanitas, sensuum integritas, opes si contingant, gloria, liceat enim hæc quoq; abusive bona dicere, quædam nō solum cum adsunt, sed etiam promissa oraculo, qualis est lætitia, bonus affectus animæ, hæc enim non præsens tantum lætificando uim suam exerit, sed etiam sperata hominē præoccupat, habet enim hanc prærogatiuam, alia bona priuatam uim habent, lætitia tum priuatim exultat, tū publice, lætamur sanitate, libertate, honore, cæterisq; bonis: ut proprie dicatur, nullum esse bonum non coniunctum cum lætitia, lætamur autem non præteritis solum bonis & præsentibus, sed & futuris quæ expectamus, ut quando speramus diuitias, imperium, laudem, morborum finem, uiriūq; roborisq; accessionem, scientiam successuram in locum ignorantie, gaudemus non mediocriter, ergo quoniam lætitia non præsens solum, sed & sperata laxat exhilaratq; animā, merito Isaac prius quam nasceretur, nomine donoq; magno donatus est, per hūc enim significatur animæ risus & gaudium atq; lætitia. Rursum Iacob & Esau, illum principem, ducem & dominum, hunc obsequentem & seruum, priusquam uterum exirent pronunciauit. Deus enim animatorum ope

rum

rum figulus egregie nouit quæ ipse facit, etiam antequam perficiat, uires quoq; quibus utentur in posterum, & in uniuersum quicquid actura passura ue sunt. Cum enim anima de futuro sollicita Rebecca petit oraculum, respōdet deus: Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex eo discedent: superabitq; alter alterum, & maior minori seruiet.] Sic enim Deus cōparauit, ut id quod brutum est deteriusq; potiori seruiat: quod uero ciuilitate rationeq; præstat, libertate fruatur atq; principatu, nec solum cum utrūq; absolutum est in anima, uerum etiam cum res adhuc est ambigua. prorsus enim uel leuis quæpiam aura uirtutis principatum & imperium, ne dum libertatem præ se fert, e contra qualiscunq; indoles malitiæ, rationem uel nondum adulta in seruitutem redigit. Præterea quid sibi uoluit Iacob, cum Iosepho admouente duos filios suos, natu grandioremanassēm, minorē Ephraim: decussatis brachijs iuniori dextram imposuit, sinistram uero grandiori, moxq; Iosepho grauius id factum ferente, & putante patrem errasse imponēdis manibus, dicit: Non erraui fili, sed sciens prudensq; facio quod facio, fiet hic quoq; in populum, extollēdus est hic quoq;: sed frater eius iunior, maior futurus est.] Quid igitur dicendum? nisi quod duæ naturæ diuinitus in anima conditæ sunt, ualde necessariae, memoria, reminiscētiaq;. Quarum altera quicquid sensibus recens impressum est retinet, ne falli possit per ignorantiam, reminiscētiā uero utiq; præcedit obliuio, res surda cæcāq;, hic quod antiquius est apparet deterius, id est memoria quā reminiscētia: utcunq; coherent nec separantur
fici=

facile. nam qui primum in artes introducimur, comprehendere speculationes earum statim non possumus, itaque quicquid obliuiscimur initio, rursum reminiscimur: donec iterum atque iterum reminiscendo, atque obliuiscendo, denuo confirmetur memoria, atque ita iunior hæc, ut potest serius nata, conficitur ex reminiscencia. Figuratur igitur Ephraim dicitur memoria, fertilitas enim interpretatur: quia tunc animæ discendi cupidæ cōtingit sua portio, quando in memoria confirmantur eius contemplationes, at Manasses reminiscencia dicitur, quasi translatus ex obliuione, qui autem obliuionem effugit, certe reminiscitur, itaque rectissime ille supplantator affectuum et mediator uirtutum Iacob dextram porrigit Ephraim, id est, fertili memoriæ, secundas uero partes reminiscentiæ tribuit, scilicet ipsi Manasse. Sic et Moses ex his qui pascha sacrificant priores laudat maxime, quod traiectis fluminibus Aegypti perrexerunt, nec amplius ad ea reuersi sunt: posteriores uero habet pro deterioribus. nam hi cursum suum retrorsum flexerunt, et quasi obliuati rerum agendarum, rursum se accinxerunt, ut eas aggrederentur, at illi priores cursum tenuerunt perpetuum, itaque sacrificatibus pascha posterius assimilatur Manasses obliuionis filius: prioribus autem Ephraim fertilis, ideo et Beselelem nominatim deus euocat, promittitque daturum se illi sapientiam et scientiam, et constitutum se illum opificem architectumque omnium quæ sunt in tabernaculo, hoc est animæ operum: quamuis nullum eius opus hæctenus extaret laudabile. Dicendum igitur quod hanc quoque figuram deus impressit animæ, ceu probato

bato nominati, eam figurā quæ nam sit cognoscemus, si nominis interpretationē diligenter excusserimus. Beaseleel interpretatur, in umbra deus, umbra uero dei uerbum eius est, quo tanquam instrumento assumpto mundum creabat, hæc umbra & quasi effigies exemplar est alterum, sicut enim deus exemplum imaginis, quam umbram nunc uocauit, sic hæc imago fit aliorum exemplū: quemadmodum in principio legis significauit propheta, dicens: Et fecit deus hominem ad imaginem dei, quasi imago ipsa ad effigiem dei facta sit, homo uero ad eam imaginem quæ iam uicem exemplaris acceperat. Quis igitur accesserit character consideremus. Quæsiuerunt prisci, quomodo numen intelleximus, ex his qui optime philosophari uisi sunt, dixerunt, quod ex mundo partibusq; eius & harum innatis uiribus, deū ut causam animaduertimus. nam sicut si quis uideat domum affabre factam instructamq; uestibulis, porticibus, aulis airoom, mulierum conclauibus & id genus cæteris, cogitatione percipiet artificem: nec enim sine arte opificeq; putabit domum esse absolutam: quod & de ciuitate aut nauigio, & de quouis minore maiorē uel opere sentiendū est: ita sanē etiam quiuis ingressus ceu in maximam domum aut ciuitatem hunc mundum, conspiciat cælum in orbem uolui cōtinereq; omnia: erraticas uero fixasq; stellas pariter moueri modulatē summaq; cum harmonia, ad utilitatem rerum uniuersarum: terrā deinde inditullium sortitam, aquam aeremq; late utrunq; fusum suisq; contentum terminis: ad hæc animalia tam mortalia quàm immortalia, stirpium fructuūq; uarias species:

certo

certe ratiocinabitur hæc non sine perfectissima arte cõdita, sed fuisse effecq; deum huius uniuerſitatis opificem. Qui ita colligunt, per umbram deum percipiunt, animaduertentes artificẽ per ipsius opera. Sed est & alius perfectior puriorq; intellectus, magnis mysterijs initiatus, qui non ex operibus causam cognoscit, quasi ex umbra solidum corpus: sed emergens supra creata omnia, manifeste increatum contemplatur, ut & ipsum per se comprehendat, & umbram eius: hoc est & uerbum eius, & mundum hunc uniuerſum, hic est Moses ille, qui sic loquitur: Ostende mihi te ipsum, manifeste te uideam, nolo mihi te ostendas per cælum, terram, aquam, aerẽ, aut quidquam creatum: nec in ulla re alia tanquam in speculo contempler tuam ideam, præter quàm in te deo. nam quæ in creaturis apparentiæ sunt dissipantur: quæ autẽ in increato, stables, firmæ sempiternæq; permanent. Quamobrem Mosẽm uocauit, & loquutus est ei deus. Beselelem item uocauit, sed non similiter: uerum illum cognitionem dei percipientẽ ex ipsa summa causa: hunc autem tanquam ex umbra ex creaturis opificem ratiocinatione colligentem. Quapropter inuenies tabernaculum & uasa eius omnia prius à Mosẽ, deinde à Beseleel deliniata parataq;. Moses enim exemplariorum est artifex, cæterum Beseleel imagines eorum exprimit. Nam Moses deo monitore utitur, qui dicit: Iuxta exemplar quod ostendi tibi in monte omnia facies: Beseleel autem Mosẽ: & merito. Quia & Aarõ, id est ratio, & Maria, hoc est sensus, insurgentes contra eum diserte audiunt: Si quis fuerit inter uos propheta domini, in uisione, &

in

in umbra apparebit ei deus, non manifeste. Mosi uero qui fidelis est in tota domo mea, ore ad os loquetur, non per ænigmata. Quoniã igitur duas naturas inuenimus creatas factas & elaboratas à deo, alteram ex seipsa noxiam, reprehensibilem, execrabilem, alteram utilem laudabilemque: illam notatam falso caractere, hanc uero probato: pulchram conuenientemque; precationem unã cum Mose precabimur: ut nobis Deus aperiat suum thesaurum, sublime illud refertumque; diuina luce uerbũ, quod supra uocauit cælum, in quibus autem mala reconduntur occludat, sunt enim ut bonorum ita etiam malorum thesauri apud deũ: sicut habetur in magno cantico: Nõne ecce collecta sunt hæc apud me, & obsignata in thesauris meis, in die ultionis, quando lapsus fuerit pes eorum, uides thesauros esse malorum? Et bonorum quidẽ unicus. Quoniam enim Deus unus, etiam thesaurus bonorum unus, multi uero malorum, quia & peccatores immenso numero. Sed hic quoque; considera eius qui est bonitatem, bonorum quidem thesaurum aperit: contrã malorum claudit astringitque; est enim dei proprium bona offerre & præuenire nos liberalitate: mala uero non facile inmittere. Moses uero exaggerans etiam dei liberalitatem & gratificandi studium, non solum reliquo tempore ait thesauros malorum obsignatos, sed & cum anima lapsa fuerit in uia rectæ rationis, quando meritò poena digna uideri poterat, ait enim in die ultionis obsignatos malorum thesauros: docente diuino eloquio, quòd ne in peccantes quidem cõfestim deus animaduertit, sed indulget tempus ad poenitentiam & errati curãtionem.

tionem. Et dixit dominus deus serpenti: *Execratus tu*
inter omnes pecudes & omnes bestias terræ.] Sicut læ-
 titia iucunde nos afficiens, fausta ominatio digna est;
 ita execratione uoluptas malus affectus, quæ turbat ter-
 minos animæ, pro uirtutis studio amorem affectionum
 in ea generans, ait autem Moses in execrationibus, exe-
 cratum esse qui transnouet terminos proximi: terminū
 enim & legem deus animæ præscripsit uirtutem scilicet
 arborem uitæ, hunc transmouit, qui fixit terminum ma-
 litie, scilicet arborem mortis. Execrabilis ille quoq; qui
 cæcum errare facit in uia. Facit & hoc uoluptas impia,
 est enim sensus naturaliter cæcus, quia brutus; quoniā
 quicquid rationale est, habet oculos, ideo ratione sola
 res comprehenduntur, sensu non item, per sensum enim
 sola imaginamur corpora, hunc cæcū sensum uoluptas
 fallit, quo minus res percipiat: siquidē uetat ne se ad mē-
 tem, à qua regi poterat, recipiat regaturq; ab ea, se du-
 cēs illum ad sensibilia, illiciensq; suis operibus: ut cæcus
 sensus sequatur cæcum ducem, rem sensibilem, ibi mens
 cum ambos cæcos duces sequitur, impotens sui abit in
 præcipitium, alioqui consentaneum erat ordini natura-
 li, ut rationem compotem uisus sequerentur ea quæ cæ-
 ca sunt, sic enim leuius ferrentur noxiæ res, nunc in eam
 fraudem inducitur anima, ut cogatur uti cæcis ducibus;
 decepta persuasq; mutare uirtutem uitio, & suo labo-
 re malum sibi querere, prohibet autem & hanc permu-
 tationem sacra lex his uerbis: *Non mutabis bonum ma-*
lo. his de causis uoluptas fit execrabilis. nunc non alienū
 a proposito fuerit considerare quæ sit hæc maledictio,
 Philo. to. I. i execra-

execratum esse ait inter omnes pecudes, ergo pecunium
 quiddam brutumq; sensus est, certe unusquisq; sensus uo-
 luptatem execratur, ut inimicissimam & insensissimā,
 est enim re uera hostis sensui, id inde colligitur, quod sa-
 turati uoluptate immodica, nec uidere, nec audire, nec
 olfacere, nec gustare, nec tangere sincere possumus, sed
 his omnibus obscure atq; debiliter afficimur, id quod
 patimur ea iam cessante: alioquin inter ipsum usum uo-
 luptatis, omnino priuamur ui sensuum, ut non magis
 agant in res sensibiles, quā si eis mulctati essemus. Et
 qui fieri potest, ut non merito sensus excretur uolupta-
 tem à qua sic mulctatur? quæ præ omnibus quoq; bestiis
 est execrabilis, præ omnibus inquam, affectibus animæ.
 His enim mens sauciatur & perditur. Cur igitur etiam
 alijs affectibus uidetur deterior? Quia propemodū om-
 nibus est obnoxia, tanquam principium eorum funda-
 mentumq;. Nam & concupiscentia nascitur ex amore
 uoluptatis, & dolor existit per eius priuationem, timor
 quoq; tum fit cum ueremur istius absentiam, itaq; liquet
 omnes affectus apud uoluptatem habere suum recepta-
 culum: & fortasse nulli usquam essent, ni uoluptate ceu
 fundamento niterentur. Super pectus & uentrem tuum
 gradieris.] Circa has enim partes stabulatur affectus
 hic, pectus uentremq;, quando præsto est copia mate-
 riaq; uoluptatis, circa uentrem & quæ sub uentre sita
 sunt, quando autem his caret, circa pectus, ubi sedes iræ
 est, amatores enim uoluptatum si his destituantur, iræ-
 scuntur & exacerbantur. Inspiciamus rem diligentius.
 Tripartitam esse animam nostrā, habereq; partes, unā
 ratio

ratione præditam, alteram ad iram natam, tertiã ad concupiscentiam, has partes nonnulli philosophi potentijs tantummodo differre existimant, quidam locis etiam, hi rationali parti caput sedem attribuunt, reddentes causam, quod ibi sit rex, ubi satellitium, satellites autem mentis sensus collocatos in capite, proinde rex habitare ibi tanquam in arce probabiliter creditur, ijdem iram locat in pectore: aiuntq; hac de causa à natura munitam hanc partem densis ac ualidis ossibus, non secus ac strenuum militem instructum thorace ac clypeo, ad repellendos aduersarios: postremus locus assignatur concupiscentiæ, circa iecur & uentrem, hic enim uis hæc habitat, appetitus ratione carens. Quando igitur quæres ô anime, quam regionem uoluptas sortita sit, ne spectes capitis locum, qui rationis est, non inuenies enim, resistit enim huic affectui ratio, nec potest unà cohabitare: quod hac uincente uoluptas pessum eat: sicut ediuerso, dum uoluptas uincit, exulat ratio, proinde illam quære in pectore uentreq; ubi partes brutæ domicilium habent, ira concupiscentiaq; nam in his locis inuenitur & iudicium nostrum, & affectus ipsi, non uetatur tamen mens relictis suis septis dare se deteriori. id fit quando in anima bellum exoritur, tunc necesse est in potestatem aduersæ partis deuenire rationem paci non bello natam, itaq; sacra lex gnara quantum possit utriusque affectionis impetui, uel iræ, uel concupiscentiæ, compescit utrunq; astringam gubernatoremq; rationem his præficiens, ac primum de ira, curaturus eam & sanaturus legislator, loquitur sic: Et impones super rationale iudiciorum, do-

Erinam & ueritatem: quæ erunt in pectore Aaron,
 quando ingreditur sacrarium coram domino, id ra-
 tionale est in nobis instrumentum uocis, hoc est sermo
 quo utimur, qui aut inconsiderate & improbatum emit-
 titur, aut cum iudicio probatusq; hic scriptura uult nos
 cogitare de sermone discreto. ait enim rationale, non
 inexamatum falsatumq;, sed rationale iudiciorum, ac
 si dicas iudicatum examinatamq; huius probati sermo-
 nis duas ait esse uirtutes summas, doctrinam & uerita-
 tem. recte sanè. nam præcipuus sermonis usus est, doce-
 re, & manifestare aliquid, cum non possimus alioquin
 affectus animi exprimere, & quales sint ostendere, quæ
 res coegit nos ad signa uocalia confugere, nomina uer-
 baq;, quæ utrique nota esse oportet, ut manifeste clareq;
 percipiantur à proximo. secunda cura est ut uere enun-
 cientur, quid enim prodest planam manifestamq; elocu-
 tionem facere, si alioqui falsa sit. nam hoc modo fieri
 non potest quin auditor decipiatur cum suo magno in-
 commodo, ruditate ignorantiaq;. quid enim si monstrās
 puero A elementum, diserte clareq; dicam id esse G, aut
 E monstrans dicam O? aut musicus rudimenta eius ar-
 tis discenti harmoniam monstrans colorem dicat, aut
 colorem tonisticum dicat diatonicum: aut quæ summa
 est chorda dicat mediam, aut quæ coniuncta sunt di-
 cat disiuncta, aut hyperbolæan dicat proslambanome-
 non? dicet fortasse dilucide aperteque at non uere: sed
 hac parte uitium admittet in sermone, quando autem
 utrumque, doctrinam simul & ueritatem adhibebit,
 sermonem faciet discenti utilem, usus ipse duabus eius
 uirtu-

uirtutibus quæ forsitan solæ sufficiunt, itaque propheta dicit sermonem iudicatum, habentem suas uirtutes, situm supra pectus, nimirum Aaronis, id est, supra iræ, ut sic regatur primum à ratione, ne lædatur per suam imprudentiam, deinde à doctrina, à cuius consuetudine furor libenter abstinet, ideoq; iratorum non solum cogitationes, sed et uerba, perturbatione confusioneq; plena sunt. æquum igitur erat iræ confusionem per doctrinam corrigi, et per ueritatem insuper. nam et hoc iræ proprium est, quod facile fallitur fallitq; itaq; iracundorum firmè nemo uerax est, utpote deuictus ebrietate animæ, non corporis. Hæc remedia deus huic parati parauit, sermonem cum doctrina ueritatēque. nam hæc tria uim unam obtinent, si sermoni iungatur doctrina et ueritas, præsentanea medicina iræ, morbi animæ grauissimi. Sed cuius nam est gestamen istud rationale? non meum nec uulgaris alicuius mentis, sed sacerdotalis pure sacrificantis, qualis Aaronis erat, ac ne huius quidem semper: nam sæpe mutatur: sed quando sine mutatione degit, quando ingreditur sacrarium, quando ratio simul intrat sanctæq; sententiæ, quando his comitibus non destituitur, accedit tum plerunque ut mens penetret in sacras sanctas purasq; opiniones, sed humanas, quales sunt de officijs, de benefactis, de legibus publice receptis, de uirtute quatenus homo potest eam assequi, atqui ne sic quidem dispositus aliquis idoneus est ad Rationale gestandum in pectore cum suis uirtutibus: sed solus qui ingreditur coram domino: hoc est, qui propter deum facit omnia, nec ei præfert

fert quicquam ipso inferius, inferioribus quoque rebus tribuens quod æquum est, non tamen in eis immorans, sed recurrens ad cognitionem scientiam cultumq; illius unius. nam hominis sic dispositi uis irascibilis regitur & à ratione purgata puraq; à brutis affectibus, & à doctrina sanante obscuritatem confusionemq;, & à ueritate regeunte mendacium. Ergo Aaron, ut alter Moses, exciso pectore, hoc est ira, non finit eam effferri impetu absque iudicio, ueritus ne quando sibi ipsi permissa, in equi morem exultans, totam proculcet animam: sed curat refrenatq; primum ratione, ut sub auriga optimo discat non admodum habenas contemnere: deinde & rationis uirtutibus, doctrina ueritateq;. si enim sic erudiatur ira, ut & rationi cedat ac doctrinæ, & non mentiri assuescat, tum seipsam liberabit ab effferuescentia nimia, tum animam totam reddet placidam. Verum hic, ut dixi, non carens hoc affectu, conatur eum sanare iam dictis salutaribus remedijs, at Moses totam iram excidendam & rescandam censet ex anima, non moderationem affectuum, sed prorsus priuationem amans. attestatur his in eis uerbis sanctissimum oraculum. Sumptum, inquit, Moses pectusculum separauit, ut offerret coram domino, de ariete consecrationis: & obtigit Mosi in portionem suam, ualde pulchre, illum enim uirtutis deiq; amatorem decebat considerata tota anima pectus desumere ex ea quod ad iracundiam pertinet, adimeretque id & abscidere, ut exacta parte bellaturiente, de cetero anima in pace degeret, aufertur autem non à quouis

quouis animali, sed ab ariete consecrationis. atqui & uictulus immolatus fuerat, sed hoc præterito, uenit ad arietem. est enim animal natura cornupetum, iracundum & assultorium. quapropter & fabri machinarii plerumque inter instrumenta oppugnationis utuntur arietibus. sic & in nobis arietinū, assultorium, indomitum quiddam est, id quod contentionem appetit. contentio uero materia est iracundiae. & ideo contentiosiores quique in dissertationibus cæterisque colloquijs ad iram mouentur. hoc igitur litigatricis contentiosæque animæ superfluum germen iracundum merito propheta execrat: ut sterilis facta desinat noxias res parere. fiatque inde portio conueniens anatori uirtutis, non pectus aut ira, sed horum priuatio. hanc enim optimam portionem deus sapienti tribuit, posse affectiones excidere. uiden quomodo perfectus perfectam immunitatem ab affectibus semper meditatur? qui autem adhuc proficit Aaron, secundus ab illo, mediocriter, ut dixi, in eis se habet. nondum enim potest pectus & iram excidere. gestat tamen supra id aurigam cum agnatis rationis uirtutibus rationale, in quo doctrina est & ueritas. hanc differentiam manifestius etiam docebit nos his uerbis, dum ait: pectusculum enim superpositionis, & brachium ablationis accepi à filiis Israel, de uictimis quæ offeruntur pro salute uestra: & dedi hæc Aaroni eiusque filiis. Vides quod hi non sunt contenti solo pectore, sed assumunt etiam brachium? Moses uero accipit id sine brachio. cur ita? quia hic cum sit perfectus, paruum et humile nihil sapit, ac ne mediocriter quidem uult indulgere affectibus, sed eos egregie omnes omni-

no excidit. at illi non admodum uehemēter ruunt ad re-
 pugnandum eis, sed fœdus & inducias cum eis faciunt,
 conditiones offerendo, quatenus cohiberi per aurigam
 debeant ab impetu nimio. est autem brachium etiam si-
 gnum laboris & afflictionis. talis uerò debet esse cura-
 tor ministerq; sanctorum, exercitijs ac labore occupa-
 tus. ceterum cui deus perfecta bona abundanter largi-
 tus est, sine labore agit. hoc autem minor reperitur atq;
 imperfectior, qui labore parat uirtutem, quam sine la-
 bore & negotio Moses accepit à deo. Nam et labor ipse
 minor & uilior est quam quies: sicut & imperfectum
 quam perfectum, & à doctore quæsitum, quam id quod
 per nos ipsi discimus, hæc causa est cur pectus accipiat
 Aaron cum brachio, Moses sine brachio. uocat autē pe-
 ctusculum superpositionis idcò, quia super uim iræ de-
 bet imponi & ei præsidere ratio, quæ aurigæ more du-
 riter uicem contumacemq; equum dirigat. brachium au-
 tem non itidem superpositionis uocatur, sed ablationis,
 ob hanc causam: quia debet uirtutis studium nō sibi ipsi
 tribuere anima, sed auferre à se, & ad deum auctorem
 referre: confitendo non suis uiribus nec potentia hone-
 statem acquisitam, sed illius munere, qui anorem eius in-
 didit. nec pectusculum autem nec brachiū sumitur, nisi
 de uictima pro salute, & merito id quidem. tunc enim
 anima seruatur, quando iram domat ratio, & ex labore
 non prouenit arrogancia, sed totum imputatur dei bene-
 ficentiæ. Quod autem non solum supra pectus, sed & su-
 pra uētre[m] ingrediatur uoluptas, iam dixi, declarauiq;
 maximè proprium eius locum esse uentrem. hic est enim
 uolu-

uoluptatum fermè omnium receptaculum. nam hoc repleto uehementes appetitus excitantur aliarum quoq; uoluptatum. rursum uacuato, quietiores illæ redduntur compositioresq; ideoq; dicit alibi: Quisquis super uentrem quadrupes graditur, & multos habet pedes, impurus est. talis autem est amator uoluptatis, semper super uentrem gradens, & eas quæ inde nascuntur uoluptates. cum repente autem supra uentrem cõiunxit quadripedem, non immerito. quatuor enim sunt affectus uoluptariorum, sicut egregius quidam liber docet. impurus igitur, tum qui una uoluptate fruitur, tum qui se uolutat in omnibus quatuor. his dictis uide iterum quo differat perfectus ab eo qui adhuc proficit. certè ut iam ante cõpertum est, perfectus excidit totam iram è contentiosa anima, reddens eam cicurem mansuetamq;, pacatam mitemq; per omnia tum uerbo tum opere. qui autem proficit, non ualeat quidem hunc affectũ excidere: gestat enim perfectus: sed erudit eum rationis iudicio, habetis duas uirtutes, doctrinam & ueritatem. ita nunc quoq; inuenietur, sapiens quidem perfectè uoluptates abijciens & excutiens Moyses, qui autem proficit, non uniuersas: ut qui necessarias simplicesq; admittit, curiosas & superfluas cauens tanquam additamenta inutilia. nam de Mose sic scriptura loquitur: Et uentrem atq; pedes holocausto aqua abluit. Valde pulchrè. Totam enim animam dignam quæ offeratur deo, quia nihil reprehensibile nec inuita nec ultrò admisit, sapiens sacrificat. qui autem ita est dispositus, totum uentrem eiusq; uoluptates, cum alijs quæ inde nascuntur, eluit & repurgat à sordibus, non

unam aliquam partem, sed in tantum ista contemnit, ut uel necessarios cibos potusq; aspernctur, rerum diuinarum contemplatione se sustinens. Quapropter alibi de illo fertur testimonium: per quadraginta dies panem nō comedit, nec aquam bibit, quando in monte dei oracula dei legislatoris audiebat. Nec contentus uentri ualedixisse, pedes quoq; purgat à sordibus, hoc est fulcra uoluptatis. sunt autē fulcra uoluptatis, res quæ gignunt eam. de proficiente enim dicitur, quòd intestina uentris & pedes abluit, non totum uentrem. non sufficit enim ad repellendam totam uoluptatem: satis est si auersetur eius interanea, id est auctaria: quæ uoluptarij dicūt esse quædam additamenta præcedentium uoluptatum, inuenta curiosa ministrorū gulæ popinariorumq;, & affectuum irritamenta modum excedentium: quia ille ultrò totam uentris uoluptatem ablegat, hic uerò qui adhuc proficit, non nisi monitus. nam de sapiente sic scriptum est: Ventrem & pedes aqua lauat, iniussus & sua sponte. de sacrificis uerò sic: Intestina autem & pedes, non lauerūt sed lauant: quod ualde cautè dictum est. Oportet enim perfectum quidem sua sponte moueri ad uirtutis opera: eum uerò qui etiamnum meditatur, rationem monitricem sequi. cuius præceptis parere bonum est. Nec illud ignorandum, quod Moses totum uentrem, hoc est uentris repletionem reiiciens, ceteros quoq; affectus propemodum ablegat: dum legislator per unam partem de uniuerso manifeste docet: & de eo quod cætera continet docens, eadem opera subindicat de his quæ silentio præterit: quando quidem uentris repletionem comprehenduntur

tur reliqua, ceu fundamento aliorum affectuum. nullus enim eorum potest consistere, nisi uētre subnixus, quem basim omnium natura posuit. quapropter post præcedentem Liæ bonam progeniem, quando foetus ad animam pertinentes in Iuda, id est, confessione desuerant, deus ut in postremum corporis etiam profectibus prospiceret, Ballam Rachelis ancillam uoluit uel ante heram suam parere. est autē Balla irrigatio. sciebat enim, quod nihil corporeum subsistere possit absq; uentris rigatione: sed hic esse principatum regimenq; totius corporis, curæq; tantum hoc agentis, ut uita sit incolumis. sed considerare oportet omnia uerba subtilius, quādo nihil hic non accuratè dictum esse inuenies. Moses pectusculum aufert, uentrem uerò non aufert, sed tantum lauat. cur ita? quia perfectus sapiens irascēdi uim totam potest excidere, alienatus ab ira: uētre execare nequaquam potest. Nam necessario cibo potuq; uti natura cogitur, etiam si quis paucissimo cōtentus necessarium quoq; contemnat & meditetur in ediam. lauet igitur uentrem & repurget à condimentis impuris & superuacaneis. Hoc enim donum diuinitus oblatum uirtutis auido satis est. & ideo de animæ adulteratæ suspecta dicitur: quòd si relictò recto rationaliq; sermone, qui maritus legitimus eius est, deprehensa fuerit consuetudinem habere cum affectu polluyente animam, disrumpetur eius uēter, id est inexplibilis & insatiabilis erit uentris uoluptatibus ac cōcupiscentijs, nec unquam eis expleri poterit propter suam imprudentiam & institutionem pessimam: sed alijs super alias affluentibus, eodem affectu laborabit perpetuo

tuò. nam non paucos noui adeò uentris cupiditatibus de-
ditos, ut, quāuis imminente aliquo negocio, reuocen-
tur ad meracas computationes aliq̃; similia. male enim
conuenit corporeis molibus cum ingenuis animæ desi-
derijs. sed corpora tanquā uasa ad mēsuram facta, nihil
admittunt immodicum, quicquid superfluit eiſcientia.
at concupiscentia nunquā expletur, semper indiga, nun-
quam non siticulosa. Et ideò ut consequens post diru-
ptum uentre additur femoris luxatio, nam affecta hoc
pacto anima simul excidit recta ratio, cui est insita uis
feminalis gignēdi bonum aliquid. Quòd si, inquit, pol-
luta non fuerit, non lædetur, & habebit liberorum libe-
ros: uidelicet si ab affectibus impolluta pudicitiam ser-
uauerit legitimo marito, qui sanam rectamq̃ rationem
significat: fecundam habebit animam & fructiferam,
progenitiuam prudentiæ, iustitiæ & cuiuscunq̃ uirtu-
tis. ergo possumus deuincti corpore non uti necessarijs
corpori? Est aliquis modus, uide quis. Is qui nos sacris
initiat, præcipit cuius à quo suum debitum exigit cor-
pus, ut cōtentus sit necessarijs. Ante omnia locus, inquit,
sit tibi extra castra, castra uocans uirtutem, in quibus
militat animus. nec enim in una sede morantur, pruden-
tia, & corporis curandi necessitas. mox addit: Egredie-
ris inde foras, quamobrem? quia non potest anima coha-
bitans cum prudentia, & contubernium habens cum sa-
pientia, frui delicijs corporis. tunc enim diuinioribus al-
imentis nutritur, scilicet scientijs, propter quas carnem
negligit. egressa enim sacratis uirtuti ossibus, tum demū
uertitur ad hoc corpus grauantes premētesq̃ materias.

quomo=

quomodo igitur his utendum? Paxillus, inquit, in zona tibi pendeat, quo cauum fodias. hoc est, præsto sit tibi ratio quæ affectum effodiat, astringens. affectus enim possulant nos accinctos esse, non uti cinctura laxiore. quæ propter etiam de transitu per eos, qui pascha nominantur, præceptum extat, quo monemur lumbos accingere, siue astringere concupiscentias. hic igitur paxillus, hoc est ratio, comitetur affectum, obstaturus ne se effundat. Sic enim fiet, ut solis contenti necessarijs, abstineamus à superfluis: & uel in conuiujs atq; parata rerum copia, quæ ad usum simul & luxum satis sit, rationem adhibeamus quæ nos tanquam scutum protegat: ut neq; ultra modum cibos lari more ingurgitemus, neq; nimio mero expleti, per ebrietatem in delirationem prolabamur. Nam ratio compefcet refrenabitq; procliuiorē talis affectionis impetum. ipse quidem sæpe hoc mihi usu uenisse memini. accedens enim ad indisciplinata conuiuia, cœnasq; sumptuosas, nisi rationē mecum adduxissem, mancipabar rebus apparatis, abstractus à dominis immanfuetis, uidelicet qui spectatu, auditu, odoratu gustuq; uoluptatem pariunt. Sed quoties accedo cum rationis delectu, iam non seruus fio sed dominus, & egregiè uinco uictoriam honestissimam in certamine constantiæ temperantiæq; resistens opponensq; me omnibus cupiditatibus quæ solent immoderatos pessundare. Fodies, inquit, paxillo, id est, prout tibi est ingenium procliuē ad cibum, potum, aut ea quæ sub uentre sunt, ratione aperies & distingues, ut ubi discreueris, uerum cognoscas. tūc enim scies in horum nullo inesse bonum, sed necessarium

cessarium tantum & utile. Mox addit: Operies turpitudinem tuam. admodum rectè. Adduc enim ô anima rationem ad omnia, qua operitur, obumbratur, occultaturq; omnis turpitudine carnis & affectuum. quicquid enim ratione caret turpe est, sicut decorum quicquid cum ratione coniunctum. itaq; uoluptatis amicus supra uentrem graditur: perfectus autem uentrem totum eluit: qui uerò proficit, intestina. at qui adhuc in rudimentis hæret, foras exit, quando ad requisita uentris afferens rationem, cohibiturus est affectum: quod figuratè paxillus significat. Rectè quoq; additur: Gradieris supra petus & supra uentrem.] Voluptas enim non est quiescentium & stantium, sed commotorum & perturbatione plenorum: & sicut flamma continuè mouetur, ita cuiusdam flammæ more affectus hic in anima excitus, non sinit eam quiescere. ideò reclamationis hic qui aiunt sedandiuim inesse in eo. quies enim ligno & cuius inanimato est propria, uoluptas uerò aliena ab hoc genere. titillationem enim & conuulsionem quandam appetit: & interdum non quietem sed continuum uehemensq; exercitium postulat. Illud autem: Terram comedas omnibus diebus uitæ tuæ] appositè dictum est. nam corporalis uoluptatis alimēta terrena sunt. nec immeritò. Duo sunt ex quibus constamus, anima & corpus. hoc è terra factum, illa dei figmentum æthereum. Inspirauit enim in faciem eius spiritum uitæ, & factus est homo in animam uiuentem. pulchrè igitur conuenit ut factum è terra corpus cognatis alatur cibis quos terra producit: at illa æthereæ nature portio, scilicet anima, habeat alimenta diuina

uina æthereaq; nam scientijs nutritur, non cibo aut potu, quibus corpus indiget. Ali porro animam non rebus terrestribus, sed cælestibus, testabitur amplius sacra scriptura: Ecce ego pluo uobis panes de cælo: egredietur populus & colligat quæ sufficiunt in diem: ut tentem eam utrū ambulet in lege mea, an non.] Viden alimenta animæ non terrena & corruptibilia, sed uerba quæ deus pluit de sublimi puraq; natura, quam nunc cælum nominauit? Egredietur sanè populus & omnis cœtus animæ, incipiatq; colligere scientiam, non aceruatum, sed quātum sufficit in diem. sic enim fiet primū ut ne simul & semel exhauriatur immensæ opes gratiarum dei, sed exundent torrentis in morem. deinde ut quisq; sumpta mensura quæ sufficiat, reliquorum dispensationem permittat deo. qui uerò uult omnia colligere, desperatorem sibi parat, & molestiam maximam. desperat enim, si nunc tantum, non etiam in posterum, sperat deum sibi pluiturum cōmoda: & infidelis est si non credit et nunc & semper gratiam copiose dandam his qui digni sunt: & demens est, si putat se posse inuito deo seruare quæ collegerit. paruo enim momento eum qui securitatem constantiamq; mentis sibi arrogat per iactantiam, infirmum reddit incertumq; custodem rerū quas seruare sibi uidebatur. collige igitur ô anima quæ sufficiunt & conueniunt, ut neq; plus satis exuberent, neq; infra modum collecta inopiam asserāt: ut iusta mensura utendo, nihil inique facias. meditantem enim te migrationem ab afflictibus & pascha immolantem oportet modicos profectus nō nimios facere. Colligat, inquit, unusquisq; ex eo quantum

quantum sufficit ad uescendum. Ergo & in manna & in quolibet dono quod deus largitur nostro generi, decet contentum esse certa mensura certoq; numero, nec plura quàm pro capacitate sumere per auaritiam. colligat potius anima quàm quotidie sufficit, & custodiam bonorum suorum munificentissimo deo credat magis quàm sibi. id cur ita censeam, dicere nunc non alienum à proposito fuerit. Per diem lux intelligitur. Lux autem animæ est eruditio. multi igitur animæ lumina paruauerunt sibi in noctem & tenebras, non in diem & lucem: qualia sunt prima rudimenta disciplinarum omnia, & encyclopædia quã uocant, ipsaq; philosophia propter delicias expetita & auctoritatem apud principes. at homine statem propter ipsam solam non propter quicquam aliud, ideoq; additur: ut tentem eos utrum ambulent in lege mea, an non.] hoc enim dei lex iubet, uirtutem propter ipsam colere. itaq; studiosos uirtutis tanquam nummos examinat recta ratio, utrum uitium habeant, animæ bona referendo ad res externas: an probæ moneat sint, conseruando ea in sola anima. hi non terrenis cibis aluntur, sed scientijs cælestibus: quod alijs etiam uerbis docet sacra scriptura, cum dicit: Mane quoq; ros iacuit per circuitum castrorum: & ecce in superficie terre in solitudine tanquam corianum album in similitudinem pruinæ super terram. quod cum uidissent, dicebant alius ad alium, quid est hoc? ignorabāt enim quid esset. quibus ait Moses: hic est panis quem dominus dedit ad uescendum: hic est sermo quem præcepit dominus.]

Viden

Viden cibum animæ qualis sit? uerbum dei continuum, rori simile, per circuitum totam complectens, & nullam partem eius experte sui relinquens. hic sermo non ubique apparet. sed ubi desertum est uacuum uitij & affectib. estq; tenuis qui percipiatur et intelligatur, pellucidusq; ualde ac purius aspectu, & coriano similis. aiunt autem ret rusticæ periti, etiamsi semen hoc cocidatur minutissime, singulas portuiculas & micæ satas germinare, non secus quam corianum solidum. Huiusmodi est etiam sermo dei: qui uel integer iuuare potest, uel quacunque sui particula. Quid si $\lambda\epsilon\gamma\omega$, id est pupillæ oculi, similis dicitur? sicut enim hæc quamuis minima particula, uidet hos caelestes orbes, & immensum mare, & aeris amplitudinem, præterea solis tam occidentis quam orientis terminos: pari modo sermo quoq; diuinus cernit acutissime, qui sufficit inspiciendis rebus omnibus, per quem uidebuntur quæcunque digna spectatu. ideoq; albu est manna. Quid enim fulgidius dei sermone aut radiantius? cuius participatione & aliæ res caliginem ac tenebras excutiunt, quæ appetunt lucem animarum. huic sermoni quiddam peculiare accidit. nam quando animam ad se aduocat, gelu excitat in omnibus rebus terrenis, corporeis, ac sensibilibus. ideo dicitur, tanquam pruina super terram. Quoties enim homo deum uidens fugam meditatur ab affectibus, congelantur undæ, hoc est, impetus ac moles eorum & idestantia. concreuerunt enim undæ in medio mari, ut transfiret affectu Israel uidens deum. Itaq; percontantur se inuicem animæ, quæ admiserunt quidem tam sermonem, sed nō possunt dicere quid nam sit. Nam

Philo. to. i.

k

sæpe

sæpe perfusi dulcedine, saporem nescimus unde illa proficiscitur: & suaues odores olfaciendo, quinam sint ignoramus. Sic & anima sæpe gaudens non potest indicare causam suæ lætitiæ: sed docetur ab initiatore uatq; Mo se dicente: Hic est panis, cibus quem dedit deus animabus: ut se pascant uerbo ipsius atq; sermone. Nam hic est panis datus nobis ad uescendum, uidelicet uerbum hoc. Dicitur autem etiam in Deuteronomio: Et afflixit te presitq; fame, & cibauit te manna, quod tui patres ignorauerant, ut annunciem tibi, quod non solo pane uiuet homo, sed omni uerbo quod procedit ex ore dei.] afflictio ista propiciatio est. Nam per tales afflictiones nostris animab. ceu decimatis propicius redditur. Quoties enim spoliatur iucundis rebus, affligi uidemur: reuera autem sentimus deum propicium. Infligit nobis etiam esuriam, non uirtutis, sed uitiosam illam & affectibus obnoxiam. Argumento est, quod nutrit nos uerbo suo generalissimo. Interpretatur enim manna, quid hoc est, scilicet rerum generalissimū. Verbum quoq; dei superius est uniuerso mundo, antiquius generaliusq; creaturis omnibus. Eum sermonem patres ignorauerant, non illi ueri progenitores nostri, sed longanimitate carent, qui solent dicere, Da nobis ducem, & reuertamur ad Aegypti uitia. Audiat igitur anima uocem dei: quod non solo pane uiuet homo factus ad imaginē, sed omni uerbo quod procedit ex ore dei. hoc est, & toto uerbo nutritur, & eius partibus. per os enim sermo significatur. Porro uerbum pars sermonis est. Nutritur autem perfectiorum quidam anima toto sermone: ceterum nos contenti essemus nutriri

nutriri uel parte eius quapiam. Et illi quidem optant nutriri à sermone dei: Iacob uerò supra ipsum sermonem exereus suum caput, ait se nutriri ab ipso deo. Sic autem loquitur: Deus qui nutrit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem, angelus qui eruit me è cunctis malis, benedicat his pueris. Pulcherrimus loquendi modus: nutritorem deum, non sermonem eius, existimat. Cæterum angelum eius, qui est sermo, tanquam morborum medicum: idq; admodum naturaliter. Pronunciat enim propheta, primaria quidem bona ex persona ipsius Qui est dari: secundaria uerò per angelos & sermones eius. secundaria uerò sunt, quæ ad morborum sanationem pertinent. Proinde sic opinor: sanitatem meram quam nullus morbus præcessit in corpore, deum per se met solum largiri: liberationem autem à morbo etiam per artem & medicinam: dum finit & à scientia & ab artifice nos iuuari in speciem, ipse sanans uel per hæc, uel citra horum operam. Ad eundem quoq; modum sese habet anima. bona & alimenta largitur ei per seipsum: per angelos uerò & sermones, quicquid ad sanandos morbos pertinet. Has autem preces fudit patriarcha, reprehendens Ioseph illum administratorem reipublicæ ausum dicere: Enutrium te ibi. Dixerat enim, Properantes ascendite ad patrem meum, & nunciate ei, Hæc dicit, & reliqua. Descende ad me, & nequaquam maneat, et enutrium te ibi. Durabit enim fames per quinquennium. Reprehendens igitur admonensq; eum qui sibi sapiens uidebatur, inquit: O tu scito animæ cibum esse scientiam, quam non sermo sensibilis, sed deus lar-

gitur, qui nutrit à iuuentute primòq; flore usq; lucem
 extremam, ipse me replebit. Sed Iosepho idem accidit
 quod matri eius Racheli. nam & ipsa existimabat crea-
 turam posse aliquid. quapropter dicit: Da mihi liberos.
 Sed supplantator similis sui dicit: Erras errore maxi-
 mo. Nec enim ego pro deo tibi sum, qui solus potest a-
 perire uulvas animarum, & eis inseminare uirtutes, ut
 grauidæ factæ res honestas pariant. Saltem sororem
 tuam Liam considera, & comperies à nulla creatura se-
 men eam excepisse aut genituram, sed ab ipso deo. Cum
 enim uidisset dominus Liam haberi odio, aperuit uul-
 uam eius. Rachel autem erat sterilis. Ac rursus uide hic
 uirtutis exilitatem in opere. Deus uulvas aperit, bene-
 facta in eis seminans. Vulua autem quæ uirtutem exce-
 pit à deo, non parit deo: nullius enim indiget Qui est:
 sed mihi Iacobo parit filios. nam propter me seminauit
 deus in uirtute forsitan, non propter seipsum. Igitur a-
 lius quidem maritus Liæ quiescens inuenitur, alius pa-
 ter natorum ex Lia liberorum. maritus qui uulvam ape-
 rit: pater liberorū, qui hos gignere dicitur. Et inimi-
 citias ponam inter te & inter mulierē.] Reuera uolu-
 ptas inimica est sensui, quamuis sunt qui putent amicis-
 simam. Sed sicut adulatorem nemo amicum dixerit: est
 enim adulatio uitium amicitiae: sic & uoluptatem si exa-
 mines, inuenies adulterinam familiaritatem insinuan-
 tem se sensui. certè saturatis uoluptate omnes sensus lu-
 xantur. annon cōsideras istos uini amatores ebrios, quo-
 modo uidentes non uideant, audientes non audiant, im-
 potes etiam reliquorum sensuum? Fathiscit enim tūc in-
 strumen-

strumentum sensitiuum, quemadmodum intenditur in sobrijs, non iam surdos externe ictus excipiens, sed sonoros clarosq; , & ad mentem usq; penetrantes cum sonitu. Oportet enim ut hæc extremum ictum agnoscat, & characterem eius manifestum excipiat. Et obseruandum non dixisse, Inimicitias ponam tibi & mulieri: sed inter te & mulierem. Cur? Quoniam in medio & tanquam confinio uoluptatis sensusq; hoc bellum nascitur. id amorum medium, cibus & potus est, aptum ad quæcunq; sensibilia huiusmodi, facultatem uoluptatis inducendæ habentia. his quoties se uoluptas ingurgitat, præsentaneam se sui noxam afferunt. Caterum illud, inter te & inter semen eius, ipsum quoq; ratione physica dictum est. Nam omne semen est generationis principium. principium autem uoluptatis, non affectus, sed bruta concitatio sensus quæ per mentem fit. nam à mente uelut fonte quodam manant sensitiuæ potentiæ, præsertim iuxta doctrinam Mosis sanctissimi: qui ex Adamo factam narrat mulierem, ex mente sensum uidelicet. ergo sicut uoluptas se habet ad sensum, sic affectus ad mentem. unde sequitur ut quoniam illa duo inimica sunt inuicem, hæc quoq; sint hostilia. quod bellum nulli non liquet. itaq; superante mente, affectus non sustinens intelligibiles & incorporeas res, profligatur. contra quoties hic uincit malam uictoriam, cedit mens, impos sui suarumq; actionum omnium. Proinde alibi dicitur, quod attollente manus Mose, præualebat Israel: demittente autem, præualebat Amalec. quib. uerbis hoc docemur, quod mens quando attollit seipsam supra mortalia, & sublimis fertur;

uim concipit ut deum uideat, quod est Israel. quando uero ueruos suos hæc remittit relaxatq; , mox affectus præualeat, scilicet Amalec, qui interpretatur populus elinægens. reuera enim absomit totam animam & abligurit, ne semen quidem aut scintillam uirtutis reliquam in ea faciens. quamobrem scriptum est: Principium gentium Amalec. quoniam in miscellaneâ gentium conuenarum colluuiem consilio carentem affectus exercet dominationem atq; imperium. per hunc omne bellum excitatur in anima. Ergo quibus mentibus deus pacem largiri dignatur, in his pollicetur delcturũ se sub cælo memoriam Amalecitarum. Quod autem dicitur: Ipse seruabit caput tuum, tu seruabis eius calcaneum.] In uerbis barbarisum habet, in sensu bene dictum est. quomodo? reliquum reddendum est de muliere. mulier autem ipse non est, sed ipsa. Quid igitur dicendum? à sermone de muliere transitionem fecit ad semen eius & principium. principium autẽ sensus, intellectus, isq; masculus, de quo debet dici ipse, flectẽdo de cætero uocem hanc similiter. Rectẽ igitur ad uoluptatẽ inquit, Ipse intellectus seruabit tuũ caput, & principale decretum: tu uerò gressus eius & uestigia placitaq; quibus insistit, quæ calcanci uocantur per similitudinem. Vox autem seruare duo significat: uerum, quasi custodire, & reponere: alterũ, ac si dicas obseruare ut per dolum interimas. necesse est autem mentem uel bonam uel malam esse. mala dici potest custos promaq; uoluptatis: nam hac delectatur. bona uerò inimica, expectans occasionem tollendæ è medio per insidias. e contra uoluptas, insipientis plãtam seruat: sapien-

tis

tiſ autem baſim deſtruere conatur & ſubtrahere, exiſt
mans hunc ſibi moliri perniciem: inſipientem uerò mo-
dis omnibus ipſius ſaluti cōſultum cupere. nihilominus
quamuis uideatur ſupplantare decipereq; probum ui-
rum, ipſa ſupplantabitur à Iacob exercitato luſtis tali-
bus. luſta, inquam, nō corporis, ſed qua luſtatur animæ
cum aduerſarijs moribus, ipſam per affectus uitiaq; op-
pugnantibus. nec prius dimittet plantam affectus aduer-
ſarij, quā ille det manus, ſeq; ſupplantatum ac bis ui-
ctum ſateatur, & in iure primogenituræ & in benedi-
ctione. Iuſte, inquit, inditum eſt ei nomen Iacob. iam e-
nim iterum me ſupplantauit. olim ius primogenituræ
mihi ademit, nunc interceptit meam benedictionem. anti-
quiſ autem ius malus quidem putat corporis, bonus ue-
rò animæ. ſicut reuera eſt, non tempore ſed potentia di-
gnitateq; potius, & uerè prius, ſicut & princeps in re-
publica. principatum autem anima habet in hac copu-
la. ergo primatum obtinuit is qui altero uirtute potior
fuerat, qui honor ipſi debebatur. nam et benedictionem
accepit cum perfectis precibus. uaniſ autem eſt & ſua-
met exiſtimatione ſapiens qui dicit: meas benedictiones
& ius meæ primogenituræ accepit. non enim tua o tui
accipit, ſed tuiſ contraria. nam quæ tua, ſeruitio digna
sunt, at quæ illius, dominio. tibi uerò etiam optanda a=
pud ſapientem ſeruitus, a quo monitus caſtigatusq; igno-
rantiā ac ruditatem peſtes animæ exuas. nam inter ſau-
ſtas apprecationes pater ſic tibi dicit: Fratri tuo ſeruiſ.
ſed non nunc. nec enim ſerret te habenas detrectantem.
ſed ubi ſolueris iugum à ceruice tua: nimirum abiectiſ

illis elatis spiritibus, quos sumpsiſti poſtquam teipſum ſubiugaſti affectuum uehiculo, aurigante inſipientia. nunc quidem ſeruus es moleſtorum herorum & intolera-
 bilium, qui non ſolent quenquam manumittere. quod ſi fugitiuus eos deſerueris, excipiet te amator ſeruorum dominus cum certa ſpe futuræ libertatis, nec unquã exhibebit heris prioribus: utpote qui didicit apud Moſen præceptum decretumq; neceſſarium: Non trades domi-
 no ſuo ſeruum qui ad te conſugerit: habitabit tecum in loco quicunq; ei placuerit. Sed tantisper dũ tibi nõ libet auſugere, & mauis talium dominorum habenas perfe-
 rendo indignum te ſeruitute ſapientis facere, ſatis declaraſ mores tuos illiberales ſeruilesq;, cum dicis, ius meæ primogenituræ & meas benedictiones. ſunt enim hæ uoces de lapſorum in ſummam ignorantiam: quia ſoli deo competit hæ uox Meum. eius enim ſolius poſſeſſio eſt hæ rerum uniuerſitas, atteſtante uel ipſo cum dicit: Do-
 na mea, munera mea. Obſerua dona diſſerre à muneri-
 bus. illa enim magnitudinem perfectõrum bonorum præſe-
 ferunt, quæ deus perfectis donat gratuita. hæ intra paru-
 um modum contrahuntur, quorum participes ſiunt generoſi exercitatores proficientes adhuc. ideò Abra-
 ham quoq; ſecutus dei uoluntatem, res ſuas à deo ſibi con-
 ceſſas retinet: recuſat autem equos regis Sodomorum, tanquam mercedes meretricum. Moſes quoq; res maxi-
 mas & controuerſias tractare dignatur, minores cau-
 ſas demandat cognoscendas iudicibus ſecundarijs. cæte-
 rum qui audet dicere ſuum eſſe aliquid, ſempiterna ſer-
 uitate notabitur, ſicut ille qui dicit: Contentus ſum bero
 meo

meo, uxore mea, meisq; pueris. nō cupio liber euadere. Rectē quod seipse in seruitutem asserit. Qui enim potest esse non seruus dicendo: meus herus intellectus est dominus sui & in potestate propria: meus sensus sufficit ad discernenda corpora: mea sunt quæ ex his progignuntur, ex intellectu intelligibilia, & sensu sensibilia. in mensū est uel sentire uel intelligere. Sed non satis est ipsum suoapte damnari testimonio, quin & dei percellitur sententia, iussus certā æternamq; seruitutem sustinere, aure perforata insuper, ne sermones uirtutis percipiat, utq; in perpetuum intellectui sensibusq; seruiat, malis dominis & inclementibus. Mulieri quoq; dixit: Multiplicans multiplicabo dolores tuos & gemitus tuos.] Mulieris, hoc est sensus, proprius affectus est mœstitia, quā dolorem nominat. circa idem enim subiectum uersantur delectatio & tristitia. delectamur autem per sensus, proinde necessario per eosdem contristamur. sed bona purgataq; mens minimū tristatur: quia talem sensus nō admodum impetunt. in insipiente autē affectus superfluit; quod non habeat in anima remedium, quo pestes à sensibus rebusq; sensibilibus prouenientes arceat. sicut enim aliter pulsatur athleta quā seruus: hic nō reluctans sed præbēs se flagris submittensq; athleta uerò resistens, repugnans, & illatos ictus repellens: & aliter raditur homo, aliter pellis: hæc enim nihil aliud quā pati cernitur: homo uerò & ipse uicissim agit nonnihil, eo gestu se præbendo quo radatur facilius: ita irrationalis quidem homo mancipiorum more cedit alteri, & perfert tristitias tanquam heras intolerabiles, ne obtucri quidem in

k 5 aduersus

aduersas sustinens, ut qui nequit masculas ingenuasq; cogitationes sibi contrahere. quo fit ut multitudo immensa dolorum ei per sensus ingeratur. contra uir scientia præditus in modum athletæ potenter, robuste, fortiterq; gradum inferens contra cuncta tristia magnos fert spiritus, ne uulneretur ab eis, sed repellat singula. Et ut puto posset iuueniliter exclamare cōtra dolorem illud extra gœdia. Combure carnem hanc, concrema, repleto te Meo cruore. nam prius uel sidera Terram subibunt, terra uel scandet polum, quàm mollis à me extorqueatur uox tibi. Sicut enim sensib. deus omnia tristia cumulate apposuit: ita probæ animæ uberrimam bonarum rerum copiam elargitus est. Quapropter de perfectō illo Abraham ad hunc modum loquitur: Per memetipsum iuraui, dicit dominus: quia fecisti uerbum hoc, & nō perpercisti filio tuo dilecto propter me, omnino benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo semē tuum, sicut stellas cœli, & sicut arenam quæ est in maris litore.] Rectè iureiurando confirmauit pollicita, idq; tali quale deum decebat. uides enim quod non per alium deus iurat: nihil enim illo præstantius: sed per seipsum qui est omnium optimus. Non defuerunt tamen qui negarent conuenire deo iusiurandum. id enim ad confirmandam fidem assumitur. at deus solus fidelis est, & si quis amicus dei, sicut Moses dicitur fidelis in tota domo fuisse. & alioquin ipsa dei uerba iuramenta sunt legesq; diuinæ, & iura sacratissima. quod autem uim maximam habeant argumento est, quod effectu non caret quicquid ille dixerit: id quod iurisiurandi est proprium. unde

unde cōsequitur, omnes dei sermones esse iuramēta per effectus suos confirmata. Aiunt sane iusiurandum testimonium esse dei de re de qua ambigitur, quod si deus iurat, sibi ipse fert testimonium, quæ res absurda uidetur, alium enim oportet esse qui testis est, alium cui perhibetur testimonium. Quid igitur dicendum? Primo non pugna- re cum æquitate quod deus sibi ipsi testis est. Quis enim alius potest ei testis esse idoneus? deinde, quod ipse sibi est quicquid habetur in precio, cognatus, familiaris, amicus, uirtus, felicitas, beatitudo, scientia, intelligentia, principium, finis, totum, uniuersus, iudex, sententia, consilium, lex, actio, principatus, & alioquin etiam, modo hæc uerba Per me ipsum iuraui, accipiamus ut debemus, nullum erit à nugacitate sophistica periculum, uidendum ergo num dicat tale aliquid, nulla quantumnis sublimis creatura potest firme constanterq; de deo credere, nulli enim ostendit suam naturam, sed uoluit omnibus generibus esse inuisibilem. Quis enim potest de uniuersorum causa certò definire, sit ne incorporea, careat ne qualitate, an non careat: aut certe de essentia, qualitate, motu eius, atq; habitudine? sed solus de seipso asseuerabit, quādoquidem solus uere suam naturam pernouit. solus igitur deus idoneus est qui primum de seipso certo pronunciet, deinde de suis etiam operibus. itaq; merito iurauit per seipsum, fidem sibi ipsi astruēs, quod nullus alius poterat, ideo censendi sunt impij qui se aiunt per deum iurare, nemo enim per eū iurat ut oportet, quia nemo potest naturam eius cognoscere: imò bonum est si uel nomē eius noscimus, hoc est uerbum quo interpretante innouit.

tuit. Hoc enim nobis imperfectis deus est, sapientibus autem perfectisq; ille primus. Certe Moses admiratus illius ingeniti summam excellentiam, dicit: Et per nomen eius iurabis, non per illum ipsum, satis enim est per genitum fidem astrui, & testimonium habere à uerbo dei. Ceterum deus ipse sibi fides sit, testimoniumq; certissimum. Quod autem legitur, quia fecisti uerbum hoc, pietatem significat. Rectum est enim omnia propter deum facere: quem propter nec dilecto filio parcimus, uirtuti uidelicet, felicitatem hanc cedentes ipsi auctori, dignum existimantes ut progenies nostra dei possessio fiat potius quam ullius creature. Pulchre & illud dictum: Benedicens benedicam.] Multa enim benedicenda quidam faciunt, sed non in hoc ut benedicantur. nã & malus officia quædam facit, sed non officiose, & ebriosus furensq; interdum sobria loquitur facitq; sed non mète sobria, & pueri admodum infantuli non ex rationali habitudine (non dum enim rationem à natura didicerunt) multa tamen tum dicunt tum faciunt quæ ratione præditi. Vult autẽ legislator sapientem non per occasionem & facile fortuitoq; rationalem uideri, sed ex habitudine dispositione; rationali, ergo quasi non satis sit infortunato sensui abundare multis doloribus, additur, & gemitibus. Est autem gemitus dolor intensus atq; uehemẽs. nam sæpe tristamur non gementes: sed quoties ingemiscimus, ualde moleste inundamur obruimurq; doloribus. Est autem duplex gemitus: alter eorum qui cupientes appetentesq; iniquitatem non fiunt eius compotes: & hic malus est, alter poenitentium & grauius ferentium antea factam

uit. m

uētā, dicentiumq;: ò nos miseros, quantum temporis exegimus laborantes morbo insipientiæ, & occupati studiis iniustitiæ. Qui gemitus nunquam accidit nisi defuncto in anima rege Aegypti, hoc est impia uoluptuariâq; consuetudine. Nā post multos dies illos mortuus est rex Aegyptiorum, moxq; post mortuam malitiam ingemiscit uicem suam uidens deum. Ingemuerunt enim filij Israel à corporeis & Aegyptiacis operibus. Quandoquidem quā diu uiuit & regnat in nobis consuetudo amica uoluptatum, persuadet animæ ut peccatis suis delectetur ac gaudeat: quæ mox mortuo rege tali gemit: & exclamat ad dominum supplicans ne mutetur iterū, ne ue ad absolutam perfectionem non perueniat. Multis enim animabus pœnitentiam expetentibus nō concessit deus, sed tanquam æstu refluxo abreptæ sunt retrorsum: quem admodum & Lot uxor in saxum uersa est propter adamata Sodomā, & quia ad ingenium, in qualia deus animaduertat, reuersa fuit. Cæterum in præsentī contextu subiūgitur: Ascendisse clamorem populi ad deū: quod gratiæ diuinæ testimonium est, nisi enim ille potētia sua supplicationem ad se attraxisset, nunquam hæc ascēdisset: hoc est non extulisset se incipiendo in altum crescere, fugiendoq; humilitatem rerum terrenarum, Ideo dicit in sequentibus: Ecce clamor filiorum Israel uenit ad me.] Egregie significat peruenisse ad deum preces supplicū: quæ non peruenissent, nisi bonus esset qui eas euocat. atq; etiam ultro inuitat quasdam animas. Veniam ad te & benedicam te. Videte quanta sit summa illius cause gratia non expectantis nostram procrastinationem, sed

sed insigni beneficio præoccupantis animam. nam hæc dei uox oraculum est. nam si mentem subierit cogitatio de deo, confestim accepta benedictione sanatur ab omnibus infirmitatibus. at sentiendi uis semper dolet gemitq; , & cum doloribus tristitijsq; parit sensum: sicut ipsa scriptura dicit: In doloribus paries filios, ex uisu enim uisio nascitur, ex auditu auditio, ex gustu gustatio, & in uniuersum ex ui sentiendi ipsa sensus actio: sed non sine magna molestia in insipiente unumquodq; horum fit. nam hic moleste uidet, audit, gustat, olfacit, & quocunq; sensu utitur. E contra uirtutem inuenies cum ingenti gaudio gestare uterum: & bonum partum cum risu ac animi tranquillitate parere, & foetum hinc utriq; parenti hilaritatem afferre. nam quod sapiens gaudens & non dolens gignat, his uerbis testatur diuinum eloquium: Et dixit deus ad Abraham: Sarra uxor tua non uocabitur posthac Sara, sed Sarra nomen eius erit. Benedicam ei, & dabo tibi ex ea filium, mox addit: Et procidit Abraham in faciem suam, & risit sic cogitans: Num centenario nasceretur filius? & Sarra exactis annis nonaginta nū pariet? Hic certe apparet quàm gaudeat rideatq; , qui geniturus est fortunatum illum Isaac, testante inibi propheta: Desierāt Sarra fieri muliebria, risitq; intra se cogitans: Nunquam hætenus contigit mihi tanta felicitas. Sed dominus meus, dei uerbum, senior est: quæ posse hoc necesse est, & decet nos polliceti credere. Quin & partus ipse risus est ac gaudium, sic enim Isaac interpretatur. Doleat igitur sensus, uirtus contra perpetuo gaudeat. Postquam enim nata est felicitas, mater sibi placēs dicit:

dicat: Risum fecit mihi dominus. nam quicūq; rem audierit, mihi gratulabitur. Itaq; quotquot estis initiati, expās auribus accipite mysteria sacratissima. Risus est gaudium. Fecit perinde ualet ac genuit, ex quibus uerbis colligitur hęc sententia, Isaacum genuit dominus. nam ipse est perfectę naturę genitor, semen iaciens in animas, & felicitatem generans. Et ad uirum tuum, inquit, conuersio tua.] Duo sunt uiri sensuum, aliter legitimus, aliter adulter. nam uiri more uisibile mouet uisum, uox auditum, sapor gustum: idem de cæteris quoque intelligitur, per hęc brutus sensus conuersus attractusq; ueni in potestatem alienam, sic pulchritudo uisum in seruitutem suam redigit, sic suauis sapor gustum, sic reliqua sensibilia suum quodq; sensum. Considera ligurizantem quomodo seruit condimentis coquorum atque cupediariorum: eum qui propensus est ad cantum, quomodo deuinciatur à cithara tibiaq;, uel à docto cantore. at sensus qui se uertit ad intellectum uirum suum legitimum, ingentem utilitatem ex eo percipit. Videamus igitur deinceps quid & de ipso intellectu narretur, moto præter rectam rationem. Ad Adam autem dixit deus: Quia audisti uocem uxoris tuę, & comedisti de arbore de qua præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in operibus tuis.] Nihil inutilius quàm audiri sensum ab intellectu, & non contra potius. Debet enim semper præesse melior, subesse deterior. At intellectus sensu est melior. Ergo sicut auriga regente, & iumenta habenis qua placet flectente, currus procedit: illis uerò contumaciter frenum mordentibus, & auri-

auriga transuersus fertur, & iumenta interdum impetu suo rapiuntur in coenum, cursu prorsus aberrante: & si cut naus recte nauigat, donec gubernator clauum tenēs eam dirigit: periclitatur uero quando uento reflante mare totum occupatur à fluctibus: ad eundem modum quādo animæ auriga gubernatorq; intellectus imperium totius animalis tenet, tanquam magistratus in ciuitate, uita prosperatur: quando uero brutus sensus primatiū occupat, confusio uehemens sequitur, haud secus quādo minis oppressis à suis seruitijs. tunc enim, si uera fatenda sunt, intellectus accensus deslagrat, sensibus flammā nutriendis, & sensibilia in eam congerentibus. Quale incendium per sensus excitatum Moses quoq; indicat uerbis his: Et mulieres amplius etiam accenderunt ignem in Moab.] Hæc uox interpretatur Ex patre. Pater noster intellectus est. Tunc, inquit, dicent enigmatistæ: uenite in Efebon, ut ædificetur & exornetur ciuitas Seon. Quoniam ignis exiuit ex Efebon, flamma è ciuitate Seon: & deuorauit usq; Moab, & delcuit colūnas Arnon. Væ tibi Moab, perijt Chamos. Venditi sunt filij eorum ut seruirent: & filie eorum captiue adductæ sunt regi Amoræorum Seon, & semen eorum peribit ab Efebon usque Debon, & mulieres amplius etiam accenderunt ignem in Moab.] Efebon interpretatur cogitationes. Hæ autē sunt enigmata, plenæ obscuritate. Considera cogitationem medici: uacuabo ægrotum, nutriam, remedijs curabo dietaq; secabo, uram cauteribus, sed sæpe natura & absq; his sanauit, & cum his interemit, ut medici cogitationes nihil aliud quā somnia sint inuentæ, plena obscuris

scuritatis & ænigmatum. Rursum agricola dicit: Semina iaciam, plantabo, crescent plantæ, ferent fructus, qui non solum ad usum proficiunt necessarium, sed ad copiam etiam sufficient. Post has cogitationes aut flamma repentina, aut procella, aut imber continuus, corrumpit omnia. Interdum fructus responderunt operæ, sed nihil iuuerunt eum qui sic cogitauerat, morte præuentum, & frustra sibi fructus laboris pollicitum. Proinde optimum fuerit deo credere, non incertis cogitationibus coniecturisq; fallacibus. Abraham ille deo credidit, & iustus reputatus est. Moses item præest populo, cum testimonio quod sit fidelis in tota domo. Quod si credemus proprijs cogitationibus, ædificabimus exornabimusq; ciuitatem corrumpentis ueritatem intellectus. Seon enim interpretatur corrumpens. Quamobrem expectatus qui somniauerat, inuenit quod omnes motus processusq; insipientis sint mera insomnia nihil ueritatis habentia. nam ipse intellectus somnium esse conuincitur: quia certissimum est deo credere, & fallitur qui credit uanis cogitationibus. irrationalis autem impetus exiens proficiscitur utroq; & ad cogitationes, & ad intellectum qui corrumpit ueritatē. Ideo dicit scriptura: Ignis exiuit ex Esebon, flamma è ciuitate Seon.] Alienum enim à ratione credere uel cogitationibus probabilibus, uel intellectui corrumpenti ueritatem, deuorat tamen etiā usq; Moab, id est usq; intellectum, quem enim aliū quam miserum intellectu falsa opinio decipit? Deuorat, depascitq; atq; etiam deglutit colūnas quæ sunt in eo, hoc est, particulares concupiscentias, quæ tanquam in columna

Philo.to.1. i impressa

impreſſæ inſculptæq; ſunt. Arnon autem ſunt hæ colum-
næ, quod interpretatur lux eorum, quoniam unaquæq;
res in cogitatione illustratur, mox incipit deplorare ar-
rogantem ſuiq; amantem intellectum: Væ tibi Moab ci-
uitas.] Si enim attendis ænigmata, quæ tibi inſidiantur
ueriſimili ſpecie, amiſiſti ueritatē. populus Chamos, hoc
eſt populus tuus & potentia, inuentus eſt cæcus & or-
batus luminibus. Chamos enim interpretatur, quaſi pal-
patio: quod uiſu carentis eſt proprium, horum filij qui-
dem ſunt particulares cogitationes exules: ſententiæ ue-
ro tanquam filiæ, quæ captiue adducuntur regi Amor-
reorum, hoc eſt doctori loquentium: quia Amorrei in-
terpretantur loquentes, qui garrulum populum ſigni-
cant, horum imperator ſophiſta eſt, callidus ad inueniē-
dum ſermonum artificium: cuius loquacitate decipiuntur
qui tranſcendunt ueritatis terminum. Seon igitur corru-
pens rectam ueritatis regulam interiturus eſt unā cū ſuo
ſemine: & Eſebon ænigmata illa ſophiſtica uſq; Debō,
quod intelligitur iudicatio: ualde accommodate. nam ue-
riſimilia probabiliaq; non habent ueritatis ſcientiā, ſed
iudicium & controuerſiam, contentionemq; litigioſam
ac peruiacem, & reliqua his ſimilia, nec ſatis erant in-
tellectui ſuæ propriæ peſtes intelligibiles, ſed & mulie-
res amplius etiam accenderunt ignem, ſcilicet ſenſus, ex-
citato in eum incendio maximo, animaduerte quale ſit
quod dicitur, plerunq; noctu ceſſantibus omnibus ſenſi-
bus, de multis uarijsq; rebus cogitationes inſiſtentes
nobis incidunt, dum anima haud quieſcens à motu per-
petuo infinitas mutationes recipit. ad eam corrupcenda
dam

dam sufficiebant uel quæ ex ipsa gignuntur: nunc etiam sensuum turba inuexit in eam morborum ingentē multitudinē, ex rebus uisibilibus, ex uocibus, ex saporibus, ex uaporibus qui odoratu percipiuntur: quæ flamma ab his rebus excitata magis animam populatur, quàm ea quæ in ipsa innascitur absq; ministerio instrumentorū sensitiuorum. Ex his mulieribus una est uxor Petephrae qui culinæ Pharaonis præerat, is quomodo uxorem habeat cum sit eunuchus dispiciendum. nam si uerba legis tractentur allegorice, offeret se hic dubitationis species. Eunuchus enim iste & coquorum præfectus, uidelicet mens quæ non simplicibus tantum, sed etiam superfluis utitur uoluptatibus, eunuchus uocatur sterilis sapiētiae, cum sit eunuchus non alterius quàm dissipatoris bonorum Pharaonis, quandoquidem diuersa ratione optanda res uideri potest eunuchū fieri, si queat anima nostra euitato uitio affectus dediscere. Quapropter & Ioseph figura temperantiæ, uoluptati dicenti, Dormi mecū, & cum sis homo, humano more frui uitæ delicijs, contra dicit his uerbis: Peccarem in deum amatorem uirtutis, si uoluptatis amator fierem. Malum est hoc opus. Et hæc nus quidem uelitur, mox strenue repugnat, quādo in domū suam ingressa anima, uiribus collectis indicit bellum rebus corporeis, & sua propria ut ad animam attentione operatur opera, non in ædibus Iosephi, nec in Petephrae, sed domi. Nec additur cuius domi, ut allegoriam perspicias, eā agere sua negocia, hæc domus est anima, ad quam ille recurrit relictis rebus externis, ut quæ interne dicuntur ibi fiant, continentis autem opera an nō

1 2 per

per dei uoluntatem existunt? nulla enim aderat alia cogitatio ex his quæ solent uersari in anima, nec tamen desinit uoluptas iugum quassare, sed apprehenso pallio iterat illud suum Dormi necum. Protegitur autem uita cibo potuq; sicut corpus uestimentis. Sic igitur illa loquitur: Cur recusas uoluptatem, sine qua non potes uiuere? ecce teneo quæ illam faciunt, & pernego te posse subsistere, nisi utaris rebus talibus, sed quid ad hæc respondet uir temperans? Si seruiendū est, inquit, affectui propter eius causam materiam, extra affectum me propriam. Relicto enim in manu eius pallio fugit, & egresus est foras.] Dicat aliquis, & quis intrò egreditur? Nōne multi? an non sunt quidam qui fugiendo sacrilegium furati sunt ex priuatis ædibus? qui temperantes manibus à patre, pulsarunt alios? hi egrediuntur quidem unum peccatum, sed ingrediuntur aliud. atqui oportet ut perfecte temperans peccata fugiat omnia, maiora minoraq; & in nullo prorsus deprehendatur. Sed Ioseph ut homo iuuenis, qui non posset cum Aegypcio corpore, scilicet uoluptate, contendendo sperare uictoriā, magis uult fugere. Phinees autem sacerdos zelo dei correptus, non fuga sibi salutem quæsiuit, sed arrepto siromaste, hoc est ratione cum zelo coniuncta, non desistit prius quàm transfigat Madianitidem, scilicet naturam occultantem se in diuino choro: idq; per uuluum ipsius, ne unquam possit inde oriri stirps aut semē malitiæ. Quapropter excisa insipientia, duplex accipit anima præmiū, pacem atq; sacerdotium, cognata germanaq; bona. Talis igitur mulier audienda non est: loquor de sensu illo
sceler=

scelerato: quoniā & obstetricibus bene fecit deus, quod mandato dissipatoris Pharaonis neglecto, masculos in uita conseruabant: quos ille interemptos uolebat, amator totius sexus fœminei: summam autem illam Causam nesciens, dicendo, Non noui eum. Sed alia mulier est audienda, qualis Sarra fuit, id est princeps uirtus: cui sapiens ille Abraham paret monēti quæ monere debebat. nam antea cum is nōdum perfectus, necdum mutato nomine astrologiæ daret operam: sciens cum non posse gignere ex uirtute perfectā, consulit ut quærat sobolem ex ancilla, hoc est ex encyclopædia, uidelicet Agar, quæ uox inquilinam significat. Qui enim meditatur in uirtute perfectā domicilium habere, prius quā inter ciues eius ascribatur, inquilinum agit in disciplinis encyclicis, ut his adiutus ad perfectam uirtutem sinatur euadere. deinde cum uxor uiderit eum perfectum iamq; ad gignendum idoneum, quamuis ille gratus erga disciplinas per quas uirtuti commendatus fuerat, graue putat eis remittere nuncium, oraculo diuino mitigabitur dicente: Omnia quæcunque monuerit Sarra, audi uocem eius.] Unicuiq; nostrum lex esto, quicquid uirtuti placet. nam si omnia quæcunq; monet uirtus audire uoluerimus, felices erimus. illud autem: Et comediſti de arbore de qua præceperam tibi ne comederes:] Perinde est ac si diceret: consensisti malitiæ quam debueras totis uiribus repellere, propterea maledicta, non tu, sed terra in operibus tuis. Quæ causa? Serpens ille uoluptas, elatio bruta animæ. hæc ex seipsa maledicta, soli utiq; malo accidit, cæterum bono nemini. At Adam intellectus est consti-

tutus in medio, qui iam melior inuenitur, iam deterior: quatenus enim intellectus est, nec boni nec mali naturam habet: sed uirtute uitioq; in melius deterius uemutari solet. merito igitur non ipse maledictus suo pte ingenio: ut qui nec uitium est, nec uitiosa actio: sed terra maledicta est in eius operibus. nam actiones totius animæ, quam terram uocauit, reprehensibiles culpabilesq; sunt, ut quisq; agit singulas, & ideo adiungit: In doloribus comedes ex ea.] Hoc est frueris anima cū molestia. Laboriose enim quicquid malus per omnem uitam animas utitur, nullam habens causam lætitiæ, ad quam gignendam nata est iustitia prudentiaq; , cæteræq; sodales harum uirtutes. Ergo spinas & tribulos producet tibi.] Quid enim aliud nascitur in anima insipientis, nisi affectus pungentes eam uulnerantesq; : quos figurate spinas uocauit, in quos brutus impetus primos incurrit, & in eorum ordinem receptus, res animæ populatur ac corrumpit incendio. Sic enim loquitur scriptura: Quod si egressus ignis inuenerit spinas, & latius uagatus exusserit arcam, aut spicas, aut campum, luet is qui ignem accendit.] Viden quod ignis egressus, scilicet brutus impetus, non accendit spinas, sed inuenit? Cum enim pronus sit ad querēdos affectus, quæ desiderabat inuenit, & his inuentis exurit ista tria: uirtutem perfectam, profectum, & bonam indolem. Virtutem cōparauit arcam. sicut enim huc fructus comportatur, sic res honestæ in sapientis animam. spicis autem profectum: quia utrumq; imperfectum, tendens ad finem suum. denique campo bonam indolem, quod hæc capax sit uirtutis seminum. singulares
autem

autē uocauit tribulos: quia terni sunt, annumeratis cau-
sis eorum & effectibus, ut uoluptas, uolupte, delectari:
concupiscentia, concupiscitium, ipsum concupiscere:
molestia, molestum, ipsum molestari: timor, terribile, i-
psum timere. Et comedes herbam agri in sudore uul-
tus tui.] Herbam uocat panem per synonymiam, rem
eādem. herba bruti cibus est. brutus uerò malus, cui exe-
cta est recta ratio. bruti quoq; sensus sunt, quamuis par-
tes animæ. at mens cupida sensibilibus, per brutos sensus
ea non sine labore ac sudore appetit. Est enim perquam
arumnosa molestaq; insipientis uita, consecretantis abligu-
rientisq; quicquid uoluptatem parit, & effectus quos-
cunq; maliciæ. Et quousq; tandem? Donec reuertaris in
terram ex qua sumptus es.] Nunc uerò an non in terre-
nis inconsistentibusq; censetur, ex quo reliquit cælestem
sapientiam? Considerandum est igitur quonam reuerta-
tur. fortasse quod dicit, tale quiddam est: quòd insipiens
mēs auersatur quidem semper rectam rationem: desum-
pta est autem non è sublimi natura, sed de humiliore ter-
renaq; materia. Est autem eadem siue maneat siue mo-
uatur, & eadem appetit. Ideò addit: Terra es, & in
terrā reuerteris.] Quod idem est cum antedictis. Præ-
terea significat hoc quoq; Principium tuum & finis u-
num idemq; est. Inchoatus es ex corruptibilibus terræ
corporibus, finies rursus in illa, peracta interim uitæ
uia, non publica, sed aspera, sentibus tribulisq; ad pun-
gendum lacerandumq; natis obsita.

PHILONIS IV
DAEI, DE CHERVBIM ET
Flammeo gladio, & de Cain, qui
primus ex homine pro-
creatus est.



T expulit Adamum, & colloca-
uit ante paradysum uoluptatis:
& constituit Cherubim & flam-
meum gladium uersatilem ad cu-
stodiendam uiam ligni uitæ.]
Nunc dicit expulsum, quem mo-
do emissum dixerat, non temerè
ponens hæc uocabula, sed sciens quàm appositè ad res
proprièq; disponat ea. Qui emittitur, redire non ueta-
tur: quem autem deus expellit, is æterno damnatur exi-
lio. Nam ei qui nondum ualde tenetur à maliciâ, datur
reditus tanquam in patriam, ad uirtutem unde excide-
rat, eum uerò qui uehementer obnoxius morbo insana-
bili premitur, necesse est ferre sua mala, in omne æuum
sine fine damnatum in loca impiorum, ut sustineat me-
rum continuumq; infortunium. Quandoquidem & A-
gar, per quam indifferens disciplina encyclicas ducens
choreas intelligitur, uidemus bis quidem exisse à princi-
pe uirtute Sarra, sed semel tantum reuersam per eadem
uiam. quæ primum quidem ultrò profuga, non expulsa,
reducitur, occurrète angelo, id est dei uerbo, in domum
herilem. Iterum autem omnino expellitur, reditura nun-
quam

quam. Causa autem & prioris fugæ, & posterioris æterni exilij reddenda est. Priusquam nomina mutarentur, hoc est priusquam heriles animæ in meliorem figuram transformarentur, dum Abram erat adhuc pater sublimis, circa cælestes orbes occupatus sideralemq; scientiã, quæ est præstatißima pars mathematicæ ad naturæ contemplationem pertinens: Sarra uerò principatus meus (sic enim hoc nomen interpretatur) nondum generalis uirtus euaserat: genus autem omne est incorruptibile: sed iuxta particulares specialesq; istas censebatur, ut prudentiam quæ in me est, item fortitudinem, temperantiam, iustitiam: quæ sunt corruptibiles sicut ego ipse qui sum earum domicilium: tunc Agar, illa inquam indifferens disciplina encyclica, etiam si tetricum istud uitæ genus, quam uirtutis sectatores degunt, conetur effugere, reuertitur tamen ad relictos dominos, nondum ualentes ad generale illud incorruptibileq; fastigium uirtutis pertingere: cuius uel medium tenere satis est, priusquam ad summum euaditur. At cum Abraham ex naturæ scrutatore factus sapiens & amator dei, nomine quoq; mutato præ se fert patrem electum soni: sic enim interpretatur: nã clare sonat sermo, cuius pater est intellectus compos uirtutis: Sara uerò pro principatu meo fit Sarra, quæ uox significat principem: quod perinde est atq; fieri cõ speciali corruptibiliq; uirtutem generalem & incorruptibilem: exoritur uerò & Isaac ille felicitatis filius: desinentibusq; muliebribus, & emortuis affectibus, succedit gaudium: puer quoq; non pueriles, sed diuinos lusus sectatur non absq; uirtute: tunc expelluntur illa rudimenta

dimenta disciplinarum, quæ nomine Agaris signantur, expellitur simul sophista filius, cui nomen Ismael. exulabunt autem in æternum, ipso deo confirmante exilij sententiam, dum iubet sapientem obedire dictis Sarrae. Diſertè enim dicit: Eijce ancillam cum filio. Virtuti autem parere decet, præſertim auctori talis ſententiæ: quia perfectiſſimæ naturæ à mediocribus habitibus plurimum differunt: & ſapientia alieniſſima eſt à ſophiſtica. nam hæc circa paraturam credibilium uerſatur, quibus falſas opiniones & pernicioſas aſtruat. Sapiencia uerò per meditationem ueritatis, cum utilibus cogitationib: adfert rectæ rationis ſcientiam. Quid igitur mirum ſi Adami quoq; intellectum occupatum imprudentia morbo inſanabili, omnino deus expulit è uirtutum regione nunquam rediturum? quando & omnem ſophiſtam, & matrem eius diſciplinam iſtorum rudimentorum proſligat & expellit à ſapientia, quibus Abraham & Sarram facit nomina. Tunc & flāmeus gladius & Cherubim contra paradifum collocantur. Dicitur autem contra eſſe, uel quod inimicum et infeſtum eſt, uel quod iudicādum, ut reus coram iudice: uel quod cognatum, quando collationis cauſa & diligentioris conſiderationis aliud ponitur contra aliud, ſicut pictores fiſtoresq; tabulas ſtatuasq; ad exemplaria conferunt. exemplum contrarium infeſtorum eſt in Cain, quando dicitur: Exiuit à facie dei, & habitauit in terra Naid contra Edem. Interpretatur autem Naid commotio, Edem deliciæ. illud maliciæ concutientis animam ſignum, hoc uirtutis priuationem affectuum afferentis & delicias, non illum priu-

ritum

ritum uoluptatis affectionis brutissima, sed magna cum facilitate gaudium tranquillum expersq; laborum. Necessesse est autem ut ab imaginatione dei digressa cogitatio, cui bonum commodumq; erat fulciri, nauis in salo iactatæ more, uentis inter se conflictatibus, ultro citroq; feratur, patriam domumq; nacta agitationem: quod quidem maxime pugnat cum firmitate animæ, quam conciliat gaudium, Edem nominatum. Oppositionis autem quæ fit propter iudicium, exemplum habetur de muliere suspecta adulterij. Statuet, inquit, sacerdos mulierem contra dominum, & reteget caput eius.] Hæc quid sibi uelint explicabimus. Quod fieri debet, sæpe fit non ut debet: & quod non est officium, interdum fit officiose. Quale est cum depositum redditur, non bono animo, sed aut in detrimentum accipientis, aut insidiosè: ut comparata semel fide occasio captetur abnegandi maius depositum: tunc officium non officiose fit. Ediuerso quoties ægroto non dicit uera medicus, purgaturus cum aut se-cturus aut iustus propter ipsius utilitatem, ne forte metu doloris fugiat medicinam, aut ob imbecillitatem linquatur animo: item quoties sapiens mendacio fallit hostem propter salutem suæ patriæ: ueritus ne si uera prodatur, uires addat aduersarijs, inofficiosam rem facit officiose. Ideoq; præcipit Moses: Iuste iusta exequere.] Quasi etiam iniuste proferatur iusta sententia, si bonus animus non adsit iudici. Ergo quoniam quicquid dicimus aut facimus liquet omnibus, animus autem quo dicimus quæ dicimus & facimus quæ facimus ignotus est, nec compertum habetur sit ne sanus purusq;, an pollutus

tus morbis uarijs: quòd nemo natus queat occultas cogitationes perspicere, sed solus deus, attestante Moïse dicenteq; , Occulta domino deo, aperta creaturis, nota esse: præcipitur sacræ diuinæq; rationi, ut animam contra deum statuatur reuelato capite, hoc est reuelato præcipuo decreto animi, quod quasi caput cæterorū sit, nudataq; sententia cum qua consueuimus, ut in conspectu acerrimo dei iudicis incorrupti examinata, aut coarguatur fastuose simulationis tanquam nummus improbus: aut immunis ab omni malicia diluat obiectas calumnias, freta teste qui solus potest nudam animam inspicere. Contrarium igitur quod iudiciale diximus, tale est. Illud uerò quod attinet ad similia & quodammodo familiaria, de sapientissimo illo Abraham dicitur: Adhuc, inquit, stabat contra dominum. moxq; argumentum familiaritatis subiungitur: quòd accedens alloquitur eum. Nam alieno abscedere semoueriq; , familiari uerò propius accedere cōuenit. stare autem immutabilemq; obtinere mentem, propè ad diuinam potentiam accedit, quia in deum immutabilitas, in creaturā mutabilitas naturaliter competit. Si quis igitur natiuam suam procliuitatem amore scientiæ refrenans, cogit eam stare, deo iam propinquus agnoscat felicitatem suam. Cæterum Cherubim & igneo gladio contra paradysum habitatio conuenienter assignatur, non tanquam hostibus locum oppugnaturis, sed tanquam familiarissimis amicissimisq; : ut ex aspectu contemplationeq; mutua nunquam intermissa, innascatur utrisq; potentijs desiderium mutuum, aspirante his uolucrem celestemq; cupidinem deo benignissimam. Quid
autem

autem per illa Cherubim & uersatilem gladium igneum subindicetur, iam consideremus. Quid si hic totius cæli circumferentiam cogitari uult? nam cælestes orbés habent motus inter se contrarios: quorum alter dextrorsum fert fixa sidera, alter sinistrorsum erratica. sed extimus ille orbis fixarum stellarum unus est, qui ab oriente ad occidentem uoluitur: interiores autem septem, erraticarum uidelicet, quorum cursus simul coactus & uoluntarius, duos motus habet inter se contrarios. coactus quidem qualis fixorum siderum, quæ quotidie uidemus ab oriente in occidentem tendere: proprius autem à uespertinis cæli partibus ad matutinas: qui uariat tempora circuitus, et ad idem signum reditus septem siderum, quòd quædam ex his decurrant pariter, sol, lucifer, & quem Iulbontem nominant. Tres enim hi pari celeritate sunt. Quædam uerò impariter, sic tamen ut certam proportionem respectumq; seruent & inter se inuicem, & ad illa tria reliqua. atq; ita intelligitur alterū è duobus Cherubim extrema illa uniuersi cæli circumferentia, in qua eodem semper modo diuinas reuera choreas fixæ stellæ agitant, nunquam deserentes ordinem, quem patet conditorq; tenere eas in mundo uoluit. Alterum uerò interior orbis, quē ab initio septisidum fecit opifex, distinctum in septem certis proportionibus inter se respondentes circulos, quibus suus cuiq; planeta insertus est: quibus tamen opifex non commisit habenas, ueritus ne male regerent, sed uniuersas à seipso pendere uoluit, ratus sic maximè cōcinnum motū fore. Quicquid enim cum deo fit, merito laudandum est: sicut quicquid sine deo

deo, uituperandum. Hic unus modus est quo Cherubim intelliguntur allegoricè. Cæterum de gladio uersatili & igneo sic intelligendum, ita significari motum eorum & uniuersi cæli perpetuum. Quid autem si & aliter hæc accipiantur? ut duo Cherubim significant utrumq; hemisphærium. aiunt enim ea habere obuersas in se inuicem facies, arcam propiciatoriam utring; spectantia: quandoquidem & hemisphæria ex aduerso spectant se inuicem, prona in terram sitam in uniuersi meditullio, per quod etiam dipefcuntur. at illa sola omnium mundi partium firmiter stans, appositissime à priscis *εστία*, seu uesta nominata est: ut circū aliquid stabiliter fixum utriusq; seniorbis concinnissima fieret circumuolutio. igneus uerò gladius solem significet. nam cum sit gladius flammeus, nihil est eo currente uelocius, adeò ut una die circum totum mundum rotetur. Quin & doctius quiddā audisse memini à mea anima, quæ nonnunquam diuino spiritu correpta, solet ne sibi quidem nota prodere oracula: quod, si reminisci potero, dicam. Dicebat autem mihi: secundum unicum illum uerum deum esse duas supremas primariasq; potestates, bonitatem & potentiam. & bonitate quidem uniuersa esse condita: potentia uerò, creaturas omnes gubernari. Tertium uerò conciliatorem amborum medium esse sermonem siue rationem. Hoc enim sermone deum & bonum esse & principem. itaq; harum duarum potestatum, principatus bonitatisq; hæc Cherubim esse symbola: sermonis aut flammeum gladium. uelocissimus enim & calidus sermo est, præsertim Cause illius summiæ: quia & tēpore præuenit omnia

omnia, & ante omnia intelligitur, & elucet in rebus omnibus. Proinde utriusq; Cherubim ô mēs formam excipe non adulterinā, ut de Causæ summæ bonitate ac principatu euidenter edocta, fructum felicem capias. mox enim cognosces immortalium illarum potentiarum coniunctionem contemperationemq;: quatenus deus bonus est, elucente nihilominus maiestate: quatenus princeps, eminēte hic quoq; bonitate: ut uirtutes quæ inde nascentur acquiras, humanitatem pietatemq;: neq; prosperitate insolescens, memor illius maiestatis regię: neq; in aduersitatibus desperans, affulgente spe meliorum, per bonitatem magni benigniq; dei. Igneus autem idcò gladius dicitur, quia requiritur hic unā cum actionibus sermo feruens & igneus, qui nunquam moueri desinit, prope-rans semper expetendo bona, fugiendoq; contraria. An non uides quod & sapiens ille Abraham quando incipit iuxta deum metiri omnia, nihil creaturæ tribuēs, accipit ad ignei gladij similitudinem ignem & gladium, refecare ac exurere quicquid mortale habebat cupiens, ut expedita cogitatione sublimis ad deum euolarct? At Balaam ille, id est uanus populus, inducitur inermis defertorq; militiæ, imperitus belli quo anima sibi parat scientiam. sic enim alloquitur asinam, hoc est brutum uitæ propositū, cui omnis insipiens insidet: Si gladium habere, iam te transfixisse. Gratia maxima cōditori, qui sciēs imprudentiæ rabiem, nō dedit tanquā furenti gladium, uerborum facultatem, ne quoscūq; obuios magna clade conficeret. Sed qualis Balaā, talis unusquisq; nō perpergatus, semper inaniter culpat, negociatoriam puta, aut
ruffia

rusticam, aut aliam quamuis facultatem uictus parandis donec fausta omnia contingunt, gaudens uectatione hærensque iumeto, nec putans bonum commodumque interquiescere: quin et monentes ut desistat et imponat modum suis cupiditatibus, propter futuri temporis incertitudinem, inuidos appellat, negans eos monere bono animo. Vbi uero accidit inconsulta infelicitas, eosdem ipsos ut bonos uates miratur, quibus nemo melius futura conijciat: culpam autem calamitatis auertit in artes innoxias, agriculturam, negociationem, aliaue studia, in quibus lucri causa uersatus fuerat. Illæ uero quamuis uocis instrumentis careant, re ipsa erumpunt in clamorem longe clariorem quam qui per linguam fit, dicentes: Annon, ô sycophanta nos sumus illæ, quibus tanquam iumentis insidebas elata ceruice? nosne cõtumacia nostra in presentem calamitatem te coniecimus? Vide resistentem ex aduerso dei sermonem armatum, qui solet bonum malumque definire. non uides? quid igitur nunc nos culpas, quas prius dum res ex sententia succedebant, non accusasti? eramus enim eadem, ac ne tantillum quidem mutata sumus. tu uero corrupto iudicio sine ratione turbaris atque trepidas. si enim ab initio persuasum habuisses, quod non studia quæcunque bonorum malorumque causa sint, sed qui est ad clauum gubernator rerum omnium sermo dei, facilius hos casus ferres, nosque calumniari desineres, nec ascriberes nobis quæ non sunt in nostra potestate. Ille si inimicitijs depositis, et tristibus tuis cogitationibus dispulsis, pacatam uitam tibi promiserit, hilaris gaudensque manum nobis iniiciet, quæ semper nos

stri

stri sumus similes. Ceterum nos neq; fauore tuo infla-
mur, neq; iram tuam magnificimus. Sumus enim nobis
consciæ, quod nec bonorum nec malorum causa, sicut tu
suspicaris, sumus. nisi fortè mari quoq; uel prosperas na-
uigationes imputas uel fortuita naufragia, & non po-
tius uentorum diuersitatibus, nunc molliter, nunc uehe-
mentissimo impetu spirantium. Cum enim omnis aqua
suapte natura quieta sit, quoties secundus uentus à pup-
pi aspirat, omni rudente moto, plenis uelis naues in por-
tum inferuntur: quoties autem repente aduersus à pro-
ra incubuit, multam iactationem ac strepitū excitat. in-
terdum etiam subuertit nauigium: Et tamen innoxio ma-
ri crimen hoc ingeritur, cum satis appareat remissione
uehementiaq; uentorum aut fluctus aut tranquillitatem
fieri. Atq; ita iam satis declaratum existimo, quod natu-
ra quæ rationem auxiliatricem ualidissimā homini ad-
didit, cum qui hac potest uti, felicem merito reddidit, ut
uerè rationalem: eum uerò qui non potest, brutam atq;
miserrimum. Adam uerò cognouit uxorem suam, quæ
concepit & peperit Cain illum, dicēs: Possedi hominem
per deū. & apposuit parere Abel fratrem eius.] Quo-
rum uirtuti legislator testimonium reddidit, eos non in-
ducit uxores suas cognoscere, ut Abraham, Isaac, Iacob,
Mosem, & siquis eorum similis. Quoniam enim dixi-
mus per mulierem figuratè sensum intelligi, alienatione
autem à sensu & à corpore comparatur scientia, à sa-
pientiæ amatorib. sensum potius improbari quàm eligi
ostendetur. & fortasse non immerito. quæ enim cum his
cōuenerūt in matrimoniū, uerbo sunt uxores, re autem

Philo. to. I.

m

uirtutes

uirtutes. Sarra princeps & dux. Rebeca cōstantia in hō-
nestis. Lia fātigata propter cōtinuatam exercitationem,
quam deuitat auersaturq; omnis insipiens. Sepphora ue-
rò Moſis cōiunx, à terra sursum in cælum currens, et di-
uinas illic felicesq; naturas considerans. uocatur autem
auicula. Ceterum ut uirtutum cōceptus partusq; edisse-
ramus, superstitioni discedant obturatis auribus. diuina
enim mysteria tradimus his qui talibus sacris digne ini-
tiati sunt: hoc est, qui ueram & minime fucatā pietatem
colunt cum modestia. illos autem haudquaquam ad hæc
sacra admittimus qui tenentur morbo insanabili, fastu
uerborum, & nominum copia, et præstigijs ethnicis, his
tantum rebus sanctitatem metientes non alijs. Exordie-
mur autem hæc mysteria sic. Vir cum muliere, homo ma-
sculus cum homine fœmina liberorum procreandorum
causa iunguntur naturaliter. cum uirtutibus uerò quæ
multa perfectæ pariunt, non est fas mortalem uirum con-
gredi: quæ tamen nisi à quopiam alio geniturā excipiāt,
ex seipsis nunquam erunt grauidæ. Quis igitur his hone-
sta indit semina, nisi omnium pater, ingenitus deus, ipse
gignēs uniuerſa? hic igitur seminat, moxq; genimē suum
proprium quod seminauit, elargitur. nihil enim sibiipsi
gignit, cum nulla re opus habeat: sed omnia in usum acci-
pientium. nūc adducam horum testem idoneum Moſem
illum sanctissimum. Sarram enim inducit tunc prægnan-
tem, quando deus eam solitariam inspicit. parere autem
hanc non ei qui ipsam inspexit, sed studioso sapientiæ,
qui nominatur Abraham. id apertius docet in Lia, di-
cens uuluum eius apertam à deo: quod uiri est pro-
prium

prium. at illa post conceptionem peperit, non deo quæ solus ipse sibi sufficit: sed Iacob illi qui laborem propter honestatem suscipit. atque ita fit ut uirtus à summa illa Causa concipiat semina, pariat autem unicuique iam è suis amatoribus, quem sibi ex omni procorum numero se-
legerit. Rursum sapientissimo Isaac deum rogante, ex rogato perseuerantia quæ uocatur Rebeca concipit. at absq; supplicatione & precib. uolucrè illam sublimemq; uirtutem Sepphoram Moses assumens, inuenit ex nullo mortali grauidam. hæc ô mystæ purgati aures, tâquam uerè sacramenta animis uestris percipite, nō effutienda apud quenquam profanum: recondite hæc intra uos & tanquam thesaurum seruate, in quo non aurum argen-
tumq; res corruptibiles sitæ sunt, sed uerarum possessio-
num pulcherrima, nimirum de Causa illa summa, de uir-
tute, deq; foetu ex ambobus nato scientia. quod si in ali-
quem initiatū incideritis, urgete eum precibus, ne fortè uos calet aliquod recētius mysterium, donec illud extor-
queatis. Ego enim quamuis apud amicum dei Mosén ma-
gnis initiatus mysterijs, tamen quia rursum Ieremia pro-
pheta conspecto, cognoui eum non solum tenere myste-
ria, sed posse docere quoq; nō grauatus sum scholā eius frequentare. ille uerò utpote diuino plenius spiritu, ora-
culum quoddam edidit ex persona dei sic ad placidissi-
mā uirtutem loquentis: Nonne tanquam domum me no-
minasti, & patrem, & uirū uirginitatis tuæ? manifestasti
me docens, quod deus & domus sit, incorporearū idea-
rum incorporeus locus: & uniuersorum pater, ut qui ea
genuit: et sapiētiae uir, semē felicitatis in usum mortaliū

iaciens in bonam terram uirginem. Decet enim impol-
lutam, intactā purāq; & uerè uirginem naturam cām
deo colloqui, longè diuerso modo quā apud nos fit. ho-
mo enim quando liberos sibi querit, ex uirginibus red-
dit mulieres. at deus quando incipit cum anima habere
consuetudinem, eam quæ modo mulier fuerat, restituit
in uirginitatem pristinam: quando quidem sublatis dege-
neribus, & minime uirilibus cupiditatibus quibus effœ-
minata fuerat, generosas & integras uirtutes in earum
locum substituit. Sarræ igitur non antè consuescet, quā
illæ desinant omnia muliebria, ita ut reuertatur in pristi-
nam castarum uirginum ordinem. fieri tamen potest ut
& uirginis anima lasciuis affectib. polluta deturpetur,
ideò firmū certumq; manet oraculum, quod dicit deum
uirum non uirginis, hæc enim mutabilis et mortalis est,
sed uirginitatis, scilicet ideæ, quæ semper est sui similis.
cum enim generatio & corruptio naturæ ordine cadat
in res mortales, illæ archetypæ potentiæ istarum rerum
fictrices particularium, immortalitatē suā sorte adeptæ
sunt. Et non decebit deum qui est ingenitus & immuta-
bilis, uirtutum immortalium semper uirginum ideās se-
minare in uirginem transformatam ex muliere? Cur igi-
tur ò anima cū debeas in dei domo uirginitatē seruare,
& sciētia cōplecti, his neglectis sensum cōplecteris effœ-
minantem te & polluentem? itaq; paries partū totū ui-
tiosum ac perniciosum, illum fratricidā execratū Cain,
possessionem non possidendam. uocatur enim Cain pos-
sessio. Ceterū mirari posset aliquis narrationis modum,
quo sæpe in multis legislator utitur præter uulgatā con-
suetudinem

suetudinem. Postquam enim dixit de terrigenis, narraturus de primo nato ex hominibus, de quo hactenus nihil omnino dixerat: quasi iam sepe eum nominasset, ac non nunc primum infereret eius nomen suis uerbis, peperit Cain illum, inquit. Quemnam ô scriptor, de quo antea nihil uel paruum uel magnum significasti? atqui nō ignoras conuenientem dispositionem nominum. certe procedente sermone, de eadem persona dicturus es: cognouit Adam Euam uxorem suam, & peperit filium, uocauitq; nomen eius Seth. An non igitur nullo magis oportebat loquendo de primogenito, qui erat principium successiue generationis hominum, primo sexum recens nati declarasse quod erat mas, deinde proprium nomen adungere, puta Cain, aut quodcunq; quoniā igitur non quasi nesciens quomodo nomina ponēda sint, in mētionē Cain uidetur discessisse à consuetudine, considerādum quam ob causam sic nominarit natos è primis parentibus, obiter magis quàm modo quo solemus narrare impositionem nominum. est autem, quantum equidem conijcere possum, causa hæc. Reliquum uulgus hominum nomina imponit rebus diuersa ab ipsis rebus: ut aliud ipse sint, aliud sonēt earū uocabula: apud Mosē uerò nominum impositiones manifestissime res ipsas indicant, ut res necessario in nomen abeat sine ulla differentia. Quod dico discēs clarius ex subiecto exemplo. Quando intellectus (uocetur hic Adam) incidēs in sensum per quem uiuere uidētur animalia (uocetur hæc Eua) cupidine uictus cōgreditur: illa uerò concipit tanquam cassib. & uenatur naturaliter externa sensibilia, per oculos colorem, per

aures uocem, per nares uaporē, saporem per gustus instrumenta, per totum corpus quæ tanguntur: tunc prægnans facta mox parturit, paritq; maximum animæ malum arrogantia. arrogat enim sibi ceu proprias possessiones, quicquid uidit, quicquid audiuit, quicquid gustauit, quicquid olfecit, quicquid tetigit, credens se horum omnium inuentricem & artificem. id autem ei nō absq; ratione accidit. erat enim fortasse aliquando tēpus quando intellectui nihil erat cum sensu negocij, neq; habebat sensum, multum remotus à rebus istis gregalib. & unā uersari solitis, ipse similis solitarijs animalibus in secessu degentibus. tunc sanè cum seorsum censeretur, nō tangebatur corpus, ut qui careret instrumento quo externa capteret. sed erat cæcus & impotens, non sicut uulgo nōminant cum uident orbatum oculis: hic enim uno sensu priuatus, reliquis abunde fruitur: ille autem omnib. sensitiuis potentijs mutilatus, reuera impotēs erat dimidio animæ multatus, egenus uirium quæ nata sunt ad apprehendenda corpora, misera portio separata à sua cognata, carens sensitiuis instrumentis quibus uice scipionis uascillans sustentaretur. quapropter multis tenebris pressos habens oculos, nihil cernere poterat. carebat enim sensu per quem res dignosceret. Volens igitur deus non solum incorporearum rerum, sed et solidorum corporum comprehensionē ei præbere, expleuit totam animam, iam ante factæ portioni attexens alteram, quā nō minauit appellatiue quidem mulierem, propriè uerò Euam, sensum subindicans. quæ ut primū nata est, per singulas sui partes ceu per quædam foramina magnā uim lucis

lucis infudit, quæ intellectum subintraret: atq; ita caligine depulsa effecit, ut clarè manifesteq; uideret naturas corporum tanquã dominus. ille uerò quasi post noctem solis splendore perfusus fulgido, aut e profundo somno excitus, aut quasi cæcus repète uisu recepto, intuebatur omnes simul creaturas, cælum, terrã, aquam, aerem, stirpes, animantes, habitus earum, qualitates, uires, sexus, affectus, motus, actiones, efficacias, mutationes, corruptiones: & quædam uidebat, quædã audiebat, quædã gustabat, quædam tãgebat: ad alia procliuior, scilicet uoluptatem affectentia, ab alijs alienior, ut dolorẽ inducentibus. Ergo cum circumspexisset circa se omnia, cõtēplatus seipsum suamq; potētiam, ausus est gloriari sicut aliquãdo Alexander rex Macedo. nam & illum aiunt, cum uellet ex Europa bellum inferre Asiæ, opportuno inter utramq; loco stantẽ, lustratis aspectu circa se omnib. dixisse, & hæc & hæc mea sunt, puerili plebeiaq; leuitate animi, nõ pro maiestate regia, sed longè antea intellectus sensitiuã uim nactus. et per eam potitus omnib. ideis corporis, repletus irrationali fastu intumuit, ut oĩa se possidere crederet, alios nihil omnino. Hunc in nobis morem exprimens Moses, addidit Cain possessionem interpretari, stultitiæ uel potius impietatis plenum. Cum enim debuisset dei possessionem omnia credere, suam existimare maluit, ne sui quidẽ satis compos, imò ne suã quidẽ sciẽs essentiam. Attamen confidit sensib. tanquam idoneis ad captanda externa sensibilia. Dicat igitur quomodo oculis, auribus, alioue sensu nõ errare poterit. atqui necesse est his singulos nostrum labi falli; cõtinue, etiã si nobis

contingant horum instrumenta absolutissima. Naturales enim noxas & errorem inuitis sese ingerentem omnino effugere difficile, atq; adeò impossibile, cum infinita falsas opiniones excitantia sint & in nobis & circa nos & extra nos, passim in uniuerso mortali genere occurrentia. Ergo insanit cum suam possessionem existimat omnia, quanquam sibi erecta ceruice placet. Sicut Iacob opinor ualde risit Labanem addictum qualitatibus, ipse magis contemplator naturæ expertis qualitatum, quando ille ausus est dicere: Filie meæ & filij mei & pecora mea, & omnia quæcunq; uides, mea sunt, & filiarum mearum. Nam iste ad singulas uoces illud meum accinès, nõ desinit de seipso loqui magnifice. Itane filias (sunt hæ artes scientiæq; animæ) tuas ais esse filias? Dic quomodo? annon primum ab intellectu eas edoctus habes? deinde sic natus es ut eas sicut cætera possis amittere, uel propter aliarum curarum magnitudinem oblitus, uel propter diuturnas molestasq; infirmitates corporis, uel propter destinatum senibus morbum incurabilem, ipsum senium, uel propter infinita alia, quorum iniri non potest numerus. Quid filios (hi sunt particulares rationationes animæ) cum tuos ais, sobriusne es an insanis cum tali opinione? certè atrabilis, deliratio, mentis alienatio, cōiectura incertæ, & imaginationes rerum fallaces, inanescq; quædam cogitationes somniorum similes quibus uelinus nolimus distrahimur, adhæc coalitus animæ morbus obliuio, multaq; præterea, non sinunt te esse firmiter rerum dominum, & declarant, omnia esse alterius, non tua. Quid de pecoribus? quæ sunt sensus brutum enim

enim quiddam & pecuinum sensus est. hæccine audes tua dicere? amabò cum secus uides, secius audis plerūq; interdum falsos succos dulces esse iudicās, & contrà dulces amaros, & per omnes sensus sæpius falleris quàm rectè iudicas, non erubescis? sed tanquam nunquam errares ulla ui aut actione animæ, superbia fastiūq; intumesces? Quod si mutatus ad meliorem ut decet mentem redieris, dices à deo possideri omnia nō à te, cogitationes, scientias, artes, contemplationes, particulares ratiocinationes, sensus, operationes animæ quas uel cum his operatur uel sine his. Quod si perges absq; pædagogo magistroq; uiuere, per totam ætatem feres graues dominas, arrogantias, concupiscentias, uoluptates, iniustitias, imprudentias, falsas opiniones. Dicit enim: Si respondeat seruus, Contentus sum domino meo & uxore mea communibusq; liberis, nolo esse posthac liber: adductus ad tribunal dei, iudicante ipso ferenteq; sententiam, habebit quod postulauit, perforata primum auricula, ne exaudiat dei uerba de libertate animæ. Est enim hominis reiecti uelut è sacro certamine reprobatiq;, & planè puerilis cogitationis, iactare amorem domini, & intellectum habere pro hero atq; benefactore, iactare item amorem sensus, cumq; inter præcipua sua bona possessionesq; censere, natosq; inde pueros: ex intellectu cogitationes, ratiocinationes, coniecturas, consilia: ex sensu, uisum, auditum, gustum, odoratum, tactumq;, & communem sentiendi uim. Necesse tamen est his adductum nullo teneri libertatis desiderio. nam per horum fugam ab alienationeq; potimur immunitate. rursus alius qui-

m 5 dam

dam præter charitatis affectū etiam insaniam præ se ferens sic loquitur: Quod si quis rapuerit, tanquā de proprijs certabo, et per uin recipiam. Persequendo enim, inquit, comprehendam, diuidā spolia, explebo animam meam, et interficiam gladio meo, et præualebit manus mea. Hunc libenter sic compellarem: Nescis fatue, quod quisquis natus putat se persecutorem, alium persecutorem habet. morbus enim, senectus, mors, aliāq; turba uolentium nolentiumq; malorum unumquemq; nostrum exagitat, circumagit atq; persequitur: et qui se putatprehendisse tenereq;, comprehensus tenetur. Nec deest qui prædam sperans, et eius portiones sibi pollicens, præda fit ipse redactus in alienam potestatem, esuriem pro saturitate, et seruitutem pro dominatione admitteus in suam animam, et interemptus dum alium uult interficere, et prorsus omnia passus quæ intentabat alijs. erat enim iste reuera omnis rationis et naturæ aduersarius, omnia quæ sunt agentis usurpans sibi, patiēdi prorsus immemor, quasi extra omnem aleam positus. Sic enim insensibilis loquitur: Persequendo comprehendant. Quis igitur posset esse infestior animæ hostis, quā qui per iactantiam quæ dei sunt sibi usurpat? certè deo proprium est facere, nec fas est id ulli creaturæ ascribere. proprium uero creaturæ pati. quod quisquis ut peculiare necessariumq; præceperit animo, facile feret casus uel grauissimos. contrā si alienum à se putarit, oppressus mole intolerabili, Sisyphiam pœnam sustinebit, ne caput quidē ualens attollere, sed ab omni occurrente aduersitate obtorto collo abreptus, præbēsq; se cuiq; obnoxium propter

propter degeneres effœminatosq; affectus animæ. Debuerat enim sufferre atq; resistere, & obfirmare mentē communitam septamq; suis potentissimis uirtutibus, fortitudine ac tolerantia. Quemadmodū igitur tonderi duplex est, alterum genus præbens se & accommodans, alterum tantum sustinens: pecus enim aut tergus aut uellus nihil ipsum agens, sed patiens solummodo tondetur ab alio: homo uero adiutans tonsorem gestuq; se accommodans, & agens simul atq; patiens: ita tundi quoq; aliter uerberoni seruo accidit uapulanti meritò, aut ingenuo propter maleficiū in rota extēso, aut inanimæ rei cuiipiam: tunduntur enim lapides, ligna, aurum, argentum, aliæq; materiæ, quas fabri in suis officinis aut concidunt aut dilatant in laminas. Aliter autem athletæ pugilatu certanti, aut pancratio amore coronarum & uictoriæ hic enim illatas plagas utraq; manu discutit, & ceruice huc illuc reducta ius euitat: nonnunquam erectus in summos pedum digitos & attollens se, aut cōtra submit tens atq; contrahens, eludit frustraturq; aduersariū, quasi cum umbra pugnantem: mancipium uero aut ferrum nihil agens inuicem, iniuriam omnem sustinet ad uoluntatem alterius. talem igitur affectum nūquam in corpus admittamus, multo minus in animam: sed potius illum contrarium, quandoquidem mortalem pati necesse est: ne tanquam effœminati, fracti dissolutiq; ante tēpus deficiamus per imbecillitatem uirtutum animæ, sed robusti neruos mentis, possimus impendentia mala leuiora red dere. Quoniam igitur satis declaratum est, neminē mortalem habere ullius rei stabile certumq; dominium: quos

autem

autem uulgus dominos uocat, opinione magis quam re uera esse dominos: & necessum est ut subditum ac seruum, ita rectorem in hoc uniuerso esse ac dominum: reuera princeps ac imperator unus deus habendus est, quæ decet hæc uox: Omnes res meæ sunt. Vidcamus nunc quæ magnifice diuineque de his scriptura loquatur: Omnia, inquit, mea sunt. Hæc autem sunt dona, munera, oblationes, quæ, inquit, mihi offeretis semper in meis festis diebus. Valde aperte docens, quod in rebus aliæ mediocri gratia dignæ sunt, quæ uocantur munera: aliæ maiore, quæ uocantur dona proprie: aliæ sunt eius generis, ut non solum fructus proferant uirtutum, uerumetiam totæ refertæ sint aptis ad uescendum fructibus, quibus solis anima contemplatrix alitur. Hæc quicumque didicit, potestque conseruare in mente atque custodire, irreprehensibile pulcherrimumque sacrificium offeret deo, scilicet fidem, idque non in festis istis mortalium. habet enim suas festa, decreto nixus summe necessario philosophiæ sodalibus. est autem hoc: Solus deus uere festum agit. solus enim gaudet, letatur, hilaritate paceque fruitur ab omni bello semotissima. Præterea timoris expers, nihil cum malis habens commercij, nemini cedit, non dolet, non lassatur, plenus felicitate sincerissima. ipsius natura perfectissima, inò ipse fastigium est extremaque linea felicitatis ac perfectio, non egens alio per quem fiat melior, sed ultro omnibus particularia bona ceu è fonte impartiens. Nam quæ in mundo sunt bona, non essent talia, ni ad archetypi illius uere boni, ingeniti, beati incorruptibilisque similitudinem facta fuissent. & ideo sabbatum,

tū, quod interpretatur quies, dei esse Moses dicit in multis legis locis, non hominum, attingens philosophiā necessariam. Quod enim in rebus quiescit, si uera fateri oportet, nihil præter deum est. Requiem autem nō oculū uoco: est enim suo pte ingenio actiua Causa illa omnū, nunquam desinens à faciendis rebus pulcherrimis: sed operationem illam quæ sine labore fātigationeq; fit cū facilitate maxima. Solem enim & lunam & uniuersum cælum mundumq;, cum non sint sui iuris & in potestate propria, & moueantur feranturq; cōtinue, fas est dicere laborare: cuius laboris argumentum liquidissimū extat in annuis horarum siue temporum quatuor uicibus. Nam & ea quæ in cælo sunt ampliſſima suos motus uariant, iam septentrionales, iā austrinos, iam alios atq; alios cursus facientia: aer quoq; frigus æstus & omni-modam admittens temperiem, ex suis affectionibus laborare deprehenditur: quoniam generalissima mutationis causa est fātigatio. Stultum autem esset de terrestribus aquaticisq; prolixius agere, memorando uniuersales particularesq; horum mutationes. hæc enim uerisimile est multo magis quam sublimia illa imbecillitati obnoxia, ut quæ multum ultimæ istius terrenæ essentiae habeant. Ergo quoniam quæ mutantur propter fātigationem mutari solent, deus autem mutari uertiq; non potest, naturam habet infatigabilem. quod uero non debilitatur, etiam si faciat omnia, id in æternum non desinit quiescere. Itaq; soli deo maxime proprium est requiescere. Demonstravi autem, etiam festum agere ipsi conuenire. Solius igitur summæ Causæ & festa sunt & sabbata.

bata, hominum autem nullius omnino. I si libet contentē
 plare celebritates nostras cantatissimas. omittātur quæ
 apud barbaras simul & Græcas nationes per occasio-
 nem figmētorum fabulorum aliæ aliās institutæ sunt,
 in nullum alium finem quàm uanitatem pomposam fa-
 stuosamq; uix enim tota ætas hominis suffecerit ad dili-
 genter excutiendas inconsistentias quæ insunt singulis.
 de præstantioribus tātum pauca pro ratione temporis
 libet dicere. In omni festo nostro & celebritate quæ mi-
 ramur sunt hæc: securitas, remissio, quies ab inferendis
 iniurijs, ebrietas, potatio, comessatio, deliciæ, oblecta-
 menta, patentes ianuæ, pernoctationes, indecentes uolu-
 ptates, quotidianæ nuptiæ, insolentiæ, exercitium intē-
 perantiæ, insipientiæ meditatio, studia turpitudinis, ho-
 nestatis perniciēs, nocturnæ excitationes ad cupidita-
 tes inexplebiles, somnus diurnus, quando uigilandi tem-
 pus est, naturæ ordinis peruersio. tunc uirtus ridetur ut
 noxia, uitium tanquam utile rapitur. tunc in cōtemptus
 sunt quæ oportet facere: quæ uero non oportet, in pres-
 cio. tunc musica, philosophia, & omnis eruditio, diui-
 næ animæ diuina reuera simulacra tenent silentium. at
 istæ artes quæ suis lenocinijs uentri & his quæ sub uen-
 tre sunt uoluptatem conciliant, ostentant suam facun-
 diam. hæc sunt festa istorum qui se felices dicunt. quorū
 turpitudine quamdiu intra priuatos parietes locaq; pro-
 fana continetur, minus peccare mihi uidentur: ubi uero
 torrentis in morem populans omnia, uel in sacratissima
 templa irrumpit, quicquid in his sanctum est sternit cō-
 tinuo, faciens profana sacrificia, uictimas absq; litatio-
 ne,

ne, preces irritas, profana itē mysteria simul & orgia, pietatem sanctitatemq; fucatam & adulterinam, castitatem impuram, ueritatem falsatam, cultum dei superstitiosum. adhuc corpora quidem abluuntur lauacris & purificationibus: affectiones uero animæ quib. uita sordidatur, nec uolunt nec curant eluere. Et ut candidati tēpla subeant dant operam, diligenter emaculatis amicti uestibus: mentem uero maculosam in ipsa sacraria penitissima inferre non uerentur. Item si quam pecudem animaduertant parum integro corpore, eiiciunt extra purificatum aspersione templi spacium, nec patiuntur adduci ad altaria, quāuis inuita & per uim mulctata sint parte aliqua corporis: ipsi consauciati animas morbis grauius, quos eis inflixit impotens malicia, uel potius mutilati castratiq; membris præcipuis, prudentia, fortitudine, iustitia, alijsq; quarū humana natura capax est uirtutibus, & admissis sponte noxis, tamen audēt sacris operari, rati oculum dei tantum externa inspectare adiutū luce solari, non etiam occulta æque atq; aperta conspiceret, ut qui intra semet lucem habeat. eius enim Qui est oculus luce aliena non eget ut res percipiat: sed cum ipse sit splendor archetypus, infinitos emittit radios, quorum nullus est sensibilis, omnes autem intelligibiles. & ideo solus intelligibilis deus eis utitur, ex genitis uero nemo. Quod enim genitum, id sensibile: intelligibilis uero natura sensu non percipitur. ergo quoniam inuisibiliter subit has nostras animas, paremus ibi locum ita ut decet futurum dei habitaculum. quod nisi fecerimus, clā migrabit in aliam domum, quæ uidebitur ædificata melius.

lius. si enim quoties reges excipiendi sunt, magnificenti-
 us excolimus ædes proprias, nihil negligendo quod ad
 ornatum pertineat, sed omnia benigne ac liberaliter ad-
 hibemus ut hospitium quàm iucundissimum respondeat
 dignitati hospitis: regi regum & huius uniuersi mundi
 rectori deo, comitatis atque humanitatis causa dignato
 suam creaturam inuisere, & à summo cælo ad terram
 ut generi humano beneficia sua conferret degresso, qua-
 lem tandem domum oportet instrui? Absit enim ut lapi-
 deam ligneam ue, quod uel dictu nefas est. Nam etiam si
 tota terra aurum, aut siquid auro preciosius, repete fie-
 ret, moxq; per opificum artes in porticus, uestibula, au-
 lis, arcas, ædesq; sacras impenderetur, ne scabellum qui-
 dem eius pedibus posset fieri. dignum tamen eo domici-
 lium anima est, modo sit idonea. Ergo quia domū in ter-
 ris animam inuisibilem inuisibilis dei dicimus, recte le-
 gitimeq; loquimur. quæ ut fiat firma & ornatissima,
 fundamenta eius iaciantur, generosa indoles & institu-
 tio, quibus uirtutes honestæq; actiones superstruantur.
 Eius ædificij prima ornamenta sunt præexercitamen-
 torum ad encyclopædiam pertinentium tractatio. Nam
 bonam indolem sequitur sedulitas & memoria: institu-
 tionem uero discendi facilitas & attentio, quasi quædā
 radices arboris à qua mites fructus in futurum expectā-
 tur, sine quibus absolui mentem est impossibile. Cæteriū
 ex uirtutibus earumq; actionibus munimentum firmū
 atq; securum accedit ædificio, ut quicquid animā ab ho-
 nestate dimouere alienareq; conatur, nihil contra tan-
 tam munitionem ualeat efficere. à disciplinis autē ency-
 clicis

elici pendet totus ornatus animæ, quæ sunt quasi quædam dealbationes, picturæ, tabellæ, marmoratæ incrustationes, quibus non parietes solum, sed & pavimenta ornantur, & id genus alia, nihil ad firmitatem conferentia, sed tantum ad delectationem inhabitantium. Eodem modo & encyclopædia totam animalem domū illustrat ornamentis uarijs. grammatica quidem dum poetarum scrutatur carmina, & priscorum gesta consecratur in historijs. geometria uero proportionem æqualitatem asserens: & quicquid in nobis enorme, immodicum, incommensurabile est, per rhythmos, mensuras modulosq; musicæ ciuilis recurans. Rhetorica autem uerborum grauitatem examinans, & quibusuis rebus elocutionem accommodans, pronuntiationemq; ac uim mouendorum affectuum: præterea laudationes cæterasq; uoluptates quas facunda sonoraq; lingua excitare solet adhibens. Tali domo instructa apud mortale genus, bene sperandum est terrestribus omnibus, expectandumq; fore ut in eam descendant diuinæ potestates. illæ uero cælitus leges iuræq; ferentes aduenient, ut eam consecrent dedicentq;, iuxta iussa atq; uoluntatem patri: ipsarū. Deinde de communicata mensa uictuq; cum animabus uirtutum amatricibus, seminant in eis felicem progeniem: sicut et sapienti illi Abraham gratiam hospitij retulerunt perfectissimam, Isaac filium. nihil enim purificatam mentem maiore afficit letitia, quàm quòd dominum habet, quæ agnoscit regem rerum omnium. Nam seruire deo, maxima est gloriatio, non modo libertate maior, sed & diuitijs, & principatu, & omnibus rebus quas mortales mirantur

Philo.to.i,

n

tantur

rantur preciosior. Eius autem qui Est potentiam uere testatur oraculum illud: Et terram non addices in perpetuum: mea enim est uniuersa: quoniam aduenæ & inquit lini uos estis coram me. An nō manifestissime docet, ius possessionis omnium rerum pertinere ad deum, usum uero solum ad creaturam? Nihil, inquit, in perpetuum cuiquam creaturæ uenditur, quandoquidem unus est dominus, totius creaturæ possessor proprius ac perpetuus. utendas enim concessit deus creaturas omnes omnibus, qui nullum indiuiduum perfectum fecit, quod non utiq; opus habeat alio: ut propter ea quæ cupit, accedat necessario ad illud quod exhibere potest, & illud uicissim ad hoc, & utrumq; ad alterum. sic enim futurum erat per huiusmodi commercia, ut in lyre morem quæ constat è tonis dissimilibus, in communem conuenirent consonantiam, dum mutuum dant & accipiunt, atq; ita omnia per mutantur omnibus ad uniuersi mundi complementum. Conuenit enim animatis cum inanimis, brutis cum rationalibus, stirpibus cum hominibus, feris cum pecudibus, immansuetis cum cicuribus, masculo cum foemella, et uicissim cum mare foemina: & ut compendio dicam, terrenis cum aquatilibus, his cum acriuagis, uolucris cum prædictis generibus. adhæc terra amat cælum, hoc uicissim terram, aer aquam, aqua uentum: mediæ naturæ se inuicem & extremas, extremæ medias & se inuicem: hyems certe æstatem, æstas hyemem, uer utramq; sicut hoc ipsum amore autumnum prosequitur, ita ut singula singulis cara sint, & (ut uerbo dicam) omnia omnibus, propter usum mutuū, ut uniuersum hoc cuius partes

tes ista sunt, absolutum opus existat, dignum mundi opificis. sic igitur his compositis sibi omnium uindicauit dominium: usum fructum uero distribuit suis subditis, ut se ipsis uterentur, & alij alijs inuicem. utimur enim & nobis ipsis, & omnibus quæ circa nos sunt: Equidem constitutus ex anima & corpore, qui mentem, rationē, sensum habere uideor, nihil horum meum peculiare inuenio. ubi enim erat meum corpus antequā nascerer? quò discessurum post obitum? ubi sunt quæ aliquid uidentur ætatem differentię? ubi infans, puellus, puer, ephebus, adolescentulus, uestitus prima lanugine, iuuenis, perfectus uir? Vnde uenit anima, quò discessura? quamdiu nobiscum habitatura? quænam eius essentia? possumus ne dicere, quando eam accepimus? ante natiuitatē? sed tum nondum eramus. post mortem? sed tum non erimus. Cōcreta ne sunt corporibus? at sic deuolucmur ad rediuiuas natiuitates. an non sunt? certe nunc cum uiuimus imperata facimus magis quā imperamus, & noscitur magis quā noscimus. nouit enim nos ipsa nobis incognita, & mandata dat quæ exequi necessum est quasi famulos dominæ: & ubi nos relinquere uoluerit ac migrare ad suum illum principem, desertum destituet hoc in quo uiuimus domicilium: & retinere si uoluerimus, elabetur. Habet enim naturam tenuium partium, ut nullam ansam præbeat corpori. Quid intellectus qui in me habitat, fallax coniector, erroneus æstimator, delirans, stultescens, demens interdum in excessu & atrabili & longo senio? At sermo mihi peculiaris aſt, aut uocis instrumenta? Nōn ne ad quemuis morbum lingua deficit?

nón ne uel eloquentissimum os obturatur? Nón ne multi expectatione mali alicuius attoniti nequeunt hîscere? Atqui ne sensus quidem dominus comperior, et bonum si non seruus, ab eo per uim tractus, ad colores, ad figuras, ad uoces, ad odores, ad sapores, ad cætera corpora. Per quæ omnia liquere satis puto, nos alienis uti possessionibus, nec gloriam possidendo, nec diuitias, nec honores, nec imperia, nec aliud quicquã uel corpori uel animæ proprium, imò ne uitam quidem. usum fructum habemus solum: quod si agnosceremus, curaremus tanquã res dei, præcogitantes morem esse domini recipere sua quandocunq; ipsi uisum fuerit. Sic enim ademptas ferre minus leuius. Nûc pleriq; omnes dum existimant hæc sua esse ac propria, priuati quopiam eorum & egêtes mox opprimuntur mœstitia. Est igitur nō solum uerum, sed etiam ad consolationem utilissimum, credere mundum hunc & quæcunq; continet, esse creatoris ita possessiones sicut opera. sed hæc quoq; opera sua clargitur dominus, quod his opus non habeat. qui autem his utitur, non possidet ea: quia herus unus omnium & dominus est, qui rectissime dicit: Mea est uniuersa terra: ac si diceret: omnis creatura mea est: uos autem aduenæ & inquilini coram me. Collati enim omnes mortales alij ad alios, indigenæ censentur & patricij, æquo iure utentes & paribus munijs. Quod si ad deum conferantur, pro inquilinis erunt & aduenis. nam unusquisq; nostrū tanquam in nouam ciuitatem uenit in mundum hūc, cuius ante natiuitatem ius non habuerat: postquam autem uenit, inquilinus est, donec assignatum sibi uitæ tempus
exant

exantlauerit. Simulq; introducitur dogma sapientissimi-
 mum, quod solus dominus deus ciuis est: omnis aut crea-
 tura inquilina & aduena. qui uero dicuntur ciues, per
 abusum nominis magis quam uere sic appellantur. do-
 num autem gratuitum sufficit sapientibus uiris ad solum
 ciuem deum collatis, quod in aduenarum & inquilino-
 rum ordinem recepti sunt: quoniam insipientium nemo
 aduena aut inquilinus in dei ciuitate inuenitur, sed om-
 nes inde exulant: sicut pro sententia superius pronuncia-
 tum est: Venditione, inquit, non uendetur terra: nec ad-
 didit à quo non uendetur, ut hoc ipsum quod siletur, ad
 scientiam proficiat initiato physiologiæ mysterijs. Inue-
 nies igitur, si omnes consideres, eos quoq; uendere ma-
 gis quam donare, qui gratis largiri dicuntur: & quos pu-
 tamus gratuito accipere, eos reuera emere. Nam qui dā-
 do captant laudem aut honorem, dum quærunt reddi si-
 bi gratiam, specioso donationis nomine uenditionē præ-
 texunt: quando & uenditores suarum rerum solent ac-
 cipere precium. Qui uero admittētes dona, cogitāt red-
 dere, & prima quaq; occasione reddunt, idem quod em-
 ptores faciunt. Nam illi ut accipere norunt, ita & red-
 dere. At deus non uenditor est, æquum precium rebus
 suis statuens, sed donator omnium, perennes gratiarum
 fontes profundens, nullam permutationem cupiens. Nā
 nec ipse indiget, nec quisquam natus potest accepta re-
 pendere. Ergo quandoquidem omnium cōfessione om-
 nia dei possessio sunt, quod tum rationibus uerissimis tū
 testimonijs certissimis euincitur: attestantur enim ora-
 cula quæ Moses in sacras literas retulit: improbādus est

intellectus, qui quod ex coitu cum sensu natum est, suam
peculiarem possessionem ratus, uocauit Cain, dixitq;
Possedi hominem per deum.] Hic quoq; falsus. at quā
obrem falsus? Quia deus causa est non instrumentū. At
quod nascitur, per instrumentum quidem, sed utique ex
causa producitur. Nā ut gignatur aliquid, multa opor-
tet concurrere: à quo, ex quo, per quod, propter quod.
à quo causa est: ex quo, materia: per quod, instrumen-
tū: propter quod, finis. Agedum enim, si quis roget, do-
mus & urbs quæuis ut condatur, quōt nam res oportet
præsto esse: nonne opificem, lapides lignaq;, & instru-
menta? quid igitur aliud est opifex quā causa à quo?
quid lapides lignaq;, quā materia ex qua fit ædificiū?
quid instrumenta, nisi per quæ iam propter quid nisi
tectum & securitatem, quæ causa finalis est. transi nūc
à priuatis ædificijs ad illam domū siue urbem maximā,
id est mundum, & hanc quoq; similiter considera, inue-
nies autorem eius deū, à quo factus est: materiā uero qua-
tuor elementa ex quibus temperatus est: instrumentum
porro uerbū dei per quod est conditus: cæterū finalem
causam cur cōderetur, benignitatē ipsius opificis. sic de-
cernūt amatores ueritatis, & studiosi ueræ sanæq; sciē-
tiæ. illi uero qui aiunt se per deū acquisiuisse aliquid, eū
qui autor est, instrumentū esse putant, id uero quod in-
strumentū est, putāt esse autorem scilicet intellectū huma-
nū. eadem sanè ratione recte Ioseph quoq; coarguitur,
dicēs per deū contingere somniorū intelligentiā. debue-
rat enim dixisse à deo ut autore, explicationem obscuro-
rū discussionēq; conuenientē fieri. nos enim instrumenta
sumus

sumus operationum particularium, qui iam intendimur, iam remittimur. artifex uerò qui pulsat uires tum corporis tum animæ, à quo mouentur omnia. eos igitur qui rerum differentias non possunt discernere, ut indoctos, debemus denuo docere: eos uerò qui contentiose confundunt significatorum ordinem, tanquam litium cupidos fugere. cæterum eos qui singulas uoces examinando suum cuiq; locum convenientem sciunt attribueret, laudare decet ut exercentes se in uera sinceraq; philosophia. proinde Moses populum timentem ne fortè ab illo pessimo persecutore dcleretur ad internecionem sic alloquitur: State & uidete salutem à domino, quam faciet uobis: docens quòd non per deum, sed à deo ut autore salutem consequimur.

PHILONIS IV^a

DAEI, DE SACRIFICIIS

Abelis & Caini.



IT apposuit parere fratrem eius.] Appositio unius, subtractio est alterius, sicut particularum in arithmetica, sic rationum in anima. proinde si Abel apponi dicitur, Cain subtrahi censendus est. Ne autem verborum novitas multis obscuritatem afferat, philosophiam quæ hic subest diligenter quantum potero conabor excutere. Duas opiniones esse constat contrarias inter se pugnantescq; altera menti nos permittit ascribere omnia, ut auctori cogitandi, sentiendi, mouendi, sistendi. altera deum sequitur, cuius sumus opificium. prioris illius figura est Cain, qui interpretatur possessio, eo quod sibi uideatur possidere omnia: posterioris uero Abel refertur enim ad Deum. ambas igitur opiniones partitur una anima: quas mox natas discerni separariq; necessum est: quandoquidem tam insensas inter se habitare unam non est possibile. Ergo quamdiu anima pium illud dogma, scilicet Abelem non peperit, amator sui Cain cohabitabat cum ea. postquam autem illa confessionem summe illius cause peperit, mentem quæ sibi sapiens uideatur non magnificiebat amplius. id euidentius apparebit in eo quod tolerantie Rebeckæ redditum est oraculo. hæc enim

enim ubi duas inter se pugnantes naturas boni maliq;
 concepit, & de utraq; multum diuq; cogitauit monitu
 prudentiæ, tandem subsultantes animaduertens, & iam
 ceu uelitantes præludentesq; futuro prælio, supplex
 deum rogabat: dignaretur docere quid hoc mali esset,
 quòd uel huius remedium. Qui sic respondit: Duæ gen-
 tes in utero tuo sunt. nam accidens hoc natiuitatem bo-
 ni maliq; significat. Verum & duo populi è uentre tuo
 discedent. Hoc remedium est, ut discedant separenturq;
 ab inuicem, nec amplius simul habitent. ergo postquam
 deus bonum dogma Abelem apposuit animæ, subtraxit
 ei opinionem absurdam, scilicet, Cain. nam & Abra-
 ham relictis mortalib. apponitur ad dei populum, fruës
 immortalitate, & factus similis angelis. nam angeli ex-
 ercitus dei sunt, incorporeæ felicesq; animæ. Iacob quo-
 que ille uirtutis mediator eodem modo apponitur ad
 melius, quando reliquit deterius. at Isaac seipso præce-
 ptore scientiam adeptus relinquit quidem & ipse quic-
 quid corporale attextum fuerat eius animæ: apponitur
 autem & consors sit non, ut priores, quos dixi, populo,
 sed generi, sicut Moses ait. genus enim unū est illud sum-
 mum, populus autem multitudo nominatur. quotquot
 igitur per cognitionem disciplinarum proficiendo per-
 fecti sunt, apponuntur ad sortem plurium. nec enim par-
 uus numerus est eorum qui ex auditu & doctrina di-
 scunt, quos nominauit populum. qui uerò humana do-
 ctrina relictæ, ingenium deo doctori excolendum com-
 miserunt, sine labore scientiam affecuti, migrant ad in-
 corruptibile genus & perfectissimum, accipientes sor-

tem meliorem quàm in natiuitate, in quorum Isaac censetur sodalitis. significat autem & alium talem intellectum immortalem. Sunt etiam aliqui quos deus altius promouet, & euolantes super omnes species omniaq; genera prope seipsum collocat, sicut Mosi quoq; dicit: Tu uero hic sta mecum. itaq; moriturus non deficit nec apponitur sicut priores, utpote nec appositionem nec subtractionem admittens, sed ex uerbi illius causalis autoritate migrat, per quod uniuersus mundus est conditus: ut discas quod sapientem illum eodem quo mundum honore deus dignatus est, per uerbum quo condidit omnia, perfectum uirum ad se traducendo à terrestribus. Quin & cum in terrenis eo utebatur negocijs, non principis aut regis communem aliquam uirtutem indidit ei, per quam is exercet potestatem in affectus animæ: sed deum eum constituit, totam corporis regionem ducemq; eius intellectum subiiciens ei iubensq; seruire. inquit enim: Do te deum Pharaoni. in deum autem nec subtractio cadit nec appositio, cum sit plenus & semper sibiipso par. ideoq; nemo sepulchrum eius scire dicitur. quis enim est idoneus ut cogitatione comprehēdat migrationem perfectæ animæ ad eum qui est? equidem opinor ne ipsam quidem, cui migrare contigit, scisse quanto meliora fortiretur, quippe quæ tū correpta erat numine. Quam deus cum alicui benefacit, non utitur eius consilio: sed inexpectata beneficia solet porrigere liberaliter. Tale quiddam est apponere deum natiuitatem boni ad perfectam mentem. id bonum sanctitas est, cuius nomen Abel. Et factus est Abel pastor pecorum, Cain aut operabatur terram. }

Cur

Cur quamuis maiorem natu Cain dixerat, nunc transponit ordinem, iunioris prius mentionem faciens in ostendendo uitæ proposito? erat enim probabile, grandior prius aggressum agriculturam, ac tum demum iunioris suscepisse curam pecorum. at Moses non uerisimilia credibiliaq; sed meram ueritatem confectatur: & quando cum deo colloquens libere negat se uerbis polle re, hoc fortasse dicit, nō esse sibi studium uerborum probabiliū: idq; accidisse sibi heri & nudius tertius, ex quo deus incepit cum ipso colloqui tanquam cum famulo. Nam qui in huius uitæ tempestatem iactationemq; inciderunt, necesse habent rapi huc illuc, nullam firmam tenentes scientiam, sed pendentes à uerisimilibus ac probabilibus. Dei uerò cultorem decet adherere ueritati, & uerborum cōiecturalium fabulositatibus extremum uale dicere. Quæ igitur est in præsentī quæstione ueritas? uirtutem à uitio antiquitate quidem superari, uirib. autem ac dignitate præpollere. ergo quando de amborum natiuitate agitur, Cain procurrat prior: quando uerò conferuntur, & examinantur utriusq; studia, Abel præcedat. nam à prima statim natiuitate & ab ipsis fascijs, usq; dum iuuenilis ætatis affectuum flāma defrueat extinguaturq;, anima collactaneas habet, imprudentiam, intemperantiam, iniustitiam, metum, ignauiam, aliasq; cognatas pestes, quarum singulæ educantur augenturq; à nutrice & uictus ratione, per mores atq; leges pietati quidem infestas, superstitionem uerò impietatis germinam adstruētes inducentesq;. ubi uerò quis pubertatem ingressus est, & affectuum cōcutientium morbus se remisit

misit, tanquam uentis cessantib. incipit in tranquillitate degere, uix tandem cōstabilitus in uirtutis firmitudine, quæ continuo sibi succedentem quassationem, grauissimū animæ morbum mitigauit. atq; ita uitium iuxta temporis prærogatiuam fit antiquius. iuxta dignitatem uerò, honorem atq; gloriam, uirtus est potior: cuius rei legislator ipse testis fide dignus est. cum enim induxisset Esau illum cui nomen est ab imprudentia, antiquiorem, natu minori, nomē habenti ab honesto exercitio tribuit prærogatiuam generis. at ille non prius eam statuit accipere, quàm, sicut in certamine, aduersarius deuictus manus porrigat, præmia coronamq; cedens ei qui bellum sine inducijs caduceatoribusq; gerit cum affectibus. Cōcessit enim, inquit, ius primogenituræ Iacobo, nimirum factus, quod quæ uim habent primatus & uirtutis sunt præmia, nullius mali sunt, sed amatoris sapientiæ: sicut tibia lyraq; & cetera instrumēta musica solius sunt musici. de hoc autē dogmate extat etiam lex scripta admodū pulchrè atq; utiliter. Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram exosam, genuerintq; ei liberos tam exosa quàm dilecta: & fuerit filius exosæ primogenitus: quacumq; die uoluerit substantiam inter filios diuidere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio exosæ: sed filium exosæ agnoscet primogenitum: dabitq; ei de his quæ habuerit cūctis duplicia. iste est enim principium liberorum eius, et huic ius primogenitorum debetur.] Cognosce ô anima, & disce quēnam sit ista exosa, & quisnam iste filius exosæ, moxq; scies quòd alteri nemini, sed huic soli debetur ius primo=

primogenitorum. Nam duæ cum singulis nobis cohabit-
 ant uxores, inimicæ infestæq; sibi inuicem, animalem
 domum replentes æmulationis contentionibus. Harum
 alteram diligimus, quam putamus mansuetam, mitem,
 amicissimam nobis & familiarissimam. hæc uocatur uo-
 luptas. Alteram uerò odimus, rati effræ, immitem im-
 mansuetamq;, & nobis insensissimam. hæc uirtus nomi-
 natur. sed illius formosæ, & modis omnibus expetite uo-
 luptatis magna mysteria quis ignorat mortalium? eo-
 rum uerò thesaurorum qui penes uirtutem sunt bonita-
 tem magnitudinemq;, quis eloqui pro dignitate ualeat?
 norunt qui sunt eorum iam participes, discent etiam qui
 bus natura est propitia, uocati ad cōuiuium, in quo non
 uenter expletur uoluptatibus corpus incrassantibus: sed
 in quò mens pasta & choreas ductans cum uirtutibus,
 gaudens libensq; hilaritate perfruitur. propterea quod
 dudum dixi, uera bona ex seipsis naturaliter uocem mit-
 tere etiam si sileant, nunc omitto, nec loquar de eis pro-
 lixius. nam nec sol nec luna opus habent interprete, qui
 nos doceat, ab altero interdiu, ab altera noctu mundum
 uniuersum illustrari: sed ipso splendore fidem uel absq;
 teste faciunt oculis, certiorib. quàm sunt aures rerum iu-
 dicibus. Quid autē in uirtute nos maxime offendat diffi-
 cultatis specie, nunc liberè proloquar. nam hoc imagi-
 nationem quandam primo congressu nobis incutit, cum
 metu difficultatis cōiunctam: sed assuetudo rem ostendit
 esse iucundam, cuius utilitatem ratio mox indicat. ceteræ
rum labor, inter præcipua bona numerandus, bellum
cum uoluptate gerit perpetuum. hunc enim, si uerum di-
 cendum

cendū est, omnis felicitatis omnisq; uirtutis principiam
 hominibus deus declarauit, sine quo nihil honestum a-
 pud mortales esse inuenies. nam sicut sine luce uidere nō
 possumus, quia nec colores nec oculi ad uidendum suffi-
 ciunt: hanc enim ceu uinculum natura pręparauit, quo
 coaptaretur colori oculus: nam in tenebris neuter suam
 uim exerit: Eodem modo animę oculus, nullam uirtutis
 actionem potest attingere, nisi à labore ceu luce adiu-
 uetur. hic enim inter mentem & bonum quod mens deside-
 rat medius, illud una ex parte, hanc ex altera trahens ad
 se, utraq; manu amicitiam concordiamq; conciliat, atq;
 ita bona perfecta efficit. opto tibi bonum quodlibet, in-
 uenies eius possessionem labore parari confirmariq;
 pietas quoq; & sanctitas bona sunt, sed nisi deum colā-
 mus non possunt nobis cōtingere. cultus autem hic cum
 pertinaci labore coniunctus est. prudentia, fortitudo, ius-
 titia, pulchrę omnes & inter perfecta bona censendę,
 non facillē obueniunt. Atq; utinam uel assidua cura pa-
 rari possint. Non possunt instrumenta animę ferre fa-
 miliaritatem cum uirtute & deo, ceu quandam inten-
 sam uehementemq; harmoniam: proinde remissa laxa-
 taq; sæpius, tanquam à summis artibus descendunt ad
 medias. Superest tamen magnus labor uel in medijs, con-
 sidera studiosos omnes artium quas alij encyclias, alij li-
 berales nominant: considera agricolas, & qui uictum
 quacunq; ratione quęritant: hi nec interdiu nec noctu
 curis sunt uacui: sed semper & ubiq;, ut uulgus loqui-
 tur, 'manibus pedibusq; & omnibus uiribus laborare
 non desinunt, adeo ut immoriantur plerunq; suis nego-
 cijs

cijs. Sed sicut qui animam conantur reddere sibi propriam, necessario colunt uirtutes animæ: ita qui cupiunt frui prospera uoletudine corporis, curare debent sanitatem, & id genus uires eius cæteras: quas certè curant irrequietis laboribus, qui solliciti sunt de potentijs ex quibus contemperati sunt. Vides igitur omnia bona è labore tanquam radice pullulare, quæ negligere haud unquam sustineas: alioqui non senties te cum eo cumulum bonorum negligere. Nam rector cæli mundi; & habet & præbet bona quibuscunq; uult magna cum facilitate: & qui tantam mundi molem sine labore iam olim absoluit, ne nunc quidem in eodem statu eam continere desinit: quippe cui non defatigari maximè conuenit. Mortali autem nemini adipisci bona sine labore datum est: ut sic quoq; eminentem dei felicitatem prædicemus. e= quidem existimo laboris cibiq; eandem esse uim. Nam si cut à cibo tota uita pendet una cum suis actionib. & affectuonib. ita etiam à labore pendet quicquid in rebus bonum est. ergo quemadmodum qui uitam sibi prorogare cupiunt, alimenta non negligunt: ita quotquot quæ bona sunt concupiscunt, laborem magnificent. sicut enim cibus se habet ad uitam, sic labor ad honestatem: qui cum sit unicus, caue illum posthabeas, ut per eum potius bonis simul omnibus. atq; ita quamuis ætate iunior, habeberis grandior, & iure primogenitorum dignior. quod si usq; proficiens ad finem perueneris, non solum quæ primogenito debentur, sed uniuersam suam substantiam pater tibi largietur, sicut iacob illi supplantanti bases affectuum, qui accepta beneficia confitendo dicit:

Miser

Miserius est mei deus, & adsunt mihi omnia, dogma nobis erudiendis proferens. omnia enim in dei miseratione sita sunt. id quod ex institutione Abraham aui sui didicit, qui sapientissimo Isaac dedit sua bona omnia, nihil ex his reliquum faciens spurij nec recta stirpe progeneris, sed ex una alteraq; concubina cogitationibus: quibus ut paruis parua dona dat. nā bona eius, scilicet perfectæ uirtutes, solius legitimi perfectiq; filij possessio sunt. medij uerò generis officia uel imperfectis conueniunt, qui usq; ad liberales disciplinas progressi sunt, quæ ad Agar & Cheturam pertinent: quarum illa inquilinam, hæc suffitum significat. nam qui soli encyclopædiæ dat operam, inquilinus non ciuis est sapientiæ, tanquam sua uolentiam quandam aspirans animæ per hanc contemplationem. atqui cibus non odoribus ei ad sanitatem opus est. odoratus uerò minister gustui, tanquam rei prægustator, à natura datus dicitur rerum architecta omnium. atqui præpositorum maior quàm subiectorum semper ratio habenda est, & indigenarum scientiarum potius quàm inquilinarum. His auditis intellectus auersatus uoluptatem adiungit se uirtuti, ubi pulchritudinem eius non fucatam, sed genuinam & quæ sanctitatem deceat animaduertit: ac tum demum fit pastor pecorum, uidelicet brutarum uirium animæ, atq; etiam auriga gubernatorq; nō sinens eas ferri errabundas nullo ordine, carētes duce ac præposito: ne quasi in orbitate quadam destitutæ tutoribus & auxilio priuatæ, non aberrant solum, sed & pereant. ergo excitator ille sui, conueniens uirtuti opus aggressus est, cum sustinuit pascere Labanis pecora

pecora, intenti in colares formasq; & in anima utiq; cor-
 pora, ac ne hæc quidem omnia, sed residua. id autem
 quid est? duplex brutorum genus est. alterum destitutum
 ratione iudicandi, quales demætes uocamus. alterum in
 totum ratione priuatum: quales brutæ animantes sunt.
 illos igitur irracionales impetus, uires, inquam, rationis
 expertes, filij Labanis iter trium dierum secedendo cu-
 rant: quæ figura est uirtutis per omnem uitã derelictæ.
 Tripartitum enim tempus est, diuisum in præteritum;
 præsens atq; futurum. Alio modo dicuntur irrationalia,
 quæ non recta modo, sed omni prorsus ratione ca-
 rent, quo in numero sunt pecora: quæ exercitator illæ
 cura sua dignabitur, sic cogitans, ea peccare non mali-
 cioso animo, sed per ignorantiam ex praua institutione
 contractam. Ergo ignorantia leue malum quod inuitis
 obrepit, facile habet remedium, disciplinam uidelicet.
 Calliditas autem morbus animæ uoluntarius, ægrè uel
 potius nunquam sanatur & repellitur. itaq; à sapien-
 tissimo patre docti filij, etiamsi in dissipatorem bono-
 rum Pharaonem inciderint, qui uidetur rex animalis
 noscentis discrimina, nihil perculsi apparatu regio, fa-
 tentur se pastores pecorum: nec tantum se, uerum pa-
 tres quoq; suos. atqui alius uix principatû potentiamq;
 ita iactaret, ut hi uiri uitam pastoriciam. Si quis tamen
 rem pro dignitate ualeat expendere, maius regno est
 hoc negocium, posse tanquam ciuitatem aut regionem;
 corpus sensusq;, & uentris uentriq; subiectarum par-
 tium uoluptates, cæterosq; affectus, & linguam aliq;
 ex quibus constamus, nunc moderari constanter atq; for-

titer, nunc æquanimiter in uiam ducere. oportet enim sicut aurigam subiugalibus nunc remittere habenas, nunc in terga retrahere, quoties plus satis efferruntur impetu & rectorem parum audiunt. proinde admiror Moscm legisrum, qui præclaram existimans artem pastorum, ipse tractauit hoc negocium. Præfuit enim Iothoris gregebus dicam an dogmatibus, abducens ea à uulgaribus reipub. studijs in solitudinem in qua nulla fit iniuria. ducebat enim pecora in desertum. unde sequitur ut omnis pastor pecorum abominatio sit Aegyptijs. Rectam enim rationem gubernare solitam ac præcipere odit omnis amator affectuum: sicut deterrimus quisq; puer odit præceptores ac pædagogos, & omnem bonum monitorem castigatoremq;. At Moses ait se abominationes Aegypti sacrificaturum deo, scilicet uirtutes immaculatas decentissimasq; hostias, quas abominatur omnis insipiens. Itaq; merito Abel quicquid optimum est refert ad Deum, pastor uocatur: Cain autem qui ad se ipsum & intellectum proprium, terræ operarius. Quid uerò sit terram operari, in præcedentibus libris declarauimus. Et factum est post aliquot dies, obtulit Cain de fructu terræ donum domino.] Duplex scilicet ipsius amantis crimen. Vnum quod post aliquot dies, non continuo gratias egit deo: alterum quod de fructu obtulit, non de primo fructu, quas uocamus primitias deriuatiuo nomine. utriusque rei causam scrutemur, prius eam quæ præcedit ordine. oportet eos qui boni aliquid faciunt prouolare ante alios, & incunctanter amoliri impedimenta omnia. Est autem optimum opus summi

summi illius primarijque boni placatio sine cessatione dilationeque, ideo præceptum extat: Si uoueris uotum, non cunctaberis id reddere. Votum igitur est petitio boni alicuius à deo: mandatum autem, ut uoti compos coram nam offerat deo, non sibi, idque sine mora, si fieri potest. in hac re qui peccant, alij per beneficiorum obliuionem gratiarum actione se priuant qua nihil preciosius. alij uero per nimiam arrogantiam seipsos auctores bonorum suorum existimant, non illum uerum auctorem rerum omnium. Tertij leuius peccant quam proximi, grauius tamen quam primi. hi sua bona referunt quidem ad autorem deum, sed aiunt se suo merito ea consequi. esse enim se prudentes, fortes, temperantes, iustos, & ideo dignos censendos diuina gratia. Horum singulis resistit sacra scriptura, ac primo illum qui abolita memoria indulget obliuioni his uerbis alloquitur: Heus tu, caue ne edendo saturatus, & extructas pulchras ædes inhabitans, auctusque gregibus pecorum & armentis bouum, argentoque & auro ac cæteris bonis tibi affluentibus, exalteris corde obliuiscarisque domini dei tui: Quando igitur non obliuisceris tu? quando non obliuisceris tui ipsius. memor enim propriæ conditionis quam sis prorsus nihili, memineris & immensæ dei præcellentie qua uniuersa supereminet. illum uero qui seipsum causam suorum bonorum putat, sic castigat scriptura: Caue dicas, inquit, robur meum, aut fortitudo manus meæ parauit mihi hanc potentiam: sed memor memineris domini dei tui, qui dedit tibi uires ad parandam potentiam. at ille seipsum dignum credens accepto beneficio,

patiatur se admoneri hoc oraculo: Non propter iustitiam tuam, nec propter sanctitatem cordis tui, intras in terram hanc ut eam sorte possideas: sed primum propter iniquitatem harum gentium inferente ijs deo perniciem: deinde ut confirmetur testamentum illud quod iuravit nostris patribus. testamentum autem dei figura est dicuntur eius gratie. nec est fas ut ille quicquam imperfectum largiatur. itaq; integra absolutaq; sunt dona ingeni omnia. integra autem in rebus uirtus est, & huius actiones. ergo si de medio sustulerimus obliuionem, ingratitudinem, amorem sui, & horum matrem arrogantiam, non amplius cunctando amitemus germanum cultum dei, sed præcurrentes creaturas ceteras, & priusquam salutemus ullam rem mortalem, compellabimus dominum, parati eius imperata exequi. nam & Abraham properans celeriter & cum magna alacritate accurrens, iubet uirtutem Sarram festinare & fermentare tres mensuras simile, facereq; subcinericios, quando deus ipse comitatus duabus supremis potentijs, principatu bonitateq;, ipse unus ille medius triplicem imaginationem operabatur in uisua anima, quarum singulas metiri haud licet (incircumscriptus enim deus, & incircumscriptæ eius potentiæ) sed ipsæ metiuntur omnia. bonitas eius mensura bonorum est: potentia, mensura subditorum. ipse uero imperator mensura est omnium rerum corporearum incorporearumq;. ideo hæ potentiæ, regulæ præceptiq; rationem obtinentes erga ceteras, metiuntur & appendunt reliqua omnia. has tres mensuras bonum est fermentari quodammodo commisceriq;

sceriq; in anima, ut persuasa esse summum deum, qui su-
per potentias suas eminet, & uel sine illis uel in illis ap-
paret, recipiat characteres potentie eius beneficentieq;
& initiatur perfectissimis mysterijs, quæ ut diuina nemi-
ni proloquatur facile: sed seruans ea recondita, & te-
nens silentium, fruatur eis in abscondito. scriptura enim
subcinericiorum quos encryphas uocât meminit, quia
celari debet sacer ac mysticus sermo de Ingenito eiusq;
potentijs: quandoquidem diuinorum orgiorum deposti-
tum seruare non cuiusuis est. nam incontinentis animæ
fluenta per os linguamq; emanantia, inundant aures o-
mnium. harum quæ capaciores lacunas habent, liben-
ter seruant quod infunditur. aliæ uerò propter angus-
tias foraminum rigari nequeunt. quod autem superebul-
lit effusum in parui capacia, passim diffluit: ut quæ prius
celabantur fluitent in superficie, & in modum uilis cœ-
nires preciosissimæ pessum abeant. quamobrem placet
mihi consilium eorum qui ante magna mysteria initiant
minoribus. Coxerunt enim pastam suam quam extule-
rant ex Aegypto, ut fierent azymi subcinericij, id est, se-
rum crudumq; affectum subegerunt, tanquam cibum co-
quendo maturandoq;: modum autem coquendi & mu-
tandi in melius, qui per diuinam quãdam morã fit, non
prodiderunt sermone, sed in occultis suis reposuerunt,
non elati initiatione, sed sine iactatione submittentes se
humilantesq;. Accingamus igitur & expediamus nos
ad agendas omnipotenti gratias, reddendumq; illi sine
mora honorem debitum. præceptum est enim transeun-
tibus ab affectu ad uirtutum meditationem, ut accincti

lumbos pascha celebrent, expediti ad ministrandum: et induiti calceamēta, quibus carneam molem ratione contineant, stentq; recti firmatis pedibus: & disciplinam habentes uirgam in manibus, ad dirigenda citra errorem omnia uitæ negocia: postremo iubentur properando cibum edere, quia pascha, creaturæ mortalis transitus ad deum dicitur: & ualde conuenienter. nullum enim bonum est, quod non dei sit & diuinum. id igitur celeriter quære ô anima, quemadmodū ille meditator iacob: qui rogatus à patre, Quid hoc est quod cito inuenisti fili? quasi dogma respondet: Quod dedit dominus deus coram me: quippe qui longa experientia doctus norat, quod quicquid innatum est animæ, longo usu confirmatur: sicut fit cum artes earumq; præcepta traduntur discipulis. Non possunt enim præceptores, quemadmodum qui in uas infundunt, implere mentem eorum qui introducuntur. Sed quando fons sapientiæ deus scientias tradit humano generi, sine mora hoc facit & ex tempore. tum uerò homines discipuli facti eius qui solus est sapiens, summa celeritate quod quærebant inueniunt. est autem præcipua uirtus discipulorum, dare operam ut perfectum doctorem ipsi quoq; perfectè imitētur. atqui præceptor ille omni tempore celerior est, quia ne tum quidem ab eo adiutus est cum creabat omnia, & ipsum etiam simul cum mūdo extitit. adhuc enim loquēte deo facta sunt omnia, nec intercessit ulla mora tēporis. imò si licet uerius dogma attingere, dictum & factum idem est. uerbo certè etiam apud mortales nihil est mobilius. præcedentem enim mentis conceptum celeritate assequitur

tur nominum uerborumq; uolubilitas. ergo sicut riuorum perenniu fluenta cursu irrequieto feruntur, sequentibus aquis præcedentes impellentibus: ita sermonis semel coepti exundantia, mentem omnium quæ nobis insunt mobilissimam, & uolucris naturis parem, currendo assequitur. igitur sicut ingenitus ille præuenit omnia genita: ita ingeniti sermo sermonem creaturæ præcurrit, nubila etiam præteruolans. sicut ipse libere loquitur dicens: Ecce uidebis quod apprehendet te sermo meus: quasi nihil sit quod dei sermonem possit effugere. quod si sermo præuenit, multo magis ipse qui loquitur, sicut alibi testatur, dicens sic: Ego steti ibi prius quam tu quo significat se substituisse ante omne quod factum est: qui & hic & illic est, & alibi & ubiq; implens quam latè patent omnia, & nihil relinquens ipso uacuum. non enim dicit, Ego steti & illic, sed nunc quoq; tibi præsens sto illic eodem tempore, non motu ambulatorio, ut alterum locum occupans relinquam alterum, sed mouendo me tenore eodem. faciunt igitur suum officiu obediens filij, qui naturam patris imitando, incunctanter cum omni festinatione quod bonum est agunt: qui nihil pulchrius facere possunt, quam quod honorant deum sine dilatione. at dissipator Pharaon, non ualens imaginatione percipere uirtutes carentes tempore, nimirum orbatus animæ oculis, quibus solis naturæ comprehenduntur incorporeæ, ne iniuri quidem ex tempore sustinuit: sed cum inanimatis opinionibus, ranis inquam premeretur, sonum strepitumq; inanem, & omni re uacuum emittentibus, dicente Mose: Præscribe tempus

quo pro te tuisq; famulis precer ut ranae tollantur è medio, cum debuisset in tanta necessitate constitutus dicere: iam nunc precare: maluit differre dicens, Cras: ut per omnia retineret impietatis teneritudinem. Idem accidit omnibus ferme dubitatoribus, etiamsi non exprimatur eis confessio. nam quotiescunq; aliquid eis accidit præter animi sententiam, homines qui ne antea quidem firmiter seruatori crediderant, ad creaturas auxilij gratia confugiunt, medicos, herbas, pharmacorum compositiones, dietam accuratam, ceteraq; omnia mortalium auxilia. Quibus si quis dicat: confugite ô miseri ad illū unicū medicū morborum animæ, omiſſis istis quæ à corruptibili creatura petitis falsi nominis auxilijs: rident et cauillantur reclanantes: In crastinum ista: quasi ne præsentaneam quidem malorum depulsionē petituri à Deo supplices. sed quando nihil humanæ opis proficit, et uel Pæonia remedia officiunt: tum demum penitus destituti consilio, nullum aliunde sperantes auxilium, infelices uolentes nolentes, uix sero ad Deum qui solus seruare potest se recipiunt. ille non ignarus parum ualere quæ extorta sunt, non omnib. pariter est facilis, sed his in quos bene collocatur beneficium. Ergo omnis cogitatio quæ sua putat esse omnia, deo se præferens (hoc enim ex his uerbis POST ALIQVOT DIES intelligitur) sciat se impietatis reā apud sacras literas. Hactenus satis dictum sit de primo Caini crinine. secundū tale fuit. Cur de fructibus, et non de primis fructib. offert primitias? fortasse hanc ob causam, ut primatum creaturæ det, secundarium honorem reddat numini. Sicut enim sunt qui-

dam

dam qui animæ præferunt corpus, seruum dominæ: eodem modo sunt qui creaturam magis honorant quàm creatorem, contra mandatum legislatoris, iubentis primitias de primis fructibus terræ inferri in domum Dei, & non conuerti in usum proprium. iustum enim est, motus animæ primos uel sua ui uel ordine, deo dedicari autorem cum confitendo. Qui primi sunt ordine, sunt illi qui statim à natiuitate nobis obuenerunt, cibus, incrementum, uisus, auditus, gustus, odoratus, tactus, sermo, intellectus, partes animæ, partes corporis, uires harum, in uniuersum motus & habitus qui secundum naturam sunt. quos autem sua dignitate uiq; primos dixi, sunt benefacta, uirtutes, uirtutum actiones. ex his igitur iustum est offerri primitias. primitiæ uerò sunt, sermo ex sincero animo emissus cum gratiarum actione. is diuiditur in suas sectiones, sicut lyra diuiditur, & cætera instrumenta musica. in his enim soni & singuli per se apti sunt, & ad alium concentum maximè accomodi: sicut & in grammatica ex elementis ea quæ uocantur uocalia, quæ tum per se sonant, tum alijs coniuncta integram uocem efficiunt. cæterum natura quæ multas potètiās in nobis uel sensitiuas uel intellectiuas fabricauit, & cuiq; peculiare aliquod opus assignauit: ac rursum omnes eas coaptauit per proportionales concinnitate qua respondent inter se inuicem, iure felix prædicari potest & ob uniuersas & ob singulas. quapropter cum offeres sacrificium de primis fructibus, ita diuide sicut docet sacra scriptura: primum ut sint uirentes, inde tosti, deinde cōcisi, postremo comminuti. uirentes recentesq; ideo: quia homines illos

antiquum fabulosumq; tempus amantes, celerem autem
 & nulli tempori obnoxiam dei potentiam non intelli-
 gentes, docet: admonens ut noua, recentia pubentiaq; su-
 mant bono animo, ne priscis innutriti fabulositatibus
 quæ multis ætatibus ad decipiendos mortales sunt ceu
 per manus traditæ, imbuantur falsis opinionibus: sed à
 deo nunquam senescente semperq; iuvene noua recen-
 tiaq; bona copiose accipiendo, discant credere non esse
 quicquam uetus apud eum, aut omnino præteritum, sed
 subsistens absq; tempore nascensq;: quapropter etiam
 alio in loco scriptura inquit: A facie canis surges, & ho-
 norabis faciem senioris: quasi plurimum interfit inter
 utrunq;. Canum enim dicit tempus illud ociosum, à quo
 surgere migrareq; oportet eos qui declinant opinio-
 nem istam innumeros fallentem, quod tempus habeat na-
 turam faciendi aliquid. Senioreem autem eum qui hono-
 re, præmio dignitateq; præfertur ceteris, cuius proba-
 tio amico dei Mosi committitur. Quos tu nosti, inquit,
 hi sunt. nempe quod hic nihil iuuenile admitteret, se-
 niora & summo honore digna dogmata amare solitus.
 Prodest tamen si non ad parandam perfectam uirtu-
 tem, certè ad curam reipub. nosse opiniones priscas &
 Ogygias, audireq; antiquitatis pulcherrima facinora,
 quæ historici, & omne genus poetarum prodiderunt
 ætati suæ ad postritatis memoriam. Sed quando ex
 improviso nil tale sperantibus, repentina lux affulse-
 rat sapientiæ quam per se quisq; discit, quæ patentem æ-
 nimæ oculum penetrans ex auditoribus reddit spectato-
 res scientiæ, celerrimum sensum, uisum præ tardissimo
 auditu

auditu in mētem inferens: tunc frustra fuerit sermonib.
 aures exercere. ideo dicitur: Comedētis uetera et uete-
 ra ueterū: sed & uetera ex persona iuuenū efferetis: qua
 si canæ propter tempus disciplinæ recusandæ non sint,
 dum & scriptis sapientum damus operam, & narratio-
 nibus priscarum rerum sententiarumq; libenter interfu-
 mus, & scitari nō grauamur de superioribus ætatibus,
 quando nihil ignorare est res iucundissima. Cum autem
 deus in animam indit noua germina per se docilis sapiē-
 tiæ, quæ ex præceptoribus didicimus contrahenda cir-
 cumscribendaq; sunt, subducentia se ultro & effluentia.
 scholarem enim dei, siue familiarem, siue discipulū, seu
 quocunq; alio libet hunc appellare nomine, impossibile
 est tolerare præceptiūnculas mortalium. Sit præterea
 nouæ animæ maturitas tostā, hoc est tanquam aurū ser-
 mone efficaci examinata, examinatæ autem probatæq;
 signum est soliditas. sicut enim uirentium spicarum fru-
 ctus torretur ut deponat molliciem, quod fieri non po-
 test absq; ignis ministerio: eodem modo nouum conatū
 tendentium ad maturitatem uirtutis oportet potente ir-
 refragibiliq; sermone duratum solidumq; reddere. solet
 enim sermo in anima speculationes non solum ad matu-
 ritatem coquere ne sint fluidæ, sed & irrationaliū affe-
 ctionum impetum labefacere. saltem meditatorē iacob
 coquētem aspice, quando Esau mox deficere inuenitur.
 fundamentum enim scipso amantium, uitium & affe-
 ctus est: quo fulti si id sibi subduci uiderint, non immeri-
 to neruos roburq; amittunt. Sit autē is sermo non con-
 fusus, sed in sua frustra diuisus. nam sic concisa χίδρα
 uocari=

uocantur. in omnibus enim rebus ordo melior est quam perturbatio, præsertim in sermone corrente uelocissime. diuidendus est igitur in præcipua capita ut uocant, & addendus suus apparatus singulis, exemplum bonorum sagittariorum imitando, qui scopo aliquo sibi proposito, conantur omnia tela in eum defigere. seopo enim summarium illud capitulum, telis eius apparatus assimilatur. atq; ita sermo, quo nihil præstātius discimus, apte concinnēq; contextitur. etenim bracteas auri concidit legistrator in fila, ad contexenda quædam sua opera firmius. Ad eundem modum sermo quouis auro pretiosior, ex uariationibus innumerisq; ideis laudabiliter absoluitur, quando usq; ad exigua capitula concisus formam alicuius inuenti accipit, additis demonstrationibus, tantum apte contextis staminibus. siquidem pari modo præcipitur ut holocaustoma detracto tergore membrætim cōcidatur, ut primum anima absq; tegminibus quæ ei uanæ falsæq; opiniones circumdant, nuda appareat: deinde diuisiones conuenientes recipiat. integrum enim quiddam & unum uirtus est, quæ in species suas diuiditur, prudentiam, temperantiam, iustitiam, fortitudinē: ut cognitis singularum differentiis ultro eam colamus, & per partes & integram. Consideremus autem quomodo animam assuefaciamus, ne solidis & indigestis imaginationibus turbata decipiat: sed ut diuisiones rerū faciendo singulas introspeciat & scrutetur cum omni diligentia. assumemus etiam sermonem qui non inordinato impetu ruendo obscuritatem faciat, sed partitus in sua capita, singulorumq; horum demonstrationes, tanquam animal

animal ex perfectis membris compactum pulchre congruat. oportet autem, si uolumus usum harum rerum in nobis confirmari, exercere has meditariq; assidue: quia non perseverare in cœptis scientijs, perinde est ac si gustato cibo potuq;, non detur ad satietatem edere. ergo post concisa pulchre conuenit comminuta facere, hoc est post diuisionem immorari in inuentis terendo tempus diutius. nam exercitatio continua scientiam confirmat, sicut ignorantiam inexercitatio. innumeri igitur dum grauantur in certamen descendere, genuinam uim perdidierunt: quos non sunt imitati qui animam alebant prophetia, significata mannae nomine. Nam hi molebant, conterebantq; eam faciendo subcinericios, uolentes singuli cælestem illum uirtutis sermonem cōminuere quo firmitus hæreret in animo. ergo ubi uirentia ad maturitatem, tosta ignito irrefragibiliq; sermone, concisa diuisaq; in rerum partes, deniq; comminuta per translationem meditationemq; inuentorum approbaueris, ex sententia dei sacrificium primi fructus offeres, optimi & ante alios prognati ex anima. attamen etiam si ipse tardemus, ille non cunctatur idoneos uel ante oblationem sibi assumere. Assumam, inquit, uos mihi populum, & ero deus uester, & uos eritis mihi populus. ego sum dominus. Hæc sunt Caini crimina, post aliquot dies offerentis sacrificium. cæterum Abel obtulit ei nec eadem, nec eodem modo, sed pro inanimis animata, pro iunioribus & secundarijs grandiora & primaria, & pro deterioribus integra atq; pinguiora. nam de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum sacrificasse dicitur,

iuxta præceptum sacratissimum. est autem tale. Et erit; inquit, cum introduxerit te deus Chananæorum in terram eorum, sicut iurauit patribus tuis: dabo tibi eam, et sumes omne quod aperit uuluum generis masculini de armētis & gregibus tuis, ut offeras domino. omne aperiens uuluum asini, permutabis oue. sin autem non permutaueris, redimens ipsum.] Quod aperit uuluum, donum Abelis est primogenitum, quod quādo & quomodo offerendum sit quære. certe aptissimum tempus est, quando inducit te Deus in fluctuantem sermonem, terram Chananæorum, non quomodocunq; , sed quem admodum iurauit ipse: non ut fluctuationem huc illuc iactatus, & nusquam consistens sustineas, sed ut ab ea desists in serenitate ac tranquillitate degas, & ad uirtutem tanquam in stationem tutissimam, aut portum delatus stabiliaris firmiter. Dum autem dicit, Deum iurare, dispiciendum an uere hoc ei conueniens pronuncietur: quoniam plurimis uidetur non esse proprium. Iusiurandum enim intelligitur testimonium dei de re ambiguo. deo autem nihil est incertum aut dubium, qui etiā alios in cognitionem ueritatis dignatur introducere. ipsi certe nullo teste opus est. nec enim est alius deus huic honore par. ne quid dicam de teste, quod in quantum testimonium exhibet, maior est eo cui datur testimonium. alter enim opis indiget, alter opem fert. at quod opem fert, fide dignius est eo quod hac indiget. sed nihil est pretius summo illo rerum autore, quia ne conferendum quidem quicquam, imò neq; paulo deterius, sed toto genere demissum infra deum inuenitur quicquid est. & ho-

mines

mines ut fides ipsis habeatur ad iusiurandū confugiunt, deus uel simpliciter loquens fide dignus est. itaq; uerba eius, quantum ad certitudinē, nil à iuramento differunt, ita fit ut sententiæ nostræ fides ex iureiurando accedat, ipsi uero iuramento ex deo. non enim propter hoc deo creditur, sed hoc per deum confirmatur. cur igitur uati nostro uisum est iurantem eum introducere? ut infirmitatem creaturæ coargueret, & conuictam consolaretur. non potest enim anima nostra semper in promptu habere præcipuam illam de deo sententiam; non esse eum homini similem, ut transcendamus quicquid prædicatur de homine: sed quia maxima ex parte affines sumus rerum mortalium, & præter eas nil cogitare possumus, neque proprios morbos egredi: sed induti rebus mortalibus tanquam cochleæ, eisq; harum in morem inuoluti, easdem de illo beato immortaliq; quas de nobis opiniones habemus, uerbis quidem negantes deum humana forma præditum, re autem ab impietate quorundam, qui affectus ei tribuunt non alieni, utcunq; tergiuersamur: ideo manus, pedes, introitum, exitum, os, dium, alienationem, auersationem, iram ei affingimus, affectus nihil ad autorem illum summum pertinentes: in quibus & iusiurandum est, quo subleuatur nostra infirmitas. Si dederit tibi deus quæ uis, ait Moses ponens terminos. illo enim non danti non habebis: quoniam omnia in eius potestate sunt, externa bona, corpus, sensus, ratio, intellectus, & omnium actiones atque essentiæ: nec tu solus, sed & mundus hic: à quo quicquid auelles & separabis, hoc alienum inuenies. etenim

terram,

terram, aquam, aerem, cælum, stellas animalium stirpiumque
 tum mortalium tum immortalium ideas omnes ut res suas
 possidet. itaque quicquid ex his adduxeris pro uictima,
 Deo suas res offeres non tuas. Et uide quam pius, qui
 de his, quæ acceperat sumpsit, non totum offert quantum
 sibi donatum est. plurimas enim res nobis natura conue-
 nientes humano generi donauit, quarum expers est ipsa
 omnium: ut generationem ipsa ingenita, alimētum quo
 ipsa non indiget, corpus instrumentale quod ipsa non po-
 test assumere, incessum, uisum, auditum, cibos nunc in-
 gerere, nunc digestos egerere, uaporum discernere di-
 uersitates, uerba promere, ridere. insunt nobis et alia
 permulta ad usus quotidianos necessaria. Verum hæc
 aliquis indifferentia dixerit, quæ uero ex confesso bonæ
 sunt, inesse naturæ. age igitur examinemus ea quoque
 quæ ut uera bona admiramur, quæ omnia optamus no-
 bis obuenire suo tempore, et adepti uidemur felicissi-
 mi. Quis ignorat quod carere senio morteque habetur in-
 ter humana bona præstantissimum, quæ neutra ad natu-
 ram pertinent, quamuis expertem mortis et senij? Et
 quid mirum si ingenitum illud bonis uti non dignatur,
 quando et creatura ipsa, secundum idearum in quas di-
 uiditur differentias, dissimiles uirtutes expetit. itaque nul-
 la inter uiros et mulieres æmulatio est de his quæ sunt
 alterutris propria: sed mulieres non abstinentes studiis
 uirilibus, uiraginum subibunt infamiam: uiri uero an-
 drogynorum, si tractent exercitia muliebria. Quid quod
 nonnullas uirtutes natura ita discreuit, ut nulla cura pos-
 sint communicari? et ideo seminare gignereque, quæ pro-
 pria

pria uiri uirtus est, non adest mulieri. sicut fecunditas pariendi, muliebri bonum, non cadit in uirorum naturam. itaq; ne illa quæ insunt hominibus, de deo dicuntur proprie, sed per quendam abusum nominum quo infirmitati nostræ succurritur. quamobrem aufero anima, quicquid est genitum, mortale, mutabile, profanum, quando de deo ingenito, incorruptibili, immutabili, sancto, soloq; beato cogitas. cæterum omne masculinum aperiens uulvam sacrificari domino, ualde naturæ est consentaneum. sicut enim mulieribus ad pariendos foetus peculiarem partem natura dedit uulvam: ita ad generationem actionum assignauit in anima uim, per quam intellectus multa concipiat, parturiant, deniq; pariat etiam. commenta autem quæ pariuntur, partim mascula partim foeminea sunt, sicut animalia. foemineus foetus animæ malicia est & affectio, quibus effoeminamur in omnibus studijs. masculus autem, uirtus & immunitas ab affectibus, quæ duo nos confirmant & excitant. ex his quicquid ad uirile contubernium pertinet deo cōsecrandum: quicquid ad conclaue muliebri, nobis attribuendum. & ideo præcipitur, Omne aperiens uulvam masculinum domino. addit etiam: Omne aperiens uulvam de armentis & gregibus tuis. Postquam dixit de principali animæ partis foetibus, incipit docere de brutæ partis progenie. hæc ad sensus pertinet, quos confert propheta cum armentis & gregibus, cicuribus mansuetisq; ut qui sub pastorum cura degunt. quæ enim libera sinuntur, destituti cicuratore efferantur. ut quæ præfectos habet caprarios, bubulcos, pastores, iuxta quodq;

Philo. to. i. p genus

genus animantium, ea mansuescunt necessariò. proinde
 & sensuum genus suapte natura uel mansuetum uel im=
 mansuetum est. immansuetum quidem quando contem=
 pto regimine intellectus ccu bubulci, fertur sine ratione
 ad sensibilia. mansuetum uero, quando obsequenter ce=
 dens præstantiori animæ parti rationi, ab ea guberna=
 tur & regitur. quicquid igitur uidet, audit, & in uni=
 uersum sentit, iuxta intellectus monita, totum masculū
 atq; perfectum est, quia bene se habent singula. Quic=
 quid autem sine præfecto: corpus nostrum, tanquam ci=
 uitatem magistratu carentem perducit ad interitiū. Rur=
 sum ex sensibus aliquos intellectum sequentes, qui neces=
 sariò potiores sunt, ad deum referre oportet: contuma=
 ces uero imputandi nobis sunt, qui temere impetu eorū
 rapimur. Nec tantum à iam dictis, sed & à fermento to=
 to præceptum est particulam desumere. Et erit quando
 comedetis de fructibus terræ, auferetis particulam sep=
 ratam domino. De primitijs fermenti panum uestrorū,
 particulam auferetis ei. sicut partem de area, sic separa=
 bitis id. Fermentum istud proprie, si uerum fatendū est,
 nos ipsi sumus, congestis & commixtis plurimis essen=
 tijs, ut ex his absolueremur. frigidum enim cum calido,
 & aridum cum humido, potestates contrarias commi=
 xtas & contemperatas animalium opifex in unum redi=
 gens, unumquemq; nostrum fecit ex ea cōgerie, quæ in=
 telligitur fermenti nomine: cuius primariæ duæ partes
 anima & corpus. primitiæ deo consecrandæ sunt. sunt
 autem primitiæ, sancti & ad uirtutem pertinentes uio=
 tus partis utriusq;, idco conferuntur cū area. ergo sicut
 in

in area triticum hordeūq; & id genus alia seorsum separantur, aristæ uero & paleæ & huiusmodi quisquiliæ dissipantur aliò: ita etiam apud nos alia sunt optima, utilia, ueros cibos præbentia, per quæ recta uita perficitur, quæ quidem offerenda deo sunt: alia uero parum diuina relinquenda uelut reiectamēta mortali generi. ab his tamen auferendæ particule. sunt item potentie totæ puræ à malicia, quas diuidendo mutilare nefas est, similes non diuidēdis uictimis, scilicet holocaustis: quarum manifestum exemplum Isaac, qui more uictimæ duci iussus est, nulla corruptibili affectione oblectus. alibi quoque dicitur: Munera mea, dona mea, sacrificia mea seruabitis offerenda mihi in diebus festis, nihil adimendo neq; diuidendo, sed plena integra perfectaq; adducendo. Festum enim animæ est perfecte letari uirtutibus. est autem perfecta læticia expers morborum humano generi accidentium. tali festo solus sapiens fruitur, præterea nemo. nam anima quæ nullum affectum aut uitium gustarit inuenitur rarissime. Reddita igitur ratione de partibus animæ, tum rectrice tum subdita, quid ne sit in utraq; masculinum aut foemininum, consequenter docet de corpore. Sciens enim certo quod absq; labore & cura non est possibile adipisci progeniem masculam, dicit deinceps: Omne aperiens uuluum asini, permutabis oue: ac si dicat: omnem laborem permutabis profectum. Laborem enim asinus significat animal patiens: profectum uero ouis, sicut uox Græca οἴατος indicat. submonemur autem his, ne segnes simus in studijs artium cæterorumq; quæ meditatione discimus, sed accuratissè

me preparata mente subsistamus fortiter aduersus om-
 nem lassitudinem, demusq; operam ne labor coniunctus
 sit cum negligentia: & ut usq; proficiendo ad gloriosum
 finem perueniamus. propter profectum enim labor su-
stinendus est. quod si te tolerante laboris difficultatem,
ingenium tuum nihilo reddatur melius, repugnetq; pro-
fectui, desiste & quiesce. Durum enim est aduersari na-
 turæ ideo additur: Quod si non permutaueris, redimes
id. hoc est, si non poteris profectu mutare laborem, no-
li laborare. hoc enim redemptio significat, liberare ani-
mam ab inani cura & inutili. hæc autem non de uirtuti-
 bus dico, sed de his artibus quæ medijs sunt generis, deq;
 alijs necessarijs ad curam corporis, & ad externa bona
 querenda. nam labor qui propter uera bona & perfe-
 ctam honestatem suscipitur, etiam si ad scopum non per-
 ueniat, per se ipsum ad sectatores suos inuandos sufficit.
 uirtute autem excepta quicquid nõ absoluitur, nullam
 affert utilitatem. quemadmodum in animalibus si caput
 adimas, pereunt cætera omnia. Caput autem negotio-
 rum est finis eorum: quo adhibito uiuunt quodammo-
 do: moriuntur autem mutilata si illud præcidere uolue-
 ris: itaq; & athletæ qui non possunt reportare uictoriã
 semper succumbentes, ab incepto desistant: & si quis
 negotiator aut nauclerus maria sulcās infortunatus est,
 mutata uitæ ratione quiescat: & quotquot medijs arti-
 bus studendo, propter ingenium durius non ualent eas
 assequi, laudem merebuntur si desinant. non enim pro-
pter exercitium exercemus talia, sed propter scopũ ad
quẽ ea refrũtur, ergo si forte ingenium in eodẽ uestigio
 hærens

hærens nolit se promouere ad meliora, ne frustra contēdamus. quod si ab eo iuuabimur, primitijs honoribusq; deū colamus, quibus anima redimitur, & exempta inimicium herorum dominio in libertatem asseritur. Moses enim fatetur, Leuitas qui pro primogenitis cultores facti sunt eius qui solus colendus est, redemptionem esse ceterorum omnium. Ego, inquit, tuli Leuitas de medio filiorum Israel, ut redimerentur eis: eruntq; mihi Leuitæ, meum est enim omne primogenitū, ex quo percussi primogenita in terra Aegypti: sanctificaui mihi quicquid primum nascitur in Israel. ratio quæ ad deum confugit suppliciter, nominatur Leuita. Hunc è mediotullio & principali animæ parte desumptum, electum & in sortem suam receptum, portione quæ maiori natu debetur dignatus est: ut inde satis liqueat, Rubim quidē Iacobi, Leui autem Israelis esse primogenitum: quorum ille tempore, hic dignitate ac potentia ius primogenitorum sibi vindicat. Iacob enim cum laborem & profectum significet, principium est bonæ indolis, quæ in Rubim intelligitur. cōtemplationis autem quæ solum sapientē deum intuetur, iuxta nomen Israelis, fons est illum colere proposito animo: quem cultum Leuita significat. ergo sicut Esau iuris primogenitorum hæres Iacob inuenitur, studio uitiorū uicto à labore honesto: ita & bono ingenio præditi Rubim primatū ætatis Leui perfectæ uirtuti deditus auferet. cuius perfectionis signū manifestius, quod ad deū cōfugit relictis ad quæ natus fuerat negotijs. hæ sunt illæ propriæ mercedes quibus anima libertatis audi redimitur. quid autem si hic quoq; dogma introduci

tur ualde necessarium? quod omnis sapiens stulti est redemptio mercesq; ne minimo quidem tempore duraturi, nisi ille misericordia sua prouidētiaq; impulsus inco-
 lumitati eius prospiceret: sicut medicus ægroto, morbis eius resistens, & aut mitiores reddens, aut omnino tol-
 lens, nisi tanta sit morbi uis & contumacia, ut longe cu-
 rationem superet. tunc enim pereundū est corpori, quā-
 do in ea bilance immensum prægrauantib. malis, bono-
 rū ediuerso nullū pondus est. ubi si inuēta esset quinquā-
 genaria ratio, iuxta quā anima seruituti exēpta in totū
 libera pronunciat, aut aliquis sequentiū numerorum
 quos ille sapiens Abrahā enumerat, descendens usq; de-
 nariū eruditioni peculiarē numerum, non perisset mens
tam ignobiliter. conandum tamen est ut etiā certo per-
 dendos à suis uitijs seruemus quantum possumus, imitā-
 do bonos medicos: qui quāuis uideant haud posse ægrū
 à se seruari, tamen libenter omnem curationem admo-
 uent, ne per ipsorum negligentiam uideatur res non suc-
 cessisse ex sententia. quod si uel minima sanitatis scintil-
 la se ostenderit, ea diligentissime sicut in foco accenden-
 da est. sperandum enim fore ut uita prorogata mutetur
 in melius, magisq; sibi in posterum à lapsu caueat. Equit-
 dem quando aliquem bonum uirum habitantem in ali-
 qua domo aut urbe uideo, & domum & urbem illam
 beatam prædico, ratus tum præsentem felicitatem ei mā-
 suram perpetuo, tum absentem expectandam cumula-
 tiorem, deo ultra modū mensuramq; diuitias suas in gra-
 tiam dignorum etiā in indignos profundere solito. qui-
 bus quia ne senescant precari mihi non licet, precor
 uitam

uitam longissimam, existimans tam diuturnā felicitatem fore hominibus, quam longum illis uite tempus contigerit. proinde audita morte alicuius corū, magna tristitia magnoq; dolore afficior, non tam ipsorum uicem dolēs quam superstitum. illos enim naturæ ordine necessario manet is exitus, ut post uitam feliciter exactam gloriosa mors eos excipiat. istis uerò destitutis magna potentiq; manu qua protecti antea fuerant, suorum malorum sensus imminet: nisi natura tanquam in arbore de qua maturi fructus defluunt, alios recentes substituat, quibus alantur fruanturq; quibuscunq; datu est. quemadmodum igitur ciuitatum certissimū munimētum iuri fortes sunt: ita in uniuscuiusq; nostrum ciuitate, quæ constat ex anima & corpore, pro firmissimo propugnaculo sunt cogitationes amicæ prudentiæ: quas legislator per translationem uocat mercedem redemptorum & primogenitos, ex causis iam ante dictis. propterea ciuitates quoq; Leuitarum immunes semper fore ait: quia dei cultor libertate sempiterna fruitor, iuxta continuas mutationes animæ nunquam non mobilis, sanationes recipiens aliās super alias. quod enim ait immunes nō semel, sed in perpetuum, ita intelligere debemus, semper eas mutari, uerū semper in integrum restitui: quando mutatio à natura mortali est eis indita: libertas uerò deo curante superuenit. Illud quoq; non obiter considerandum uideatur, cūnam ciuitates Leuitarum concessæ sint profugis, ut cum sacratis uiris profani omnium existimatione cohabitarent. hi sunt qui non sponte cædem fecerunt. primum igitur dicendum. quod consentit cum modo dicto,

bonum uirum mali esse redemptionem. itaq; merito peccatores ad sacerdotes ueniunt, ut purificentur. deinde, à Leuitis ideò admitti profugos, quia & ipsi potētia sunt profugi. quemadmodū enim illi pellūtur procul patria: sic & isti reliquerūt liberos, parentes, germanos, quicquid familiarissimum est & charissimum, ut pro mortali sorte immortalem inuenirent. hoc tantum interest, quod illi nolentes exulant ob facinus quod nolentes admiscere: isti uolentes profugiunt rerum optimarum amore: & quod illis Leuitæ sunt refugium, Leuitis autē praeseres rerum omnium: ut imperfecti quidē legem habeant sacram scripturā, isti uerò deum cui consecrati sunt. Præterea qui non sponte cædem fecerunt, ideò easdem cum Leuitis ciuitates ad incolendum sortiti sunt, quia & isti propter cædem factam priuilegium consecuti sunt. cum enim anima parum sibi cōstans ad illum Aegyptiū deum corpus tanquam ad aurum honorandum se conuertit: tunc sacri sermones omnes sua sponte correptis telis, id est eruditis demonstrationibus, ductu imperioq; summi pōtificis ac uatis amici deo Mosis quem sibi præfecerāt, bellum acerrimum pro pietate susceperūt, nec prius destiterunt, quàm debellatis omnium aduersariorum dogmatib. itaq; merito idem acceperunt domicilium, qui eadem quamuis nō eodem modo fecerant. Est & alia non incelebris ut inter secreta ratio, deponenda penes aures seniorum, obturatis interim iuniorū auribus. Ex dei potentij optimis omnib. una cæteris honore par, quæ ad legumlationē pertinet (nam ipse summus legislator est, fons legum, cæterorumq; legislatorum particularium)

bifariam

bisariā potest diuidi. prioris partis minister Leuita est: omnibus enim ritibus fungitur, qui referuntur ad perfectum sacerdotium, per quod assurgit ad deum genus humanum, eiq; familiare redditur, siue per holocausta, siue per sacrificia quæ pro salute fiunt, aut pro peccatis quorum pœnitet. Alterius autē partis quæ ad pœnas noxijs infligendas spectat, ministri sunt, qui eadē committunt absq; animi proposito, attestante Mose: Nolens, inquit, fecit, sed deus tradidit eū in manus eius. Itaq; huius manib. pro instrumento usus est: & qui inuisibiliter per eas operatus est, alter est ipse quoq; inuisibilis. Cohabitent igitur duo famuli, executores duarum legislatoriæ potentiae partium: eius quæ ad beneficia pertinet, Leuita: eius quæ ad pœnarum exactiōem, is qui nolens interfecit. quod autem ait: die qua percussi omne primogenitū Aegypti, sanctificaui mihi omne primogenitum Israelis: non debemus suspicari, illo tantummodo tempore, quo magna illa plaga Aegyptij percussi sunt, primogenitorum interitu, sanctificata esse Israelis primogenita: sed & olim & nunc & posthac & semper hoc contingere potest in anima, quando quod in cæco affectu præcipuum est extinguitur, deo tunc acutè discernente antiquiorem honoratioremq; sobolem quam sibi sanctificet. exitus enim ē uitio introitum in uirtutē efficit: sicut ē contra, decedente hac uitium succedit uelut ex insidijs. certē uix exiuerat Iacob, cum in mentem omnium capācem Esau ingressus est, pro uirtutis formulis impressurus, si ualeat, characteres maliciæ. uerū nō potuit hoc efficere: supplābitur enim & hereditate fraudabitur

à sapiente illo nesciens, propellēte iniuriam prius quā eam accipiat. Offert autem hic noster primitias non solum de primogenitis, sed & de eorū adipibus, ostendens quod quicquid in anima hilare, pingue, salubre, gratiosum, totum debeamus deo cedere. Equidem tria uideo in sacrificiorum ordinatione præcipi, ut offerātur præ cæteris uictimæ partibus adeps, renes, fibra iecoris, de quibus suo loco dicemus: nusquā cerebrum, nusquam cor, quæ ante alia consecrari oportebat, si legislator principum agnouisset in horum altero. Quid si admodum pie considerateq; hæc in fidelem dei aram non intulit? quia principalis illa uis singulis temporis momentis uel ad melius uel ad deterius mutabilis non manet eodem loco, quandoquidem & ipsa nunc probatæ nunc damnatæ monetæ censetur. quamobrem locum rerum adeo inter se pugnantium capacem, honestatis & turpitudinis, neutram excludentem & parem honorem tribuentem utriq; non minus impurum quā purum legislator iudicans, ab altari dei amouit. quod enim turpe idem profanum est: profanum uerò, omnino inconfecrabile. & hoc est cur principalis uis à sacris arcetur. cui si accedat certum iudicium, tum demum perpurgatis omnib. partibus, immaculata, impollutaq; tota adolebitur. hæc enim est lex holocaustatum, ut præter recrementa ciborum & tergus, quæ corporalis infirmitatis non maliciæ sunt indicia, nihil residuum relinquatur ex creatura. cætera quæ animam reddunt omnibus membris integram, integra super altare numinis exurantur.

PHILO=

PHILONIS IV=

DAEI, DE EO QVOD DE-
terius potiori insidiari soleat.



IT dixit Cain ad Abel fratrem suum: Transeamus in campum. Et factum est cum essent in campo, insurrexit Cain contra Abel fratrem suū, & occidit eum.] Quod Cain sibi uoluit, tale est. prouocatum Abelem ad disputationem induxit, ut uerisimilib. probabilibusq; sophismatibus eum expugnatum caperet. campum enim in quem uocatur, signum certaminis ac pugnae dicimus, ex manifestis coniecturam de incertis sumendo. uideamus enim plerq; certamina tam belli quam pacis tempore in campis peragi. in pace gymnici athlete stadia & campos quærunt adiacentes uis publicis: nec in bello mos est pedestria equestriaq; prælia in tumultis committere: sic enim propter loca impedita utrinq; maiora detrimenta hostes acciperent inferrentq; sibi inuicem. Huius rei argumentum est maximum mediator ille scientiæ contrariam ei debellans ignorantiam, quando irracionales animæ potentias quodammodo compefcens castigansq; in campo cernitur. Accersiuit enim Iacob Rachelem Liamq; in campum ubi greges erant: manifeste docens per campum contentionem significari. accitis autem dixit, Video uultum patris uestri non esse erga me

me sicut heri & nudius tertius. deus autē patris mei erat mecum.] Atqui ideò (dixerit aliquis) Laban erga te malè affectus est, quia deus tibi fauet. nam in quacumq; anima externum istud sensibile honoratur tanquam bonum maximum: in ea ratio ciuilis non inuenitur: in qua autem deus obambulat, in ea bonum externum sensibile non relinquitur, quod in nomine Laban intelligimus. & quotquot rationis profectus sicut patriarcha ornantur, irrationales animæ impetus per doctrinam traducunt in melius, campum ad hoc eligendo ut locum idoneum. Dicitur enim Iosepho, Nōne fratres tui pascunt oues in Sichem: ueni, mittam te ad eos. quo respondente, Præsto sum, ait. Vade & uide si sani sunt fratres tui et pecora, & renuncia mihi. Et misit eum de ualle Chebron, & uenit in Sichem, inuenitq; cum homo errantem in campo, & interrogauit quid quæreretur. at ille respondit: Fratres meos quero, indica mihi ubi pascāt greges. Dixitq; ei homo, Recefferunt de loca hoc. audiui enim eos dicentes, Eamus in Dothaim.] Ergo quòd in campo irrationales suas potentias compefcant, satis liquet ex his quæ diximus. Ioseph autem mittitur ad eos, quia patris disciplinam austeriorem ferre non potest, ut discat apud indulgētiores præceptores, quid utile, quid ue faciendum sit. Vtitur enim dogmate è diuersis contexto admodum multiplici atq; uario. ideoq; tunicam uariiegatam ei factam, dicit legislator, quæ significat labyrinthi & inexplicabilis dogmatis introductorem: qui rerumpub. instituta magis quàm ueritatem respiciens inter philosophādum, tria genera bonorum, externa, corporis

poris, animæ, totis naturis inter se disiuncta, in unum contrahit: cum debuisset suum cuiq; precium reddere, & quantum uniuersa ualeant ostendere, & illud integrum uerum plenariumq; bonum ex omnibus his compositum. ista uerò ex quibus hoc compingitur, partes aut elementa bonorum esse, non autem perfecta bona. Et sicut nec ignis, nec terra, nec unum aliquod ex quatuor, ex quibus constat hæc rerum uniuersitas, mundus est, sed elementorum in unum congressus & contemperatio: pari modo felicitatem nec in externis bonis propriè, nec in corporis, nec in animæ seorsum examinari: hæc enim singula uelut partes quædam & elemēta sunt: sed in omnium simul congerie. pro hac igitur opinione, ut meliorem discat mittitur ad uiros qui solum honestum esse bonum existimant, quod animæ, in quantum animæ, est proprium: corporis uerò bona quæ uocantur, lucra tantum esse, non etiam uera bona persuasum habent. Ecce quid dicat: Fratres tui pascunt, & imperāt omnibus brutis sui partibus, in Sichem: quod interpretatur humerus, laborem tolerantia significans. nam uirtutis amatores baiulant sarcinas maximas, affectum erga corpus & uoluptatem corporis, præterea certamen aduersus externa bona delectationesq; quæ inde proueniunt. Ades dum igitur, mittam te ad eos. Hoc est, accitus accede ad mentem, sponte facto impetu ad meliora discenda, hætenus certè tibi places quasi ueram illam disciplinam adeptus. quamuis enim nondum hoc apud te statueris, paratum te ais denuo discere, dicens, Præsto sum. quo uerbo mihi uideris temeritatem facilitatemq;

tuam

tuam aperire potius quàm ad disciplinas capeffendas dæ-
 nimi promptitudinem. argumento est, quod inueniet te
 paulò pòst uerius homo errantem in uia, non erraturum
 si sano proposito iuisses ad exercendum te. atqui adhor-
 tatio parētis nullam necessitatem tibi imponit, ut uolun-
 tarius & tuopte iussu transcas ad meliora studia. ait e-
 nim, Profectus uide, dispice, considera, & accuratissime
 speculari totum negotium. oportet enim te prius scire
 quid sit illud cui laborem impensurus es, atq; ita ad eius
 studium accedere. certè postquam prospexeris, & to-
 tum intuitum per omnia circumtuleris, insuper exami-
 na illos quoq; qui uersantur iam in eo exercitio, sani ne
 sint dum hoc agunt an insaniant, quemadmodum uolu-
 ptatis amatores arbitrantur, cauillis eos incessentes sub-
 sannantesq;. Et caue ne putans te satis animaduertisse, sã
 nos hos meditatores pronuncies prius quàm patri re-
 nunciaueris omnia. nam sententiæ nuper incipientium
 discere, sunt inconstantes & infirmæ: sicut eorũ qui iam
 profecerunt, firmæ: quorum imitari oportet constantiã.
 hoc modo ò anime si scrutaberis cogitationes sacras im-
 missas diuinitus, itemq; leges deo charorum hominum,
 nunquam cogeris aliquid indignum earum celsitudine
 admittere. nam hoc ipsum de quo nunc uerba facimus:
 quomodo posset admittere quisquam rectè sapiēs? Tan-
 tãne fuisse ministrorum seruulorũue inopiam in fã-
 milia Iacob possidentis opes regias, ut filium in agrum
 longinquum mitteret, renunciaturum de cæterorum li-
 berorum ualetudine, atq; etiam pecorum? auus eius,
 præter captiuorum turbam quos abduxit oppressis no-

uem regibus, supra trecentos urnas habuerat. ex his facultatibus eius nihil procedente tempore diminutum est: imò continuis prosperitatibus auctiora facta sunt omnia. & in tanta famulicij copia, filium charissimum mittendum duxit propter negocium quod uel uilissimum mancipium expedisset facile? sed uides quod & locus unde missus fuit curiose proditur in sacris literis, tantum non retrahens nos certissimis notis à iam dicto intellectu. è ualle Chebron, inquit, quæ figuratè corpus nostrum significat: quid comparatum, & quasi amicitia societateq; coniunctum est cum anima. hoc cauas ualles habet sensuum, magnas lacunas capaces omnium quæ sunt extra nos sensibilibus. hæc certè qualitates affatim ingerunt, & per istas lacunas infundendo in mentem, inundant eam atque demergunt. quamobrem in lege de lepra, quoties in domo cavitates ad luridum rufumue colorem tendentes apparuerint, decretum est: ut exemptis lapidibus in quibus tale quid extiterit, reponantur in eorum locum alij, id est, quando diuersæ qualitates, quas effecerunt uoluptates harumq; germanæ concupiscentiæ, degrauatam depressamq; animam seipsa humiliorem cauioremq; reddiderint, tollantur sermones qui causa fuere infirmitatis, & loco eorum salubres substituuntur, per educationem eruditionemue rectam ac legitimam. pater igitur uidens Iosephum totum demersum in conualles cauas sensuum corporis, euocat eum ut ex his cauernis progressus attrahat liberiorē aaram fortitudinis, eorum frequentans sodalitiū, qui hanc olim meditati, nūc docere possunt etiā. at ille profectū se putans

putans errare deprehēditur. Inuenit, inquit, homo eum errantem in campo: declarans quod non labor per se, uerum coniunctus cum arte res bona sit. sicut enim nec musicam iratis musis, nec grammaticam illiterate, nec (ut compendio dicam) artem quamuis ruditer aut peruerse, sed artificiose unamquamque tractare conuenit: ita nec prudentiam callide, nec temperantiam sordide illiberaliterque, nec fortitudinem temerarie, nec superstitiose pietatem, nec inscieniter ullam aliam uirtutis scientiam. de uia enim hæc cuncta sunt confessione omnium. Et ideo lex iubet iuste iusta exequi: ut iustitiam et quamuis uirtutem tractemus cognatis eius, non aduersis, operibus. Ergo si uideris aliquem cibos potiusque serius accipientem, aut lauacrum unctionemue recusantem, aut negligentem opera corporis, aut humi cubantem maloue lecto utentem, et postea sibi placentem ob hanc temperantiam, miseratus eius errorem, ostende ueram uiam temperantiæ: nam quæ hactenus exercuit, inutiles uexationes sunt, fame aliisque afflictionibus et corpus opprimentes et animam. Item si quis aspersione purificationibusque utens, mentem quidem suam sordidat, corpus uero facit nitidius: aut si quis abundans diuitijs extruit templum sumptu magnifico, et indefuenter hecatombas immolat, ædemque à se dedicatam ornat preciosis donarijs, non parcens auro argentoque, nec artibus has materias superantibus, ne is quidem piorum ascribitur numero. aberrauit enim à uia pietatis, in ceremonijs sanctitatem collocans, et dona dans ei qui his non capitur, nec unquam talia accipit, et adulans ei cui palpari non potest.

test: quia cultu uero delectatur; cum anima solum et uis
cum sacrificium offert, nempe ueritatem: adulterinum
autem auersatur, quales sunt ostentationes opum exter-
narum. Ceterum hominis qui hunc in campo errantem
inuenit, negant quidam indicatum nomen proprium;
ipsi quodammodo errantes, quia non possunt rectam
uiam negotiorum uidere dilucide. nam nisi haberent ex-
cectos animæ oculos, non ignorassent, quod eius qui
re uera est homo conuenientissimum, & maxime pro-
prium nomen hoc ipsum est Homo, diserta & rationa-
lis mentis familiarissima appellatio. is homo in cuiusq;
anima habitans, aliquando princeps & rex inuenitur;
aliquando iudex & remunerator huius uitæ certami-
num: interdum uero testis accusatorisq; persona assum-
pta, occultè nos intus redarguit, ne hiscere quidem si-
nens, sed colibens refrenansq; conscientie habentis cur-
sum lingue impotentem contumacemq;. Is redargutor
percontabatur hanc animam, dum eam errare uideret:
Quid queris? num prudentiam? cur igitur uadis ad uas-
friciem? Num temperantiam? atqui ad parcitatem ducit
hæc semita. num fortitudinem? hac ad audaciam iter est:
sed forsitan pietatem adire cupis. hæc uia ducit ad super-
stitionem. quod si dicat se scientie sermones querere, &
desiderare ut germanos huius generis, non statim ei cre-
dendum est. non enim simpliciter rogat ubi pascunt, sed
ubi ποιμαίνουσιν, id est, regunt, nam qui pascunt, ali-
menta ista sensibilia omnia, præbent bruto & insatiabi-
li sensuum pecori, per quæ fit ut impotes nostri & infor-
tunati siamus. at qui regunt, principum & moderatorum

rum utendo potentia, quicquid effratum est mansuesciunt, sedantes cupiditatum magnitudinem. proinde si quæssisset ueros meditatores uirtutis, quæssisset apud reges, nō inter pincernas aut obsonatores coquosq̃; nam hi uoluptates instruunt, quas moderantur reguntq̃; illi alteri. ideo rectè respondet qui errorem animaduertit homo, Recesserunt hinc: ostendens molem istam corpoream: docensq̃; quod omnes qui propter uirtutem parandam laborem perferunt, relicto terrestri loco ad sublimia considerata se contulerunt, nullum secum trahentes morbum corporeum. ait enim se audisse dicentes: Eamus in Dothaim: quod interpretatur derelictio sufficiens: docetq̃; summopere, non mediocriter relinquenda quæ non prosunt uirtutem affectantibus: sicut & Sarram deseruerunt muliebria. sunt autem affectiones naturaliter fœmininæ: quæ ut nos derelinquant, debemus operam dare masculinæ formæ delectationibus. Ergo in campo, id est, in contentione uerborum inuenitur Ioseph errabundus, & dogmatis introductor ad rerum pub. instituta respiciētis magis quàm ad ueritatem. sunt autē quidam certatores, qui propter eximiam corporis habitudinem tergiuersantibus aduersarijs, politici sunt coronis sine certamine & citra iactum pulueris. cedentibus illis primatum ob robur incomparabile. talem uim affecutus Isaac parte sui diuinissima, mente scilicet, egreditur quidem in campum, sed nullum inuenturus æmulum, omnibus athleticis ei se submittentibus propter ingentem naturæ eius præstantiam. uult tamen aliquantum secedere, & solitarius colloqui cum deo comite

mite, in rectam uiam inducente ipsius animam. est autem manifestissimum argumentum, quod nemo mortalis colloquatur cum Israel. Rebecca, hoc est patientia, unum uidens & solius imaginationem concipiens, scitatur ex puero: Quis est hic homo qui uenit in occursum nobis? anima enim in honestate perseverans potest quidem sapientiam per se docilem comprehendere, cognominatum Isaac: nondum tamen potest uidere deum autorem eius sapientiæ. ideo puer confirmans non posse eum comprehendere sine forma uisibili colloquentem inuisibiliter, ait, Ipse est dominus meus: solum Isaac ostendens. nec enim decuisset si duo apparuissent unum ostendere: sed nesciebat eum qui monstrari non poterat, ut omnibus mediocribus inuisibilem. Atq; ita satis declaratum arbitror, campum in quẽ Cain Abelem inuitat, contentionem atq; dimicationem significare. restat querendum, qua de re disceptatum sit, postquam foras progressi sunt: an satis apparet quod de contrarijs & inter se pugnantibus opinionibus? Abelis enim ad deum referentis omnia, pium dogma: Cain uerò sibi attribuentis (interpretatur enim possessio) arrogans. cæterum qui seipsos amant, quando cum uirtutis amatoribus nudati unctiq; in certamen descendunt, non prius desinunt eos urgere pancratio, quàm aut herbam porrigere cogant aut in totum opprimant. omnem enim (ut est in prouerbio) mouent lapidem, dicentes: annon domus animæ corpus est? quin igitur hanc domum, ne collabatur, curamus? annon oculus & aures & reliquus iste chorus, sensuum animæ tanquam satellites & anici sunt?

ergo socios atq; amicos non æquè ac nos ipsos honorabimus? Quid uoluptates, delicias, totiusq; uitæ oblectamenta, mortuisne aut nondum natis, an potius uiuentib. natura condidit? diuitias quoq; præclaram existimationem, honores, magistratus, & id genus alia cur nõ queramus, per quæ nõ solum securam, sed & felicem uitam acquirimus? cuius rei uita testis est: nam qui amatores uirtutis uocantur, inglorij propemodum omnes, contemptibiles, humiles, egeni, subditis uel potius seruis uiliiores, sordidati, luridi, cadauerosi, in ediam famemq; ipso uultu præ se ferentes, morbidì, mortem meditantur. è diuerso qui sui curam gerunt, celebrati, diuites, principes, laudati, honorati, sani, pingues, ualidi, delictato uictui uoluptatiq; assueti, laboris nescij, delicijs tota uita fruuntur, per omnes sensus in animam illabentibus. atq; ita prolixo isto uerborum cursu uincere uidentur non detritos in sophisticis sermonibus. in causa autè est, non fortitudo istorum qui superiores euadunt, sed aduersariorum hac parte imbecillitas. nam uirtutis cultores, partim in anima sola honestum thesaurum sibi reposuerunt, in actionibus laudandis uersati, ne in somnis quidem operati uerborum præstigijs: partim utroq; polleere uisi sunt, tum animi consilij rectis, factisq; similibus; tum artificiosis sermonibus. Hos posteriores decet contentiosis istis se opponere, quibus facile est eorum petulantem loquacitatem retundere. priores autem illi nequaquam tuto idem tentauerint. qui enim possent nudi armatis ex æquo resistere, quando etiam instructi cum eis malè comparantur? Noster igitur Abel artes eloquentiæ non

non didicit, cōtentus mēte pernoſſe quæ bona ſunt: ideo debuerat recuſare in campum deſcendere, & prouocationem inimici contemnere. tergiuerſari enim præſtat quàm uinci, quàm cunctationem inimici appellant timiditatem, amici uerò ſecuritatem. ſatius autē eſt neglectis aduerſarijs, fidem amicis habere ut ueridicis. Ideo uidet quòd Moſes illos in Aegypto, id eſt corpore, ueneficos: liceat enim mihi eos ſic uocare, ſicut mulieres dicimus ueneficas, & ſexui uocem accommodare: illos, inquam, in Aegypto ſophiſtas ueneficos, recuſat concertatores ſibi dari & aduerſarios: quia ſophiſmatum artibus decipulisq; mores boni inficiuntur atq; corrumpuntur: negans ſe eloquentem: ac ſi dicat, nō eſſe ſibi ingenium docile ad orationum ueriſimilium, cōiecturaliumq; rhetoricam. deinde aſſeuerans ſe non tantum inſacundum, ſed prorſus mutum: non quemadmodum brutas animantes mutas uocare ſolemus, ſed quia dedignatus per inſtrumenta uocis uti ſonoro ſermone, contentus eſt impreſſas animo habere imagines ueræ ſapientiæ, quæ eſt fallacis ſophiſtica aduerſaria. Nec prius in Aegyptum proficiſcitur, conſlicturus cum eius regionis ſophiſtis, quàm egregiè meditatius differendi facultatem, omnes elocutionis ideas commonſtrante abſolventeq; Deo, per impoſitionem manuum Aaronis, quem Moſis fratrem, ſolletos & interpretem & prophetam appellare. Omnia enim hæc ſermoni accidunt, qui frater mentis eſt. Nam ſons ſermonum mens eſt, unde ceu ex ore fontis uerbæ promanant: quia omnes ſermones ex hoc, ſicut fluentium riuorum eſt terra, profunduntur in propatulum. idem

& interpres est conceptorum in mente consiliorum :
 idem & uates diuinatorq; , ex inuisibilibus adytis ora=
 cula prodere non desinens. Sic igitur resistendum est
 contra contentiosos assertores dogmatum. exercitati e=
 nim per uarias sermonum species , non succumbemus
 per imperitiam sophisticorum luctaminum : sed insur=
 gendo in aduersos obfirmatis passibus , facile artificio=
 sis eorum petitiones eluctabimur. illi uerò semel depre=
 hensi , uidebuntur ludicram digladiationem ostentare,
 non concertandi uim. nam & illi uulgo dicti sciamachi,
 laudantur ob gesticulationem solitariam & agilitatem
 manuum , sed ualde improbantur in serio certamine.
 quòd si quis exornatus animam uirtutibus omnibus ar=
 tes eloquentiæ non exercuit, quiescat, securitatem habi=
 tatus silentij præmium. alioqui si ut Abel descendet in
 certamen sophisticum, priusquam se obfirmarit concie=
 det. sicut enim medicorum quidam gnari curationis om=
 nium fermè uitiorum, morborum languorumq; , nullius
 eorum rationem ueram aut uerisimilem possunt redde=
 re: alij contra uehementer facundi, signorum & causa=
 rum remediorumq; ex quibus ars constat interpretes
 optimi, in tractandis ægrotorum corporibus sunt igna=
 uissimi, ne minimum quidem remedium adhibere ido=
 nei: ita qui se exercent in operibus sapientiæ plerunq;
 uerba negligunt: qui uerò dicendi artes callent, nullam
 bonam disciplinam habent reconditam. hos igitur infre=
 m lingua fretos insolenter efferri mirandum non est, o=
 stitantes quam semper exercuerunt insolentiam. Sed il=
 los spectandos suaserim, qui tanquam medici callent rati=
 onem

tionem sanādi morbos pestesq; animæ, donec deus etiam interpretē optimum instruxerit, imbre suo perfusis fontibus et illi sapienti indicatis. cōuenientius igitur fuisset, Abelem pietate salutarī uirtute præditum domi se continere, & litigiosam contentiosamq; pugnaturientis pro uocationem contemnere, imitatum Rebecæ patientiam: quæ auditis minis Esau maliciæ sodalis, suasit uirtutis meditatiōi Iacob ut secederet, caueretq; insidias, donec miser ille suam rabiem remiserit: est enim intolerabilis cōminatio, quam intentat fratri, dicens: Appropinquet dies luctus patris mei. Optat enim tantum ut illa creatura expers affectuum, uidelicet Isaac, qui oraculum accepit, non descēsurum se in Aegyptum, in irrationale affectum incidat, uoluptatis puta aut doloris aut cuiuscūq; perturbationis mucrone uulnerata: significans quod alter imperfectior & laboriose proficiens, non uulnus solum, sed & interitum accipiat. attamen bonus deus nec inuulnerabile genus expugnari ab affectione sinet: nec uirtutis exercitium in potestatem furentis cædemq; spirantis tradet, & ideo quod sequitur: Insurrexit Cain in Abelem fratrē suum, & interfecit ipsum, prima quidem specie Abelem occisum subindicat: sin autem diligentius rem expēdas, ipsum Cain à seipso. proinde sic legēdum: Insurrexit Cain & occidit seipsum, non alterum. & merito quidē. anima enim quæ ex seipsa tollit dogma pium & uirtutis amicum, uirtuti est mortua. itaq; Abel, quod uix credas, interēptus uiuit. exemptus enim ex insipientis mente, uiuit in deo uitam felicissimam. attestatur nobis diuinum oraculum, quod uociferari eum ait disertē,

Et clamore prodere quæ à malo socio passus est. alioquin si nō amplius erat, quomodo loqui poterat? ita est profecto, sapiens qui uidetur uita mortali defunctus, in mortalem uiuit. malus autem uiuens in uitijis, quantum ad felicem illam uitam est mortuus. nam disiuncta anima et in uniuersum corpora, alia pati, alia agere, possibile est ac facile. quando enim pater pulsatur castigans filium, aut magister familiarem, alius est qui pulsatur, quam qui pulsatur. quæ uerò coniuncta reperiuntur ea parte quæ tum agit tum patitur, his ipsis utrunq; accidit eodem tempore. certè quando athleta seipsum fricat exercendi gratia, utiq; fricatur: sicut qui semetipsum sauciat, mutilatur atq; interficitur. Sed quorsum hæc? quod anima cum sit una nō ex disiunctis rebus, sed ex coniunctis, necessario patitur quod uidetur agere, sicut nunc quoq; planum est. Putans enim se sustulisse dogma deo charissimum, sepsam interemit. Testis est Lamech impij Cain progenies, qui sic suas uxores alloquitur, duas inconsultas sententias: Virum occidi in uulnus mihi, et iuuenem in cicatricem mihi. Liquet enim quod si quis fortitudinis rationem occidit, seipsum contrario morbo timiditatis uulnerat: et si quis pubescentem uim in ipsa honestorum meditatione tollit, plagas et magna flagra cum non mediocri dedecore sibi ipse infert. Dicit tamen patientia, quod sublato profectu meditationeq; non unam solam prolem amittet, sed et alias, orbitatem in uniuersum denunciens. Sicut autem qui bonum uirum lædit, declaratus est seipsum mulctare: ita qui cedit præstantioribus, quamuis dicatur illis præstare beneficium, re uera de

de seipso bene meretur. testis est his meis dictis ipsa natura, & leges huic consentaneæ. Disertè enim præcipiunt sic: Honora patrem & matrem, ut bene tibi fiat. Non his qui honoratur, inquit, sed tibi. nam siue intellectum ut patrem huius concreti, siue sensum ut matrem honorauerimus, ipsi ab eis recipiemus beneficium. honoramus autem intellectum, non iucunda ei præbendo sed utilia. ea sunt quæcunq; à uirtute proueniunt. cæterum sensui honorem habemus, quando cohibemus eius impetum ad res sensibiles, & refrenamus per intellectum, gubernatorem aurigamq; potentiarum quæ nobis insunt irrationalium. Ergo si honor quem dixi, utriq; habeatur, sensui ac intellectui, necessum est me qui utroq; uictor, affici beneficijs. Pari modo si rationem longè ab intellectu sensuq; abducens, patrem creatorem mundi, matremq; sapientiam eius per quam condita sunt omnia, honore dignaberis, ipse beneficium accipies. nullius enim indiget, nec plenus ille deus, nec illa summa perfectissimaq; scientia. quo fit ut qui hos colunt, nō eis quippe nulla re indigentibus, sed sibi profint maximè. nam scientia equos canesue curandi, ipsis animalibus utilis, parat eis necessaria: ni faciat, discessura ab officio. at pietas ad cuius curam pertinet deum colere, nefas est ut dicatur aliquid conferre quo uiuetur deus. nihil enim est quod cum adiuuet rei nullius indigē: nec in rebus quicquam est quod se potiore iuuare queat, sed è diuerso cuncta indefinenter iuuantur ab ipso. Itaq; dum pietatem dicimus esse erga deum obsequium, intelligendum est tale quoddam ministerium, quale serui præstant do-

minis, impigre iussa peragendo. sed hoc interest, quòd domini quidem indigent ministerio, deus autem non indiget. itaq; illis quidem prodest ministerium, ad hunc nihil inde redit, præter uoluntatem pietatis indicem. nihil enim in hoc domino inuenitur quod profectum ac cessionemq; recipiat, cum omnia iam inde ab initio sint optima. uerùm ipsis maxima prouenit utilitas, qui in eius familiaritatem se insinuant. hæcenus dictum sit de his, qui se putant alijs bene aut male facere. compertum enim est eos utrunq; sibi ipsos facere, pergamus scrutari sequentia, uidelicet scitationem hanc: Vbi est Abel frater tuus? ad quam respondet, Nescio. num custos fratris mei sum ego?] Quærendum igitur an propriè de deo dici possit, cum scitari. nam qui percontatur, de his quæ ignorat interrogat, quærens responsum ut cognoscat quæ nesciuerat. at huic percontatori nota sunt omnia, non præsentia tantum & præterita, sed futura etiam. Quid igitur opus habet responso nihil profuturo ad ampliorem scientiam? Proinde dicendum, quæ istiusmodi sunt non habere talem naturam ut de summo autore prædicari possint propriè: sed sicut qui non mentitur potest mendacium dicere, ita qui non interrogat, potest interrogationem proloqui. Cur igitur, dixerit fortasse aliquis, produntur talia? ut anima responsura, apud seipsam pensitet, quid rectè secusue pronunciet, absq; ullo alio uel suffragatore uel aduersario. nam & cum sapiëntem illum rogat: ubi habes uirtutem: Abrahamum inquã de Sarra: nō ignarus rogat, sed ut responsum eliciat, per quod ille auferat cum laude coniunctum testimonium

testimonium. Sic enim respondisse dicitur: *Eccam in tabernaculo, hoc est in anima. Quam igitur laudem hoc responsum continet? Ecce, inquit, apud me ipsum uirtutem habeo repositam ceu rem preciosissimam, & ideo iam nunc felix sum. Quod enim ex uirtute percipimus, felicitas est. ut non frustra eam possideamus. Vti autem ea nō possum, ni tu demisso cælitus semine facias eā grauidam: atq; illa Isaac pariat, felicitatis progeniem. Inteligo autem felicitatem, uirtutis perfectæ in uita perfectæ usum. Ideo propositum hoc eius approbans, promittit implenda mature quæ postulat. Huic igitur sua responsio laudem attulit, fasso ne uirtutem quidem absq; diuino fauore idoneam per se ad aliquem iuuandum. At Caino merito affert uituperium, neganti se scire ubi sit qui dolo ipsius occisus fuit. Videtur enim responso hoc uelle fallere, quasi non perspicientē omnia, ac non iam ante præuidentem decipiendi uoluntatem in eo. Nefarius autē & alienus à populo dei est, quisquis putat aliquid latere eius oculum. At iste addit etiam iuuenilem uocē: Nunquid custos fratris mei sum ego? Miseram profecto uitam acturus erat, si te custodem tanti boni natura cōstituisset. An non uides quod sanctorum asseruationem ac custodiam non quibusuis legislator, sed sacratas mentes habentibus Leuitis committit? quibus nō satis digna fors terra, aqua, aer, cælum insuper & totus mundus uisus est, sed solus horum opifex: ad quem confugerunt supplices, facti eius ueri famuli, amorem erga suum dominum declarantes per continuum ministeriū, & per impigrum rerum sibi creditarum custodiam. ac ne his qui*

dom

dem supplicibus licuit omnibus esse custodes rerum sacrarum, sed tantum sortitis numerum quinquagenariū, annunciantem remissionem libertatemq; & restitutionem in possessiones pristinas. Hec est, inquit, lex Leuitarum. A uiginti quinque annis ingreditur ut ministret in tabernaculo testimonij: & à quinquagesimo anno ministrare cessabit, succedente fratre in ministeriū. Ipse autem custodiet custodias, opera uero nō operabitur.] Ergo dimidium perfectionis habentem (perfecta enim ratio quinquagenaria, cuius dimidium uiginti quinque) operari permittit, & sancta facere, approbantē se operibus: est autem principium, teste antiquo prouerbio, totius dimidium: ceterum perfectum, non iam laborare, sed quæ per exercitationem laboremq; acquisiuit, custodire. Absit enim ut eorum sim meditator, quæ mox seruare non liceat. Ergo exercitatio mediocritas est, nō perfectio. Fit enim non in perfectis quidem animis, sed tamen ad fastigium tendentibus. At custodiæ perfectum officium, memoriæ mandare contemplatiua exercitia sanctorum, scilicet fideli custodi pulchrum scientiæ depositum: quæ sola contemnit obliuionis casses multiplices. Itaque memorem eorum quæ didicit, recte custodem appellat. Hic autē prius quàm exercebatur, alterius docentis erat discipulus. Factus autem ad custodiam idoneus, ascitus iam in docentium dignitatem ac ordinem, fratrem ad ministeria suæ doctrinæ substituit, hoc est sermonem suum enunciatium. Dicitur enim quod ministrabit frater eius. Itaque probi uiri mens, custos ac proma cōda est uirtutis dogmatum. frater uero eius sermo
mini-

ministrabit, eruditionis cupidus enarrans sapientiæ contemplationes & dogmata. Ideoq; Moses benedicens Leui, post alia miranda infert hoc quoq; : Custodiuit eloquia tua, & testamentum tuum seruauit. Ac mox: Manifestabunt iustificationes tuas Iacob, & legem tuam Israel. Ergo satis docet, & eloquiorum & testamēti dei probum uirum custodem esse. quin & iustificationum legumq; interpretem ac doctorem optimum eundem indicat: quando interpretatio per cognatum instrumentum, uocale uidelicet, peragitur: custodia uero circa mentem examinatur, quæ est magnum conditorium à natura fabricatum, facile capax cogitationum omnium quibus uel corpora uel res comprehendimus. Profuisset sane amatori sui Caino, si Abelem custodisset. Si enim seruasset eum, consideratam & mediocrem uitam sibi acquisisset, non explens se mera malicia. Et dixit deus: Quid fecisti? uox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.] Illud quid fecisti, & indignationem præ se fert ob sceleratum facinus, & irrisiōem putantis dolo patratum homicidium. Indignatio propter malefici propositum oritur, quòd bonum tollere uoluit: irrisio uero, quia putans se insidiari potiori, sibi magis quàm illi struxit insidias. Viuit enim, ut iam ante dixi, qui mortuus existimatur, quando quidem comperitur etiã deum supplex alloqui. At is qui superstes uidetur, animæ morte perijt, exclusus à uirtute, propter quam solam uita dignus esse potuerat. Itaq; dicere, Quid fecisti? idem ualeat quod, Nihil effecisti. Nam neq; ille sophista Balaam, id est, uanum uulgus contrariarum opinionum & in-

ter se pugnantium, uolens execrari probos & ledere; quicquam ualuit, deo maledictionem uertente in benedictionem, ut & uasfriciem iniusti redargueret, & se uirtutis amicum ostenderet. Solent autem plerique omnes philosophi aduersarias habere suasmetipsorum facultates, dum uerba eorum cogitationibus, & consilia uerbis resistunt, haud ullo consensu intercedente. Deliniunt enim nostras aures differendo quàm socialis res sit iustitia, quantum omnibus conferat temperantia, quantopere probetur fortitudo, quàm ingēs capiatur ex pietate utilitas, quàm salubres uirtutes ceteræ: e contra iniustitiæ esse rem impacatam, intemperantiam morbisferam, impietatem nefariam, reliquam maliciam perniciosam: & tamen contraria dictis suis sapere non desinunt. sed post decantatas laudes prudentiæ, temperantiæ, iustitiæ, pietatisq; tum maxime desipiunt, lasciuiunt, iniuste impieq; se gerunt: & ut uerbo dicam, deprehenduntur omne fas iusq; cōfundere ac subuertere. Quos merito uerbis quibus ad Cain deus utitur, appellet quispiam: Quid fecistis? quid uobisipsi profuistis? quam utilitatem anima uestra percepit ex tot istis de uirtute sermonibus? quid in uestra uita magnum paruū ue correxistis? an non potius ueras criminationes contra uosipsos protulistis, qui probando bona & uerbis philosophando, interpretes quidem fuistis facundissimi, & tamen conuincimini turpissime tum sapere tum uiuere? annon in animabus uestris onus bonum emortuum est, incandescētibz uitijs? quamobrem nemo uestrū superstes est. Sicut enim post obitum musici cuiuspiam aut grammatici musica

gram

grammaticaq; horum cum ipsis perijt, sed ideae manent harum artium, duraturæ unâ cum mundo in perpetuū, iuxta quas præsentēs posteriq; fient musici ac grammatici: ita etiam singulorum prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia, aut in uniuersum sapientia si tollatur, nihilominus in huius uniuersi natura immortalī prudentia immortalis & uirtus omnis incorruptibilis insculpta est, iuxta quam & nunc probi censentur, & erunt in posterum, nisi forte etiam homine aliquo particulari mortuo sequi dicemus mortem humanitatis, quam genus ne an ideam, an conceptum, an aliud quid uocare oporteat, uiderint quibus studium est proprietates nō minime perquirere. Vnus signatorius annulus sepe post expressas innumeras formas, easq; interdum unâ cū suis subiectis abolitas, tamen in sua natura illæsus perseuerat. Et non putamus uirtutes, etiamsi omnes characteres ab eis impressi in studioforum animas, per prauam uitæ rationem aut aliam quamuis causam euanuerint, in perpetuum conseruaturas naturam suam incorruptibilem nulliq; unquam fato obnoxiam: ideo rudes disciplinarum, qui nesciunt differentias inter totum & partes, inter genera & species, inter ea quæ communi censentur nomine, omnia confundunt commiscētq; cū omnibus. Proinde omnis sui amans cognominatus Cain, discat cognominem Abelis à se occisum esse, speciem, individuum, delineatam ad exemplar effigiem, non confundi archetypum, non genus, non ideam, quæ cum sint incorruptibilia, putat commori cum animalibus. In hunc aliquis iure cauilletur: Quid fecisti infelix? nō ne opinio

pia,

pia, quam tibi uideris sustulisse, uiuit apud deum: tu uero tui homicida factus es, occiso per insidias eo, qui solus bene uiuēdi tibi autor esse poterat. Ceterum quæ sequuntur multum habent uel uenustatis in elocutione, uel grauitatis reconditæ in sententia: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Quorum uerborū magni loquentiā nota est omnibus initiatis eloquentiæ, intellectum uero eorum, quantum poterimus cōsiderabimus. ac primum de sanguine. Multis enim in locis lex essentiam animæ pronunciat sanguinem, loquens diserte: Nā anima omnis carnis sanguis est. Sed quando primū ab soluta celi terræq; ac mediorum elementorum fabrica hominem fingeat conditor animalium, dicitur inspirasse in faciem eius spiritum uitæ. eumq; factum animā uitæ: iam tum docente nos scriptura, spiritum esse animæ essentiam. Solet autem illa mox ab initio argumentorum diligenter memorare singula, æquum censens ut sequentia concinant cum præcedentibus. proinde qui iam spiritum essentiam animæ dixerat, non diceret nūc eam sanguinem exiniū in corpore, ni respexisset generale quiddam ualde necessarium. Quid igitur dicendum? singuli nostrum, sicut ratio numerorum postulat, duo sumus per accidens, animal simul & homo. horum utrunq; cognatam uim sortitum est in anima. altera uitalis est quā uiuimus: altera rationalis, per quam sumus rationis participes. uitalem habent & bruta, rationali carent. reguntur autem à deo, qui rationis fons est anti quissimus. ergo uis illa quæ nobis communis cum brutis est, essentiam accepit sanguinem. at illa quæ à ratio-

nali

nali fonte demanat, spiritus est, non aer motus, sed character quidam & effigies diuinæ potentie, quam nomine proprio Moses uocat imaginem: significans quod archetypum rationalis nature deus est; homo uero imago seu effigies: nō illud gemine nature animal, sed quod est in anima præstantissimum, quod uocatur mēs & ratio. ideo carnis quidem animam dicit sanguinem, sciens carniū naturam à mente diuersam; sed uitæ sicut totū reliquum nostrum corpus participem. hominis autem animam nominat hominem, non hoc ex utroq; concretum, ut dixi, sed illud diuinum opificium, quo ratiocinamur, cuius radices conditor in cælum usq; protēdit, & ad extremam illam fixarum quas uocant stellarum reliquit circumferentiam. solam enim in terris cælestē plātam fecit hominem, cæterarum in terra defixit capita: omnes enim humi caput habent: soli homini sublime dedit, ut alimenta cælitus incorruptibilia quærat, non terrena ista corruptioni obnoxia. quapropter corporis nostri partem insensatissimam, longe à ratione secretā; pedes ceu radices ad terram applicuit. sensus autem mentis satellites, & hanc ipsam, longissime à terra iussit habitare, & ad ætheris cæliq; nunquam interituros alligauit ambitus. non est igitur cur nos Mosi familiares dubitemus, quomodo homo cognitionem inuisibilis dei adeptus sit. causam enim oraculo doctus ipse nobis exposuit. loquitur enim in hanc sententiam. Creator nullam animam in corpore fecit idoneā per seipsam uidere suū opificem. cæterum cum animaduerneret utilissimā creaturæ fore hanc cognitionem, si modo ei cōtingeret (hic
 Philo. to. i. r enim

enim felicitatis finis est) superne inspirauit nonnihil de suo numine. quod inuisibile in inuisibilem animā suum characterem impressit, ut ne terrestris quidem regio sine dei esset imagine. Cæterum archetypum illud intantum carebat omni specie, ut ne imago quidem eius esset uisibilis: expressa tamen ad suum exemplar, non mortales, sed immortales cogitationes concipiebat. Qui enim poterat mortalis natura manere simul & peregrinari, aut huc illucq; inspicere, aut mare quidem totum nauibus, terram uero usq; extremos fines perlustrare itineribus, aut mores legesq; aut in uniuersum res & corpora pernosceret? aut præter ista terrena sublimia quoque comprehendere, aerem cum suis mutationibus, proprietates temporum, & quæ quotannis statæ nouationes accidunt? aut quomodo a terra in cælum subuolare per aerem, atq; ibi scrutari cælestes naturas quomodo se habeant, quomodo moueātur, quis motus eorū finis quòd uel initium, qua cognatione sibi inuicem aut uniuerso cōiunctæ sunt. adhæc artes scientiasq; inuenire, quæ uel ad res externas, uel ad animæ corporisq; profectum attinent, aliæq; infinita tractare quorum nec naturam nec numerum comprehendere fuerit facile. sola enim ex his quæ nobis insunt mens, ut omnium ocysima, etiam tempus ipsum quo ista fieri uidentur, præcurrit & præoccupat, inuisibilibus uiribus sine tempore & uniuersum hoc & partes eius harumq; causas contrectando. iam uero non solum terræ marisq;, uerū & aeris cæliq; terminos attingens, ne hic quidem consistit, mundum rata indefinētis sui cursus modicum esse terminum. .ulterius
etiam

etiam prouolans, incomprehensibilem dei naturam appetit, cupiens hanc quoq; si queat, comprehendere. & quomodo credibile uidetur, tam exiguum mentem humanam, mēbranula cerebri aut corde, haud amplis spacijs inclusam, tantam cæli mundiq; magnitudinem capere, nisi illius diuinæ felicitisq; animæ portiuncula esset indiuisibilis? nihil enim quod diuinum est abscinditur, sed tantum protenditur. quamobrem consors eius quæ in hoc uniuerso est perfectionis, quando mūdum cogitat, extendit se quā late patet usq; eius terminos, nec tamē abrumpitur. Est enim uis ipsius extensilis & ductilis. Hæc igitur compendio de animæ essentia dicta sint: nūc consequens est ut subdamus quid sit clamare uocem sanguinis. Animæ nostræ pars quædam muta, quædam uocalis est. bruta quidem muta, uocalis uero quatenus ratione prædita, qua sola deus noscitur. reliquis enim partibus nec deum nec intelligibile quicquam comprehendere possumus. Vitalis igitur facultatis in sanguine constitutæ, præcipua quædam portio uoce sermoneq; honoris causa donata est, non hoc qui per os linguamq; profluit, sed fonte ipso, ex quo per prolationem ceu lacunæ quædam sermonum repleri possunt. Fons autē hic mens. est, per quam ad illum Qui est, interpellationes. & occlamationes iam sponte, iam inuiti ei acclamamur. ille uero ut bonus ac propicius non auersatur supplices, præsertim quando ingemiscētes ob Aegyptios affectus & opera, sincere ac sine fuco exclamant. tunc enim Moses ait uerba eorum ad deum ascendere: illum uero exaudientem liberare à malis instantibus. hæc autem omnia fie-

ri, quando rex Aegypti moritur, quod certe mirandum uidetur: probabile enim erat, defuncto tyranno letari gaudereq; quotquot premebantur tyrannide: qui tamē tunc dicitur gemere. nam post multos dies mortuus est rex Aegypti, & ingemuerunt filij Israel. Verba hæc ut sonant rationem non habent: quod si insitas in animabus facultates introspicias, pulchre hæc coherere inuenies. quando enim dissipator ille honestarum opinionū Pharaō in nobis uigescit, & sanus uidetur, si tamē quisquam malus sanus esse recte dicitur, uoluptatem amplectimur eliminata temperantia. quando uero amissa potestate quodammodo moritur qui stulte petulanterq; uiuendi causa fuerat, à sobria uita illustrati ingemiscimus & deploramus etatem antea cētā, quod uirtute uoluptati posthabita mortalem uitam immortalī anteposuius. tum uero lex miserata lamentationes cōtinuas, clementer admittit animas supplices, & calamitatem depellit, incussam eis ab Aegyptijs affectibus. Ceterū Caino pœnitentiam non recipienti propter immanitatem sceleris fratricidij, execrationes infliguntur conuenientissimæ. primum Nunc, inquit, maledictus es tu super terram.] Declarans quod dudum, non nunc quando cædem patrauit, scelestus & maledictus est, iam inde ex quo cepit cædis consilium, uoluntate pro facto æstimata. dum enim turpia cogitamus uel sola mentis imaginatione, iam rei sumus cogitationis. potest enim etiam inuita anima mutari. dum uero ad cōsiliū accedit facinus, reum fit & consilium. nam peccatum à nolente admissum, hac maxime ratione dignoscitur. Maledictam aut fore

fore mentem non ab alio quàm à terra pronunciat. Gra-
uissimæ enim eius calamitates in unoquoq; à terrestria-
bus causis proueniunt. Corpus certe aut morbo corre-
ptum, accedentibus ex ipso malis alijs, languore iacta-
tioneq; occupatur: aut nimio usu uoluptatis impingua-
tū uires hebetiores reddidit. & sunt sua cuiq; sensui de-
trimenta, in quæ potest incidere. Aut enim forma con-
specta telis Cupidinis aliquis sauciatur affectus permo-
lesti: aut morte propinqui audita succumbit mœstitiæ.
Gustus quoq; nonnunquam deiicit, aut insuauibus ex-
cruciatum saporibus, aut grauatum suauium multitudi-
ne. Nam libidinis æstrum memorare quid attinet? quæ
ciuitates integras regionesq; & magnos terræ tractus
dedit exitio, sicut testantur omnes propemodum poëtæ
atq; historici. Modum autem quo mens in terra maledi-
citur, addit dicens: Quæ aperuit os suum, ut suscipe-
ret sanguinem fratris sui.] Graue est enim aperiri di-
latariq; ora sensuum, ut sensibilia more fluminis exun-
dantis infundantur, obice nullo repellente uiolentiū im-
petum. Tunc enim uiens tantis undis obruta in profun-
dum mergitur, ut ne innatare quidem possit, aut saltem
caput exerere. Verum oportet singulis istis uti nō quo-
modocunq;, sed ad optima quæq;. Potest uisus omnes co-
lores formasq; uidere, sed uideat quæ luce non tenebris
digna sunt. Potest & auris omnes uoces recipere, sed
nonnullas sinat præteruehi. Plurima enim homines lo-
quuntur coniuncta cum turpitudine. Nec quia gustum
natura dedit tibi, ô inflate, ideo lari more quæuis insa-
tiabiliteringere. Nam plerunq; non solum è prauis ali-

mentis, sed & è nimis, grauis morbus & cruciabilis nascitur. Nec quia membra accepisti genitalia conseruan-
 de uniuersitatis causa, ideo stupra & adulteria ceter-
 riq; incesti coitus sectandi sunt: sed hi tantummodo qui
 legitime humanum genus profeminant. Nec quia lin-
 guam & os & instrumenta uocis sortitus es, statim ef-
 fare uel secretissima. Prodest enim nonnunquam silen-
 tium. Mea certe sententia qui didicerunt loqui, etiam si
lere didicerunt, cum utrumq; eiusdem facultatis sit. at qui
 narrant quæ non decet, non eloquentiam ostentant, sed
 silendi impotentiam. Ideo studemus unumquodq; os de
 quibus diximus, obligare non rumpendis temperantiæ
 uinculis. Quotquot enim nullis cohibentur uinculis,
 ut alibi Moses ait, impura sunt: quasi causa infelicitatis
 sit, laxari & hiare soluiq; partes animæ. Cōtrā cōstrin-
 gi easdem & in unum conduci, ad rectam uitæ rationē
 conferat. Merito igitur ille impius numinis contemptor
 Cain maledicitur: qui apertis cauernis huius cōcreti re-
 bus externis inhiauit omnibus, præ insatiabilitate pe-
 tens eas accipere in perniciem Abel, id est amici deo do-
 gmat. Ideo terram operabitur, non agricola erit. Oma-
 nis enim agricola est artifex, quoniam ars & agricultu-
 ra. multi autem è uulgo terræ operarij, sine peritia tra-
 stantes uictus causa hæc ministeria, hi operando sæpe
 damnum dant, ni præfectum habeant: & si quid recte
 operantur, fortuito non ratione bene faciūt. at quæ agi-
 tur ex agriculturæ scientia, omnia necessario sunt uti-
 lia. Quamobrem legislator Noc iusto artem agricultu-
 ræ tribuit, docēs quod in morē agricolæ boni uir bonus
 è silue

è siluestri genere stirpes, quæcunq; noxiæ sunt ab affe-
 ctibus aut uitij plantatæ, excidit: quæ uerò infrugifera
 quidem, possunt tamen uice maceriæ sepem animæ præ-
 stare munitissimam, eas finit. rursus omnes quæ mites
 sunt, diuerso modo non eodem curat, alias deputans, a-
 lijs inserens, aliarum incrementum ad proceritatem ad-
 iuuans, alias in breuitatem contrahens. iam uerò uitam
 luxuriantem conspiciatus deflectit in terram propagi-
 nes, scrobes faciens, ac mox terram aggerens denuo. at
 illæ quæ modo partes fuerant, iam integræ, & è filiabus
 matres factæ, naturalem etiam matrem senectute exuūt.
 postquam enim desiit nutrimentum in plures foetus, quip-
 pe iam ad sibijpsis quærendum maturos, minutatim di-
 stribuere, quæ prius hanc ob causam famelica uix satu-
 rabatur, iam ut pinguefacta repubescit. alium quendam
 uidere memini, qui mitis arboris, sed parum generosæ,
 quod supra terram extabat præsecuit, ut à radice pro-
 mimeret modicum: desumptoq; ab alia generosa bono
 furculo, ad medullam eam parte una derafit. extantem
 autem illam à radice non profunde incidit: sed rima tan-
 tum facta, derafum furculum in eam inseruit. ex quibus
 ambobus unitis arboris unius natura prouenit, utraq;
 parem utilitatem reddente alteri. nam radices nutriunt
 insitum ramum nec sinūt arefcere. at ille uberes fructus
 reponit pro nutritionis gratia. Sunt & alia innume-
 ra opera artis agriculturæ, quæ nunc memorare super-
 uacaneum fuerit. hæc enim in hoc tantum prolixius di-
 ximus, ut appareat discrimen inter operarium terræ et
 agricolam. Certè quiniis malus terrenum corpus cuiusq;

cognatos sensus & ista externa sensibilia operari sine arte non desinit, ledens interim animam suam miseram: quam tum ledit, cum uidetur maxime prodesse corpori suo. At bonus, ut peritus rei rusticæ, omnem materiam certa ratione tractat ex artis præscripto. & quoties indomiti sensus ad externa sensibilia contumaciter feruntur impetu, adhibita machina quapiam in hoc artificiose parata, cohibentur facile. Cum uerò in anima crudus affectus eam concutiens exoritur, pruritus aut titillationes uoluptarias aut concupiscentias, aut ediuersos morsus tædiumq; mœstitiæ uel pauoris afferens, præparato remedio salutari mitigatur. atq; etiam si quod serpiginosum uitium longius producit, cancro depascenti corpora simile, id quoq; sermone scitè adhibito rescatur. & in hunc modum quicquid siluestre est ad mitiorem cultum reducit. Cæterum frugiferæ uirtutum plantæ primum progerminant studia, quæ mox fructus honestarum actionum sequitur. his animæ agricultura incrementum addit, & quantum in se est, immortales facit sua industria. Liquet igitur agricolam esse bonum, terræ uerò operarium malum: cui terram exercenti uinum ex illo terreno roboris aliquid accederet, ac non deperiret aliquid ex eo quod habuerat. dicitur enim de ea, Non apponet uires suas tibi tradere. Et qualis esset homo, qui edens semper bibensq; nūquam expleretur? aut eas quæ sub uentre sunt uoluptates alias super alias cumulans, tamē recentē semper libidinē afferret ad coitū? nam indigentia solet imbecillitatē inducere, sicut firmitatem satietas. Verum quādo in copia rerum coniungitur

gitur satiabilitas cum magna intemperantia, id demum
 funes est. miseri uerò qui mole referti, quantum ad cupi-
 ditates sunt adhuc inanes & sitiunt. Sed de amatoribus
 scientiæ in Cantico magno uates ait: quòd cos ascendere
 fecit super uim terræ, & cibauit agrorum germina. Sci-
 licet impius finem non assequitur, ut magis doceat, dum
 uires decedunt magis quàm accedunt eius actionibus.
 Qui autem uirtuti dant operam, superiores omnib. re-
 bus terrenis ac mortalibus, è sublimi despiciunt earum po-
 tentiam, quippe in ascensu ducem secuti deum, qui etiam
 pubertatem agrorum ad usum fructum eis porrigit, uir-
 tutes agris, & illarum fructus horum fructibus assimila-
 lans. Nascitur enim ex prudentia sapere, ex temperantia
 sobrium esse, è pietate deum colere, & ex unaquaq; cæ-
 terarum uirtutum sua cuiusq; actio. Hæ sunt cibi animæ
 propriæ, quæ idonea est ad sugendum, sicut legislator lo-
 quitur, Mel è petra, & oleum è solido saxo: petram soli-
 dam & infrangibilem indicans sapiëntiam dei, nutricem
 baiulam educatricemq; desiderantium uitam incorru-
 ptibilem. Hæc enim tanquam mater eorum quæ mundo
 continetur, ex seipsa cibos præbet suis foetibus. sed non
 omnia diuino alimento digna habetur: uerum ea modo
 quæ non degenerem præ se ferunt indolem. nam pleraq;
 pereunt inedia uirtutis, grauiore morbo ac miseriore
 quàm cibi potusq; inopia. Labitur autem diuinæ sapien-
 tiæ fons nunc leniore fluxu placidioreq;, nunc uehemen-
 tiore cursu maioreq; inpetu. Quando igitur sensum de-
 scendit, dulcescit mellis in morem: quado uerò celeriter
 confertimq; labitur, fit tanquam olcum illustrandæ ani-

mae. Hanc petram propheta uocat alibi manna per synonymiam, antiquissimum illud dei uerbum: qua appellatione intelligitur quiddam generalissimum: unde sunt due placentulae, condita melle altera, altera oleo, id est, educationes duae ualde similes, et studio dignae, initio dulcedinem instillantes contemplationum quae insunt scientijs: mox et lucem fulgidissimam accendentes in his qui non fastidiosè degustant, sed firmiter constanterq; retinent ea quorum tenetur desiderio. Hi sunt, ut dixi, qui ascendant super uim terrae. Ceterum impio Caino ne terra quidē quicq; confert ad agilitatem, quamuis nihil praeter eam tractanti aliud. Proinde consequenter gemens tremensq; super terram inuenitur, id est mœrore timoreq; confectus. Talis est infelicitis uita, cui è quatuor affectibus contigerunt qui molestiores sunt, timor et dolor, quorum synonymia sunt tremor et gemitus. Huiusmodi enim homini necessum est aut adesse aut imminere malum aliquid. Itaq; futuri expectatio timorem gignit, praesentis usus mœstitiam. Sed qui uirtutē sectatur, delicijs huic conuenientibus fruitur. Aut enim acquirit bonum, aut acquireret postea. Et habere quidem, affert gaudium, rem preciosissimam: expectatio uerò habendi, spem quae est alimentum animarum uirtutem amantium: propter quam semouemus pigritiam, quotquot suapte promptitudine properamus ad honesta opera. Certè quaecunq; anima concipit prolem masculam, scilicet iustum propositum, ab hac excluduntur omnia tristitia. Testis erat natiuitas Noe, qui interpretatur solidus, de quo dicitur: Hic cessare faciet nos ab operibus nostris, et à laboribus manus

num

num nostrarum, & à terra cui maledixit dominus deus. Sic enim natura comparatum est, ut iustitia primum quietem pro labore inducat, quicquid est in con-
 finio uirtutis & uitij susq; deq; faciens, diuitias, princi-
 patum, gloriam, honores, & quæcunq; horum germina sunt, circa quæ plurimum humanum genus satagit. Deinde mærores tollat, quos nobis nostræ actiones conciliant. Moses enim non, ut impij quidam, deum autorem malorum ait, sed nostras manus, figuratè nostros conatus subindicans, & spontaneas cogitationes procliues ad deterius. Postremum est cessare à terra cui maledixit dominus deus. Hæc autem est maliciã, insipientium animabus insita, cuius tanquam morbi grauißimi aberrunctionem iustus inuenit, iustitiam adeptus cum tota sua familia. utiq; quando id genus mala depelluntur, homo repletur gaudio sicut Sarra. ait enim: Risum mihi fecit dominus. & addit: nam quicumq; audierit, gratulabitur mihi. Opifex est enim deus boni risus & gaudij: itaq; Isaac non uulgariter genitus, sed operante deo credendus est. Nam si risus Isaac intelligitur, risus autem factor est deus iuxta uerax Sarrae testimonium, etiam pater Isaac potest dici rectissimè. Huius appellationis etiam sapiens ille Abraham fit particeps, cui gaudium proles sapientiæ, tristitiam excidens donatum est. Ergo si quis idoneus est audire poeticam, id est faciendi rationem qua deus utitur, & ipse gaudet necessario, & gratulatur his qui habuerant audiendi desiderium. In hac nullum figmentum fabulosum inuenies, sed ueritatis formas omnes, expressas integrè: imò ne metra quidem ac
 rhythmos

rhythmos & carmina aures per musicam oblectantia: sed opera nature absolutissima, propriam quādam concinnitatem habentia. Sicut autem mens ad audiendum apta gaudet his dei poematis: sic & sermo concinens mentis cogitationibus & quodammodo adhærens, necessario gaudet. id docebit manifeste oraculum Mosi sapientissimo redditum in hanc sententiam: Ecce Aaron frater tuus Leuita. scio quod loquetur ipse tibi. ecce ipse egredietur in occursum tibi: uidensq; te letabitur intra seipsum. Opifex ait se scire, quod sermo, qui mentis est frater, loquetur. Fecit enim eum tanquam instrumentum totius huius ex quo concreti sumus, uocem articulatam. Hic sermo mihi, tibi, omnib. hominibus, sonat, profert, interpretatur cogitata, et prior exit occursumus his quæ mens ratiocinatur. Nam quando mens excita in aliquid sibi familiare sumit impetum, aut intus cōmota à seipsa, aut receptis à rebus externis formis aliquibus eximjis, concipit & parturit cogitationes: quas uolens parere non potest, donec per linguā cæteraq; instrumenta sua, uox eas excipiens, obstetricis more producat in lucem: hæc uox cogitationes elucidat. nam sicut ea quæ in tenebris abdita sunt cælantur, donec lux affulgēs ea indicet: ad eundem modum cogitationes mens recondit in loco inuisibili, donec uox lucis more cūctas retegat. quapropter ualde pulchre dictum est, quod egreditur sermo in occursum cogitationibus, & accurrit eas complecti cupiens, indicandi desiderio. Nam quisq; sui operis est cupidissimus. Sermonis autē proprium est dicere, ad quod suapte natura properat. Gaudet autē & letatur quando

teu illustratus peruidet & comprehendit intellectum rei quæ declaratur. Tunc enim complexus eam interpretatur optime. Proinde quicumq; inter dicendum non rectè tenet cogitata, ut uerbosus ac loquaces auersamur, quia longas sed inanes atq; adeò inanimes, ut propriè dicam, orationes consarciunt. Horum igitur sermo ut indecorus merito gemit: e contra necessario gaudet qui re bene considerata sufficienter instructus ad conceptus animi proloquēdos accedit: id quod omnibus firmè notum puto per quotidianam experientiam. quando enim probè cognitum tenemus de quo differimus, letus gaudensq; sermo abundat dilucidis & proprijs uocabulis, quibus copiose, expeditè, inoffense, atq; etiam disertè ac efficaciter repræsentat quicquid docere uult. quando autem diuersis cogitationib. distracti nil certi comprehendimus, sermo quoq; delirat, & impropriè loquitur, destitutus aptis uerbis & conuenientibus. Quapropter tum ipse tædio laborat errabundus & subinde impingens: tum auditoribus adeò nō persuadet, ut molestus etiam sit auribus. Attamen nec omnis sermo, nec cogitatis occurrat omnibus: sed perfectus Aaron perfectissimi Mosis cogitationibus. Alioquin quid opus erat postquam dixit Ecce Aaron frater tuus, addere Leuita, nisi ut doceret quod soli Leuitæ & sacerdoti & bono sermoni conuenit proferre cogitata quæ sint perfectæ animæ germina. Nam mali uiri sermo nunquam interpretari potest diuina dogmata. pulchritudinem enim eorum suis deturparet contaminationibus. e contra neq; bonus impudice turpius proferet: sed semper sanctas narrationes
sacri

sacri sanctiq; sermones facient. Fertur in quadam optime instituta ciuitate morem esse hunc, ut quoties aliquis impure uitæ ciuis sententiam uult proferre ad senatum aut populum, non sinatur per seipsum hoc facere, sed a magistratu cogatur eam apud aliquē honestum uirum deponere. Qui mox assurgens promit quod audiuit, silente interim altero: & quæ tum primum didicit quamuis aliena profert, autorem commenti uix in auditorum spectatorumque habens numero. adeo ne beneficium quidem ab iniustis quidam dignantur accipere, quod existimet hanc utilitatem corrumpi admixto dedecore. quod & Moses sacratissimus docere uidetur. nam tale quiddam est quod Aaron Leuita occurrit fratri suo Mosi, quo uiso gaudet in seipso. Illa autem uerba In seipso gaudere, præter iam dictum dogma indicant & aliud magis ad remp. pertinens, ostendente legislatore germanum & maxime proprium hominis gaudium. proprium enim nec est pecuniarum possessionumque copia, nec est splendore gloriæ, nec ex ullo omnino inanimato infirmoq; opere, quod per seipsum est corruptibile, potest contingere. imò nec est robore agilitateq; corporis aut cæteris id genus dotibus, quæ uel cum pessimo quoq; cōmunes sunt, & habentibus se nonnunquam perniciem attulerūt inuitabilem. quoniam igitur in solis animæ bonis pura & minime adulterina inuenitur leticia, in seipso utiq; gaudet omnis sapiens, non in his quæ circa se habet. in seipso enim habet mentis uirtutes, quas nobis placere æquum est: circa se uerò bonam habitudinem corporis & externarum rerum copiam, propter quas non est quod nobis

nobis placeamus. Ergo quoniam quantum potuimus declarauimus ueracissimi Mosis testimonio, sapientis proprium esse gaudiū, ostendemus spem quoq; in hunc maximè competere, teste eodem. sic enim loquitur de Seth filio cui nomē Enos, quod interpretatur spes: hic primus sperauit inuocare nomen domini dei. Recte. uero enim homini quid magis potest esse proprium quàm spes et expectatio possessionis bonorum accipiendorum à solo munificētissimo deo: quod genus solum, si uera fateri uolumus, propriè hominum est: tanquam hi qui non sperant in deum, extra naturā rationalem censeantur. Ideò cum dixisset de Enos, hic sperauit inuocare nomē domini dei, disertè infert, Hic est liber generationis hominum proborum. scriptū est enim in dei libro, solum bene sperantem esse hominem. itaq; per contrarium qui desperat non est homo, ergo concretum hoc nostrum definitur, animal rationale, mortale. sed eius quem Moses censeret hominem affectiones animæ sperant in eum Qui est, uerum deum. Proinde boni uiri felicem sortē nacti spem atq; gaudium, aut habeant aut certè expectēt bona. mali uerò, quorū Cain est sodalis, in mœrore timoreq; degentes, præsentia imminentiaue mala miserrimā portionem possideant, gementes ob molestias quas habēt præ manibus, præ metu aut ingruentiu tremantes horrentesq;. uerū de his hætenus dictū sit, scrutemur iam sequētia. Dixi q; Cain ad dominū: Maior est culpa mea q̃ ut remittatur.] hoc quale sit per similia declarabitur. Si nauē mari iactatā gubernator deferat, an nō neceßū est eam nauigationē aberrare? itē si quadrigas auriga in Circēsibus,

annon

an non neceſſum eſt cas turbatas ferri curſu deuio? Quid ciuitas ſi deſtituatur magiſtratibus aut legibus? ſunt autem & leges dubio procul pro magiſtratibus. nonne carens magiſtratibus legibusq; ciuitas illa malis opprimitur maximis? Atqui natura comparatum eſt, corpus abſente anima, animam abſente ratione, rationem deſtitutam uirtute, interire funditus. Quod ſi hæc ſingula rebus deſtitutis nocent tantopere, quantam miſeriam in à deo deſtitutis agnoſcimus? quos ille auerſatus tanquam deſertores ordinis, exterminauit procul à ſanctiſſimis ſuis legibus, indignos ſua prouidentia habitos. In uniuerſum enim ſcire oportet, quod qui præſtantioris ope deſtituitur, ſit obnoxius maximis culpis & criminibus. quando enim dices imperitum artis lædi maximè? nonne quando à ſcientia omnino deſeritur? quãdo uerò indoctum & ualde ineruditum? nonne quando à doctrinâ & diſciplina derelinquitur? quid inſipientes quãdo infelices pronunciamus potiſſimè? nonne quãdo omnino repelluntur à prudentia? quãdo uerò intemperantes & iniuſtos? nonne cum à temperantia iuſtitiaq; damnantur exilio perpetuo? quando uerò impios? nonne quando pietas eos à ſacris ſuis excludit? ideò arbitror eos qui non omnino ſunt inexpriables, optare puniri potius quàm dimitti. nam hæc miſſio facile ſubuertet eos, ceu malè ſaburatas naues carentes gubernatoris prouidentia, animaduerſio uerò ad correctionem proſuerit. Aut non ſunt potiores qui ſub pædagogis educantur, quàm qui peccantes à nullis cohibentur caſtigatoriſ? non meliores itidem qui ſub magiſtris diſcunt artes, quàm qui quoties

quoties aberrant obiurgantur à nemine? uel felicius proficiunt qui sine curatore degunt, quam qui parētes à natura institutores sibi additos deo fortunante nacti sunt? sin minus, saltem secundarios præfectos adepti, quos orbitatis miseratio conciliare solet, in omnibus cōmoditatibus genitores minus desiderant? Ergo quicunq; peccatorum sumus nobis conscij, precemur deū ut puniat nos potius quam incastigatos prætercat. præteritos enim nō ipse propicius in seruitutem suam uindictabit, sed inclementis genituræ seruos faciet. quod si ut benignius clementer leniterq; puniat, errata nostra corriget, sermonem suum castigatorem immittens in nostram animam, per quem pudore admissorum incusso, ipsam in sanitatem restituat. Propterea legislator ait, quicquid in animo suo precata fuerit uidua & expulsa, manere ipsam. deum enim uirum & patrem uniuerforum semen genituranq; omnibus præbentem iuste dicemus. mentem uerò eiectam deo uiduam, quæ aut geniturā diuinam non ex cepit, aut exceptam data opera abortum fecit. Quamobrem quicquid statuerit, cōtra seipsam statuet, idq; omnino immedicabile. Quomodo enim euitari potest malum, quod contra seipsam pronunciat creatura inconstans & ad omnē occasionem mobilis, ascribens sibi uirtutes creatoris? quarū una est qua citra controuersiam rigideq; definit singula. Quapropter nō solum uiduabitur à scientia, sed expelletur etiam. quod sic intelligitur. Anima uidua, nondum tamen expulsa ex honestate, potest per quandam tolerantiam cum recta legitimq; ratione redire in gratiam. quæ autem semel seiuncta fecit

Philo. to. i.

s

diuorē

diuortium, ut irreconciliabilis in omne æuum reiecta
 est, amissa potestate reuertendi ad pristinum domicilium.
 Hastenus de his uerbis, Maior est culpa mea q̃ ut remit-
 tatur: dispiciamus sequentia. Ecce eijcies me, inquit, bo-
 die à facie terræ, & à facie tua abscondar.] Quid ais bo-
 nè uir? ita ne etiam eiectus è tota terra absconderis? at
 quomodo? poteris ne uiuere? an ignoras quod animalia-
 bus natura, non eadem sed diuersa loca incolenda distri-
 buit: mare piscibus & omni aquatico generi, terram ter-
 restrib. omnibus. homo autem utiq; iuxta corporis tem-
 peramentum animal terrenum est. propterea quicquid
 migrat è suis regionibus, & uelut in alienas transfertur,
 exanimatur facile: terrestria si mergantur in aquam, a-
 quatica si in terram expellantur. proinde si eijciaris è
 terra cū sis homo, quò te uertes? natabisne in aqua mo-
 re aquatiliū? atqui mersus mox exanimaberis. sed for-
 te sumptis alis sublimis euolans per aerem uagari cona-
 beris, è terrestri factus uolucris? fac si potes, muta cha-
 racterem quem tibi semel impressit deus. sed haudqua-
 quam poteris. Quanto enim sublimius te ipsum extule-
 ris, tantò citius grauioreq; casu ad terrā proprium tibi
 locum relaberis. Itane homo aut ulla creatura potest se
 à deo abscondere? quoniam ab eo qui nusquam non est,
 qui prospicit usq; omnes terminos, qui uniuersa replet
 sua præsentia, à quo nihil uel minutissimū deseritur? Et
 quid mirum si nulla creatura latere potest eum Qui est,
 quando ne materialia quidem principia cuiquam licet
 effugere, sed necessum est ut cuitato uno incidat in a-
 liud. Vtinā igitur opifex arte qua fecit in utroq; elemēta
 degenā

degentia, huius quoq; animalis ubiubi uicturi fecisset miraculum, ut à natiua grauitate terreni aquaticiq; ponderis in aerem ignemq; se posset attollere: ac rursus post consuetudinem cum sublimibus, si migrationem inde requireret, locum loco mutaret cōtrario. Sed debuit utiq; in una aliqua mundi parte consistere, quandoquidem in omnes excurrere non poterat: & alioquin etiam opifex nihil ei præterea reliquū fecerat, absumptis in mundum quatuor elementis, ut ex perfectis partibus absolutissimum opus hoc uniuersum redderet. Ergo cum totum opus dei nemini liceat effugere, an non multo minus auctorem eius & rectorē effugere poterit? nemo igitur hæc uerba non examinata faciliè admittens, è sua simplicitate legem æstimet: sed introspectis latentibus significationibus, discernat id quod manifestum est. Quid si uerba ista, Si eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, sic intelligentur: si non præbes mihi bona terræ, ne cælestia quidem accipio. si non datur frui uoluptatibus, ne uirtutem quidem desidero, si non impartiris humana bona, diuina quoq; tibi habeto. nam apud nos necessaria, cara, & uerè germana bona sunt hæc: edere, bibere, uestiri, per uisum frui colorum uarietatibus, per aures oblectari omnigenis sonorum cōcentibus, per nares exhilarari suauibus uaporum fragrantijs, uētris & eorum quæ sub uentre sunt ad satietatem expleri uoluptatibus, aurū argentumq; non negligere, honores principatusq; & quicquid ad gloriam facit conquirere. prudentiam uero, fortitudinem, iustitiam, res tetricas, & uitæ molestiam asserētes, missas faciamus. quod si libet eis uti, non

ut bonis perfectis utendum est, sed ut causis bonorum. ^o ridiculum caput. Ergo priuatus his lucris corporeis in conspectum dei non uenies? at ego tibi dico, uenies omnino, ^o etiam si priuatus fueris. solutus enim duris tum corporis tum rerum corporearum uinculis, imaginaberis illum sapientem Abraham. Viden ut relinques terram, cognationem, ^o edes paternas, sensum, rationem, incipit occurrere eius Qui est potentijs? postquam enim totam domum egressus est, ait lex uisum ei deum: docens quod manifeste apparet extricato rebus mortalibus, ^o recurreti ad incorpoream huius corporis animam. Ideo Moses accepto suo tabernaculo, extra castra id figit, longe semotum a corporali exercitu. hoc enim solo modo sperat se fore supplicem cultoremq; perfectum celestis numinis, ^o ait id uocatum tabernaculum testimonij, ualde cautè, ut tabernaculum eius Qui est sit, non uocetur tantummodo. ex uirtutib. enim ea quæ dei est uerè est, constans ex essentia. quoniam ^o deus solus stat in essentia: quã ob causam necessario de seipso dicit: Ego sum Qui sum: ac si quicquid post eum est, non per essentiam sit, sed sola opinione hominum. Mosès autè tabernaculum figuratè humanam uirtutem significans, appellatione non ipsa re dignabitur, cum sit imago diuini illius tabernaculi. huc accedit quod ^o Mosès quando in deum Pharaonis constituitur, non reuera factus est deus, sed tantum existimatione creditus. Deum enim dantem quidem scio ^o largientem, dari uerò nō intelligo. Dicitur autem in sacris libris, Do te deum Pharaoni, patiente qui datur non agente. Is autè Qui uerè est, actiuus necessario non passiuus

passivus intelligitur. Quid igitur ex his colligimus? quod sapiens dicitur quidem deus insipientis, reuera autem non est deus, sicut nec adulterinus stater est stater. idem collatus cum eo Qui uerè est, homo dei reperietur: cum insipiente uerò si conferatur, deus imaginatione existimationeq; uidebitur, non ueritate ac essentia. quid igitur nugaris dicens, Si me eijcies à terra & te, abscondar. imò si te à terreno arcuero, manifeste ostendam meam imaginem. argumento est, quod à facie dei migrabis: post migrationem autem nihilominus terrenum corpus inhabitabis. Dicit enim rursum: Exiuit Cain à facie dei, & habitauit in terra.] Itaq; non eiectus à terra abscondaris ab eo Qui est, sed eum deuitans in terram confugisti, locum mortalem, imò nec omnis qui inuenierit te occidet, quemadmodum sophisticaris. nam quicquid inuenitur, utiq; ab alterutro inuenitur, aut simile aut dissimile: simili cognatoq; iuxta communionem omnium familiaritatemq; dissimili uerò iuxta diuersitatem contrariam. simile igitur cōseruare studet sui simile: dissimile uerò perimere solet sui dissimile. Sciat ergo et Cain & quisquis alius uasfer est, quod non à quouis occurrente interficietur: sed malefactores quidem germanorum cognatorumq; uitiorum emulatione custodes eius erunt & satellites. qui uerò prudentiam cæterasq; uirtutes exercent, tanquam insensissimum hostem tollēt si poterint. In uniuersum enim & res & corpora à familiaribus amicisq; seruantur, ab alienis uerò & insensitis interimuntur. Quapropter oraculum cōtra fictam hanc Caini simplicitatem ferens testimonium ait: non ita

sentis ut loqueris. Ais quod quicūq; artis tuæ palæstras inuenerit, interficiet. nosti autem quod nō quiuis ex innumeris qui inter tua censentur auxilia, sed solus uirtutis amicus, tecum gerit bellum sine inducijs. Qui, inquit, occiderit Cain, septē mulctas dissoluet.] Id quam rationem ad dictas interpretationes habeat non uideo, quod septem mulctas dissoluet. nam nec dixit quæ septem, nec mulctæ modum, nec dissoluendi. itaq; existimandum est omnia talia figuratè latenterq; significare aliquid. Quid si tale quiddam docere uult? quod irrationale est in anima in septem partes diuiditur, uisum, odoratum, auditum, gustum, tactum, sermonem, genituram. octauum intellectum horum ducē si quis uelut Cainum interimat, simul & illa septem dissoluet. robore enim mentis ualido confirmantur hæc omnia, & cum eiusdem imbecillitate deficiunt. perfecta autem corruptio quam inducit uitium, perfectam dissolutionem accipit. septem autem illa in sapientis animo incontaminata puraq; & proinde honore digna inueniuntur: in insipientis contrà impura pollutaq;, & ut dixi mulctatæ, hoc est mulcta digna & supplicio. Quando igitur aqua terram purgare statuit opifex, uoluitq; animam purgari ab ineffabilibus iniquitatibus, eluereq; & abstergere maculas per sacram purificationē, hortatur eum quem reperit iustum, qui non est oppressus à diluuiō, ut inducat in arcam, id est hoc corpus uas animæ, ex omnibus pecudibus mundis septenas, masculum & foeminam: æquum censens ut bona ratio puris utatur omnibus partibus irrationalibus. Et quod hic legislator definiuit, necessario

cessario contingit omnibus sapientibus. habent enim purificatum uisum, examinatum auditum & sensus ceteros. habent sermonem quoque immaculatum, & appetitus Veneris non illegitimos. singula autem horum septem, partim masculus sunt, partim foemina. Quoniam enim aut quiescunt aut mouentur, quiescunt quidem per somnium, mouentur autem uigilantia iam & agentia: quicquid habitum habens quiescit, ut passioni obnoxium uocatur foemina. quod uero praeditum motu actuque animaduertitur agere, masculum nominatur. atque ita in sapiente haec septem spectantur pura, contra in malo multata omnia. Quantam enim putas multitudinem quotidie à suis oculis, uelut à transfugis, proditam coloribus figurisque, & his quae uidere nefas est? quantam ab auribus omnes sonos consecretantibus? quantam ab odoratus gustusque instrumentis attractis per uapores uarietatesque ceteras plurimas. Tacco multitudinem eorum quos infrenis linguae fluxus irreuocabilis perdidit, aut libidines caestrosuo impotenter concitos. Plena ciuitates, plenus est orbis terrae quam late patet malis talibus, quae humano generi uel media pace acre continuumque bellum inferunt tum priuatim tum publice. propterea uidentur mihi qui non omnino rudes sunt, malle caecitatem quam uidere quae non decet: malle surditatem quam audire sermones perniciosas: linguam quoque libenter amissuri, ne proloquantur quae caelanda sunt. Certè fertur quosdam sapientes, cum in rota cruciarentur ad extorquenda secreta, premordisse linguam suam, & ita grauiorem cruciatum rependisse tortoribus, dum eos uoti fecerunt

impotes. Castrari utiq; melius est, quàm trāsuerſum ab-
 ripti libidinum illicitarum rabie. Quæ omnia in calami-
 tates pernicioſas animam mergentia, merito extrema
 pœna ſequitur. Additur deinceps, Poſuit dominus
 deus in Cain ſignum, ut nō interficeret eum quiſquis in-
 ueniſſet.] Quod autem ſignum, non declarauit, quam-
 uis ſolitus ſingularum rerum naturam per ſigna indi-
 care: ſicut in rebus Aegyptijs dum uirgam mutat in ſer-
 pentem, & manum Moſis in niuis ſpeciem, & fluuium
 in ſanguinem. An fortè hoc ipſum ſignum eſt appoſitum
 Caino ne interficeretur, quod nunquam interfectus eſt.
 nuſquam enim in lege de nece eius narrat, ſubindicans
 quod ſicut illa fabuloſa Scylla, immortale malum eſt in-
 ſipientia, quæ nunquam in totum emoritur, & tamen
 nunquam non moritur. Atq; utinam fieret contrarium,
 ut ſemel è medio tollerentur omnia: nunc perpetuo
 repullulantia, immortali morbo affli-
 gunt quoſcunq; aliquando
 corripuerunt.

PHILO

PHILONIS IV=

DAEI, DE AGRICVL-

tura Liber.



OEpitq; Noe homo agricola
 esse, & plantauit uineam, & bi-
 bit de uino, & inebriatus est in
 domo sua.] Vulgus hominum
 rerum naturas ignorans, etiam
 in nominib. eis imponendis er-
 ret oportet. nam qui eas uelut
 per anatomiam considerant, facile assequuntur appella-
 tiones earum proprias: qui autem res tractant cōfusus,
 non tam exquisitas. Moses uerò in tanta rerum peritia,
 nominibus rectissimis aptissimisq;, & mirè perspicuis
 uti consuevit: proinde saepe in libris legum diuinarum
 inuenimus rebus conuenire nomina: quod uel in præsen-
 ti capite liquet, in quo iustus ille Noe agricola induci-
 tur. Et cui non ad iudicandum procliuiori uideri posset
 idem agricultura, quod facultas operaria? atqui duo
 hæc adeò non sunt eadem, quātumuis coniuncta, ut sint
 etiam pugnantia. possunt enim & imperiti laborare in
 re rustica: agricolæ autem nomen ipsum peritiæ fidem
 astruit, quod uidetur ei propter artem suam inditum.
 præterea cogitandum illud quoq;, terræ operarium fi-
 nem unicum spectare mercedem (sunt enim pleriq; mer-
 cenarij) non sollicitum quā bene operetur. agricola ue-
 rò non parcit impensis, modo possit uel agellum emere,
 s s uel

uel ita rem administrare, ut reprehensionem peritorum effugiat. nullum enim aliud lucrum querit, quam ut ex annuis prouentibus fructum percipiat. itaq; dat operam ut siluestres arbores traducat ad mitius ingenium, mitium uero incrementum industria sua promoueat, & si quæ præ alimento nimio luxuriant, putatione coerceat: alias uero contractiores nouis stolonum acceſſionibus amplifcet. adhæc generosas plantas in multos ramos se diffundentes propaginet, paratis circum non admodum profundis scrobibus: parum frugiferas autem insitis in earum stirpes & unitis præstantioribus, ad meliorem frugem reducat, quandoquidem sic homines quoq; faciunt, adoptiuos filios in alienas gentes propter uirtutem asciscendo, in quibus constanter perseuerent. ita & rusticus radicitus excidit plurimas iam effectas, quæ intercipiendo succos magnum damnum in proximo sitis afferunt. circa huiusmodi enim negocia uersatur ars curatrix stirpium è terra nascentium. Nunc ad peritiam agriculturæ, qua excoluntur animæ, considerandum nos uertamus. hæc ante omnia curat ne quid seminet plantetue, quod sit sterile: sed omnia mitia fructiferaq; relatura fructum annuum moderatori homini. hunc enim natura principem animalium stirpiumq; & omnium rerum mortalium constituit. homo autem in unoquoq; nostrum quis alius esse potest quam intellectus, qui solet satorum plantarumq; fructus colligere. Quoniam autem infantibus lac nutrimentum est, adultis quæ è frumento coquuntur, animæ quoq; suum lac debetur in ætate tenera, uidelicet liberalis musicæ rudimenta: sicut

sicut viros perfectum alimentum decet, ut instituantur in prudentia, temperantia, cæterisq; uirtutibus. hæc enim sata plantataq; in mente ex præscripto artis rusticæ de qua loquimur, egregios fructus ferent, & actiones laudabiles. simulq; quotquot affectionum uitiorumq; plantæ in altum pullulant, ferentes fructus letiferos, succidantur ut nihil fiat reliquum, unde noua rursum peccatorum prorumpant germina. quod si qua nec utiles fructus feret neq; noxios, excidentur tales, non tamen absumuntur, sed uertentur in usum cui competunt, aut in uallum ad munitionem castrorum, aut ad septum oppidi, quod sit pro mœnibus. sic enim præcipitur: Omne quod non fert fructum cibo utilem excides, & facies inde uallum oppido, si quis tibi bellum inferat. Huiusmodi arbores sunt similes doctrinis contemplationem solam habentibus, inter quas recensenda est medicina ista ociosa, non coniuncta cum actionibus ægros incolumitati restituentibus: & rhetoricæ genus causidicum mercenariumq;, non in quærendo iure occupatum, sed dolo captans assensum auditorum. huc accedunt & dialecticæ geometriæq; partes quæ momenti nihil ad morum correctionem afferunt, sed intellectum solum acuiunt, ne hebetior sit ad singula de quibus ambigitur: sed diuidendo distinguendoq; proprietates singulorum discernat à communibus qualitatibus. certe philosophiæ rationem triplicem priscos aiunt agro assimilasse, ita ut naturalem arboribus stirpibusq; facerent similem, moralem uero fructibus, propter quos sunt arbores: deniq; rationalem sepi & macerie. Quemadmodum enim maceria fructus plantasq;

plantasq; agri conseruat, arcens irrumpendi nocendiq;
 cupidos, ita & rationalis pars philosophiæ præsidium
 munitissimum est reliquarum duarum, moralis atq; na-
 turalis. cum enim duplices & ambiguas dictiones ex-
 plicat, & sophismatum persuasibilem speciem dissoluit,
 & probabilem deceptionem maximam perniciosissi-
 mamq; escam animæ tollit è medio, adhibitis sermoni-
 bus disertis & demonstrationibus indubitatis, tãquam
 ceram leuigatam intellectum parat ad excipiendos phy-
 siologiæ moralisq; disciplinæ characteres ualde pro-
 bos ac integros. Hæc sunt quæ animæ agricultura profi-
 tetur: effodiam arbores omnes imprudentiæ, intempe-
 rantie, timiditatis, iniustitiæ: excidam & uoluptatis, cõ-
 cupiscentiæ, iræ, furorisq; ac similium passionum stir-
 pes, etiamsi se ad cælum extulerint: aduram & radices
 earum, immisso penitus in terrã incendio, ne qua pars,
 imò ne quod uestigiũ, ne ulla umbra fiat reliqua. & hæc
 quidem auferam. inseram autẽ, primum in puerilis æta-
 tis animas surculos, quorum fructus ipsas enutriet. sunt
 autem hi. scribendi legendiq; certa industria, eorũ quæ
 apud sapientes poetas habentur diligens scrutatio, geo-
 metria, oratoriæ facultatis meditatio, & uniuersa libe-
 ralis musica. in iuueniles uero ac uiriles iam meliores
 perfectioresq; prudentiæ plantam, fortitudinis, tempe-
 rantie, iustitiæ, omnisq; uirtutis. quod si quid ad silue-
 stem quam uocant musam pertinens nullum quidẽ ue-
 scum fructum afferat, possit tamen quæ ad cibum pro-
 sunt munire conseruareq; hoc quoq; reponam, nõ pro-
 pter ipsum, sed quia natũ est ad necessariarũ utiliumq;
 rerum

terum ministerium. ideo sapientissimus uates huic quidem iusto animæ agriculturam ut congruentē assignat, dicens: Cœpit Noe homo agricola esse: de Cain uerò ait, Erat operans terram. & paulo post quando in fratricidij facinoreprehenditur, dicitur: maledictus tu à terra quæ aperuit os suum ut acciperet sanguinem fratris tui de manu tua, qua operaberis terram, & non apponet tibi dare fructus suos.] Quomodo manifestius ostēdi posset, quod terræ operarium non agricolam legislator existimat malum uirum, quàm nunc ostensum est? nec tamen suspicari debemus de homine qui manibus pedibusq; & cæteris corporis uiribus ad opus est ualidus, aut de montana planâ ue terra sermonem hic fieri, sed de uniuscuiusq; nostrum potentijs. nam mali anima circa nihil aliud occupari solet quàm circa terrenum istud corpus & cunctas eius uoluptates. proinde uulgus hominum obeundo uarios tractus usq; extrema terre, mare quoq; traiciendo, & sinus eius penetrando, nullamq; huius uniuersitatis partem imper scrutatâ relinquendo, semper & ubiq; ista colligit, quæ ad cumulandam uoluptatem faciunt. nam sicut piscatores retia demittunt interdum lōgissima, in medio complexi magnū maris spaciū, ut quamplurimos pisces inclusos ac uelut obsidione cinctos capiant: eodē modo maxima pars hominum, non in sinum aliquē maris, sed in totā aquæ, terræ, acrisq; naturam, omnicapientia ut poetæ loquuntur, linea extendens, omnia ubiq; ad uoluptatis usum inuincat & attrahit. etenim terræ metalla perquirunt, uasaria maria traiciunt, omnia belli pacisq; exercent negotia.

cia, materiam copiosam ceu reginæ uoluptati parantes; quippe non initiati agricultura animæ, quæ seminans plantansq; uirtutes, fructum uitam beatam decerpit ex eis: qui autem exercent & tractât quæ carni grata sunt, lutum maceratum, fictilem statuam, animæ carcerem, quem illa à natiuitate ad extremum diem ceu cadauero sum onus circumferre cogitur, colut magno studio. Hæc est differentia inter agriculturam & operationem terræ, itemq; inter agricolam & operarium. nunc considerandum ne in dictis rebus aliæ quoq; sint cognatæ species, quæ sub nominum communione occultent differentias. sunt autem quas quærendo inuenimus duæ, de quibus differemus quantum poterimus. ergo sicut agricolam & operatorem terræ, quamuis idem uidebantur, tamen allegorias excutiendo longe diuersos reperimus, ita rursus pastorem & pecuarium. legislator enim iam pecuariæ, iam pastoralis artis meminit: quas appellationes lector parum curiosus fortasse putaret æquiuecas, significantes idem studium. atqui res ipsæ multum differunt, si spectentur singularum officia. quamuis enim pecorum magistris consuetudo uulgaris utramq; uocem applicat, at non & intellectui curatori animæ utraque conuenit. malus enim si sit, pecuarius gregis præfectus uocabitur: contra si bonus & uirtutis amans, pastor nominabitur. id iam clarius faciam. Natura unicuique nostrum cognatas addidit pecudes, ex una radice animæ duabus uelut stirpibus pullulantibus. quarum altera integra indiuisaq; intellectus appellatur: altera ab imo in septem ramos diuiditur, in quinque sensus, & duo instrumenta

menta uocis genituræq; quæ multitudo tota bruta com-
 paratur pecori: & quia numerosa est, iuxta naturæ le-
 gem operam ductoris necessariam postulat. quoties igi-
 tur imperitus regendi sed diues seipsum præficit, pluri-
 morum malorum causa fit pecori. nam ipse necessaria
 copiose suggerit: at illud in tanta copia ciborum nimia
 saturitate petulans redditur. saturitatis enim germana
 proles est petulantia. per eam petulantiam saltitant, &
 contempto rectore uagantur, soluuntq; stipatum antea
 gregis ordinē, atq; ita ductor desertus, ex præfecto pri-
 uatus fit, discursans satagensq; si forte possit denuo in
 unum compellere. & cum uidet se operam perdere, ge-
 mit ac flet, damnans suam facilitatem, & culpam in se-
 ipsum referens. Ad eundem modum pecus sensuum, quā-
 do intellectus supinè se gerit & ignauiter, auide satur-
 tum copia rerum sensibilibum ceruicem iactat & subsul-
 tat, impingens in omnia uisui patentia, uel quæ uidere
 nefas est: auribus quoq; uoces recipiens insatiabiliter, si-
 tiendo semper ob curiositatem, interdū delectans se ob-
 trectationibus parum liberalibus. Quid enim aliud cre-
 dimus quotidie per totum orbem tot milia spectatorum
 in theatra contrahere? homines enim uicti spectaculo-
 rum & fabularū cupidine, infrenes tum oculis tum au-
 ribus, consecretantur citharistas citharædosq; præterea
 saltatorib. cæterisq; mimis inhiant, propter gestus mo-
 tusq; ac status effœminatos: atq; ita factiones theatricas
 instaurant, securi cæterarum rerum priuatarum publi-
 carumq;, totam uitam in huiusmodi spectaculis conte-
 nentes miseri. Alij autem his etiam inferiores infelicio-
 resq;

resq; sunt, qui gustum tanquam è uinculis exsoluerunt. qui mox in omnes cibos potusq; facto impetu, ex iā ap-
paratis carpit quodlibet, immanem famem habens ab-
sentium: ut etiam cum uentris sentinam expleuerit, con-
cupiscentia tamen auida & inanis etiam tum circumspi-
ciat, ne quid reliquum oculos fugerit, ut hoc quoq; mo-
re ignis omniuori abliguriat. hanc uentris diluuiem pe-
dissequa à natura addita conitatur libido coitus, furore
ac œstro pertinaci concita, & molestissimam rabie af-
ferens. cum enim è multis condimentis potuq; meracio-
re contracta crapula grauantur homines, non sunt ama-
plius sui compotes: sed properantes ad amatorios con-
cubitus comessabundi oberrant ianuīs, donec deferuen-
te despumatoq; affectu possint quiescere. cui rei prospi-
ciens natura uidetur uentri subiecisse instrumenta coi-
tus: qui saturitatem solet sequi, & tum demū agere suū
negocium. Hos igitur qui tali pecori affatim præbent
quicquid desiderat, pecuarios uocabimus. ediuerso pa-
stores dicemus illos qui delectu rerum necessariarū ha-
bito, quæ commodissimæ sunt has ei præbent, recisa &
amputata inutili superfluaq; copia, quæ non minus no-
cet quàm inopia: quiq; modis omnib. prouident ne grex
neglectus in morbos incidat: imò uota etiam faciunt ne
qua externa calamitas ingruat. in primis autem curam
adhibent ne grex uagabundus dispergatur, metum intē-
tando castigatorem non obtemperantibus rationi, &
animaduersione utendo continua, mediocri quidem in-
errata sanabilia, seuera autem si his accedat contuma-
cia. Quamuis enim abominandæ uideantur, plurimum
tamen

tamen profunt pœnæ insipientibus, quemadmodum medicina silua corporeo morbo laborantibus. Hæc sunt pastorum studia, qui uoluptati noxiæ insuauem utilitatē præferunt. Tanta certe curæ pastoralis honestas creditur et utilitas, ut poetarum gens reges soleat uocare pastores populi: sicut legislator sapientes dignatur hoc nomine, qui soli ueri reges sunt. introducit enim eos præfectos tanquam gregis omnium hominū qui affectu bruto rapiuntur: et ideo Iacob etiam ille meditatione perfectionem assequutus; pastor est in eius literis. pascit enim hic Labanis pecora, scilicet insipientis animæ, quæ nihil bonum arbitratur præter ea quæ uidet sentitq; coloribus umbrisq; fallacibus seruiliter dedita. Labā enim interpretatur dealbatio. Moses quoq; sapientissimus hominum censetur in pastorum numero. Hic enim pastor intelligitur mentis præferentis fastum ueritati, quæ bona uideri quàm esse mauult. Iothor enim superfluous interpretatur. superfluous autem fastus est, ad inducendum in rectā uitam errorem ascitus, qui est in causa ut aliud apud alias ciuitates ius habeatur, non apud omnes id quod iustum est. quippe qui naturale perpetuumq; ius ne in somnis quidem unquam uidit. Dicitur enim Moses pastorem fuisse pecorum Iothor sacerdotis Madian. Idem precatur ne cuius grex (sic uocat totū uulgus animarum) committatur: sed ut bonum pastorem habeat; cauentem ipsi ab omnibus insipientiæ, iniustitiæ, cæterorumq; uitiorum laqueis, inducentem uero in eruditionis uirtutumq; reliquarum dogmata: Dispiciat, inquit, Dominus deus spirituum et omnis carnis hominē huic

Philo.to.i. t cœtui:

cœtui. Deinde post pauca uerba subinfert: Et non erit cœtus domini tanquam oues quibus pastor deest. Sanè etiam profecto uotum, ne sine curatore præfectoq; sinatur unicuiq; nostrum cognatus grex: ut ne in deterrimâ malæ reipublicæ speciem ochlocratiam, quæ ex optimâ democratia deprauatur, prolapsi, tumultibus & intestinis seditionibus agitemur in perpetuum. certe non sola magistratuum penuria parit morbum ochlocratie, sed & exortus iniusti alicuius uolentiq; principis. tyrannus enim suapte natura inimicus, ciuitatibus quidem homo: corpori autem & animæ ac utriusq; negocijs, intellectus ille ferox, qui arcem in unoquoq; communi. Officiunt autem non hæ solæ dominationes, uerum & nimis æquanimis principatus præfecturæq;. benignitas enim res est cōtemptibilis, utrisq; tum principibus tum subditis noxia: illis dum contempti subiectis, nec priuatim nec publice ualent quicquam recte constituere, interdum etiam principatu se abdicare coguntur: his uero dum ex continuo magistratuum contemptu negligētiores facti, magnum morbum arrogantiam sibi contrahunt, ut merito hi à pecudibus, illi à pecuarijs nihil differre iudicandi sint. nam illi sunt autores oblectandi se rerum copia: hi non ferendo saturitatem, uertunt se ad petulantiam. Oportet autem sicut caprarium, aut bubulcum, aut opilionem, aut in commune pastorem, intellectum nostrum præesse, semper utilitatem pecoris uoluptati præferentem. cæterum prouidentia dei prima et prope sola causa est, ne partes animæ rectore careant: sed pastorem adipiscantur omnino bonum & inculpabilem:

bilem, quo preposito impossibile sit dispergi quæ intel-
 lectus colligit. necessum est enim eodem omnia compa-
 rare ordine, unius nutum spectantia: quandoquidem ni-
 hil est molestius quàm parere multis imperatoribus. at
 posteris officium res est tam præclara, ut non regibus
 solis & sapientibus uiris, & animis perfecte purifica-
 tis, sed & deo rectori omnium iuste tribuatur. id quod
 non aliquis è uulgo confirmabit, sed propheta cui nos
 decet credere, qui sacros hymnos conscripsit. Sic enim
loquitur: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. idem
pro se quisq; dicat. nam tale carmen omnem amicū dei
meditari conuenit. sed præcipue mundum hunc id de-
cer. nam sicut quendam gregem, terram, aquam, aerem,
ignem, & quicquid in his continetur uel stirpiū, uel
animalium, mortalium diuinorumq;: adhæc cæli natu-
ram, solis ac lunæ circuitus, reuolutiones cæterorum se-
derum choreasq; concinnissimas, tāquam pastor ac rex
deus regit iure legeq;, præfecto his recto sermone pri-
mogenito filio, qui curam sacri huius gregis tanquā ma-
gnus prorex in se recipiat dictum est enim alicubi: Ecce
ego sum, mittam angelum meum ante faciē tuam, ut cu-
stodiat te in uia. Dicat igitur & uniuersus mundus, ma-
ximus perfectissimusq; ueri dei grex: Dominus pascit
me, et nihil mihi deerit. dicat unusquisq; priuatim idem
hoc non uoce per os linguamq; fluente, ad breue acris
pertingente spaciū: sed illo peramplo mētis sono, per-
ueniente usq; ad extremos orbis terminos. impossibile
est enim deesse commodum aliquod ubi deus præsidet,
solutus plena perfectaq; bona largiri rebus omnibus.

Quin & ad æqualitatem pulcherrime hortatur modo dictum Canticum. reuera enim qui omnia cetera habere uidetur, sed grauatim fert unius dominium, inops & pauper est. quod si qua à deo pascitur anima, hoc uno soloq; contenta ex quo pendent omnia, rei nullius omnino est indiga, non cæcis diuitias respiciēs, sed quæ oportet acute cernens & magni faciens. huius omnes discipuli uehementem perpetuumq; amorem conceperunt: & ideo contempta pecuaria, excoluerunt pastorale scientiam. Argumento est Ioseph, circa corpus & nouas opinioniones semper occupatus: qui naturæ brutæ præesse cū imperio nescit (seniores enim ad magistratus legitimos gerendos uocari mos est: hic autem semper ætatem bene fert etiam in annis senilibus) sed nutrire augereq; hanc solitus, putat se posse uirtutis quoq; amatores ad se pellere, ut ad bruta inanimaq; conuersi, uacare nō possint rationalis animæ studijs. ait enim: Si rex (id est intellectus corporeæ regionis rex) percōtabitur quodnam sit uestrum negotium, respōdete: uiri pecuarij sumus. Hoc audito indignantur non immerito, cum sint proceres, iuberi se profiteri subditorum ordinem. Nam qui sensibus per sensibilia subministrant alimentorum copiam, serui fiunt eorum quos alunt, tanquam dominis quotiæ die tributum pendentes necessarium. contra principes sunt qui hos regunt, & refrenant insatiabilem corū impetum quo rapiuntur ad superuacanea. Ac primum quidem & si non libenter hoc uerbum audiant, silebunt, in tempestiuum rati apud negligentes auditores differere de differentia curæ pecuariæ pastoralisq; scientiæ. Sed
cum

cum iterum incidere eadem contentio, resistent totis uiribus, nec prius quam uincant remittent contentionem, prae se ferentes liberale ingenium, atque adeo generosum et principatu dignissimum. proinde rogare rege, quod nam est uestrum negotium, respondebunt: pastores sumus, sicut et patres nostri. An non uidentur hac professione non minus sibi placere, quam rex ipse cum quo loquuntur, sibi placet tanto imperio: quando non solum sibi inetipsis hoc uitae genus suo pte testimonio uindicat, sed et suis patribus, quasi omni studio curaque dignissimum? atqui si de caprarum ouium ue cura sermo esset, poterat eos pudere uerum fateri, dum fugiunt ignominiam. nam in gloria humiliatque uidentur haec apud eos qui fortunatiores sunt quam prudentiores, apud reges praecipue. Ceterum Aegyptiorum gens innatam et insignem habet iactantiam, ut uel modica felicitatis aura aspirante irrideat fastidium atque plebeiorum hominum in uictu parando studium et diligentiam. Quoniam autem animae potentias tum rationales tum brutas considerare est propositum, merito se iactabunt qui sibi sunt conscij quod possint brutas compescere, ascitis in auxilium rationalibus. Quod si quis inuidus et criminator incusando eos dicat: qui sit igitur ut pastorem artem exercentes, et cognati gregis curam ac regimen professi, in Aegyptum, corporis eiusque affectionum regionem, appellere induxeritis animum, et non in quamcunque aliam? huic respondendum est libere, Inquilini ut essemus, non inhabitatores perpetui, uenimus. re uera enim omnis sapientis anima caelum habet patriam, in terra peregrinatur:

tur: & sapientiæ domum existimat suam, corporis uero alienam, cuius inquilina sibi uidetur. ergo quando intellectus receptum in suam administrationem gregem animæ iuxta naturæ magistræ leges constanter regit, probatum cum reddit & ualde laudabilem: uituperabilem uero, quando non legitime eum tractat, sed secure negligeretq; . ideo merito ille quidem regis nomen suslinebit, pastor appellatus, hic uero popinarij, pecuarius uocatus, & uoraci pecori cibos parare solitus. atq; ita quid agricola ab operatore terræ, quid itē pastor à pecuario differat, satis accurate demonstratum est. restat tertium quiddam modo dictis cognatum, de quo iam loquimur. equitem ab infessore multum differre arbitrandum est, non solum hominem uectatum animali humani, sed etiam rationem à ratione. ergo qui sine equestri arte ascendit, dici debet infessor, qui se commisit iumento lasciuo, à quo abripitur quocunq; ipsum detulerit impetus, & non præcauendo uoraginosos terræ hiatus, aut fossam aliquā profundiore, uiolento cursu unā cum equo præcipitur submergaturq; . ediuerso eques ante omnia frenum in os indit, deinde in tergum insilit, & quamuis ferri uideatur, reuera tamen circumagit eum à quo gestatur tanquam gubernator. nam & ille uidetur ferri à naue quā gubernat, sed si uere pronuncies, ipse deducit eam ad portus optatos. cæterum quando sonipes bene iter carpit habens obtemperans, palpum & laudem refert ab equite. quando autem fertur iusto concitatus, cohibetur quo minus properet. quod si pergat contumacius, reducto freno

freno cogitur ceruicē reflectere atq; gradum sistere. scuticis quoq; ac calcaribus continetur in officio ne subsellet lasciuiens, & alijs modis quibus domitores utuntur contra ferociam. nec mirum uideri debet. ascendente enim equite simul ars equestris ascendit: ut iam duo periti insideant, atq; ita unum subiectum imperitum animal moderentur facile. iam omisso hinnitore uectoreq; tuam, si libet animam cōsidera. inuenies enim inter partes eius & equos & aurigam ascensorem, sicut & extrate. Equi sunt furor & concupiscentia, ille mas, hæc fœmina: ideoq; ille ut mas gessit elata ceruice libertatem appetens: hæc uerò seruiior & callidior domum depascit ac deuorat, ut fœmina. infessor autem & auriga unus est, nempe intellectus: sed auriga tunc, quando ascendit cum prudentia: quando autem cum imprudentia, infessor est. imprudens igitur præ imperitia non potest habenas retinere, sed patitur elabi è manibus. at iumenta habenis libera temerè discurrunt nullo ordine. fessor uerò præ imbecillitate sustinere se non ualens decidit: & lacris genibus, manibus, facieq; malè multatus miser deflet suum infortunium. nonnunquam autem pedibus in curru hærens raptatur supinus, & tractum in orbita caput ceruicem humerosq; ambos confauciatur. deinde huc illucq; distractus & illis omnibus passim obiacentibus, miserrimo genere mortis extinguitur. Et huic quidem talis exitus obuenit. currus autē iam leuior & uolente quassatus, ubi in solū inæquale incidere facile frangitur, ut instaurari nō possit & compingi denuo. iumenta autem omni retinaculo liberata concitantur & effe-

rantur, nec prius desinunt currere quàm collabantur;
aut in aliquam rupem delata ipsa quoq; intereant. atq;
ita currus animæ unà cum uectore totius perit per auriga
in scitiam. Tales igitur equos uectoresq; arte caren-
tes tolli præstat, ut uirtus maneat incolumis. Cadente eni-
nim imprudentia, stare prudentiam necessum est. ideo
Moses inter præcepta tradit: Si egressus fueris in bellum
contra inimicos tuos, & uideris equum in sefforemq; et
maiorē multitudinem hostium, noli timere, quia domi-
nus deus tecum est. Furorem enim & concupiscentiam,
& in uniuersum affectiones omnes, atq; etiam cogita-
tiones quæ his singulis tanquam equis insident, etiam si
uideantur fræte inexpugnabili robore, contemni oportere
ab his qui proteguntur magni regis potentia, semper
& ubiq; pro ipsis decertante: exercitus autem dei,
uirtutes sunt, propugnatrices piarum animarum: quas
ubi uiderint deuictum aduersarium, conuenit pulcher-
rimum decentissimumq; hymnum canere datori uictoriae
deo. fita ut duo chori, alter è uirili, alter è muliebri
conclauis, è diuerso stantes alterius carminibus sibi res-
spondeant. Ducebat autem uirorum chorum Moses, in-
tellectus perfectus: mulierum uerò Maria, sensus purifi-
catus. Iustum enim est intelligibiliter sensibiliterq; deo
hymnos laudationesq; sine dilatione dici, & utrumq; in-
strumentum concinne pulsari, tam intellectum quàm
sensum, in solius seruatoris honorē ac gratiarum actio-
nem. illud certè littorale carmen canunt omnes uiri, non
tamen mente cæca, sed cernente acutè, Mose præcento-
re: canunt et mulieres ad ueritatem lectissimæ uirtutum
cuius

ciuitati ascriptæ, Maria carmen præeunte. hymnus autem idem à choris ambobus canitur, epodon mirabilem habens, quem decantari bonum est. Sic autem se habet. Cantemus domino, gloriose enim magnificatus est. eum & inscissorem proiecit in mare. Meliorem enim perfectioremq; uictoriam inuenire non licet, quam qua uincitur petulatum quadrupedum ceruicosorumq; agmen ualidum, hoc est uitiorum et affectuum. sunt enim uitia genere quatuor, & affectus totidem. cum quibus & inscensor eorum intellectus, uirtutis osor & amans affectuum, collapsus interit, qui prius uoluptatibus, iniurijs, uasramētis, rapinis, fraudibus, similibusq; iumentis delectabatur. Pulcherrime igitur legislator inter præcepta docet, ne princeps eligatur equorum altor, parum idoneum ratus ad principatum, quisquis in uoluptates & concupiscentias & amores impotentes insaniens, tanquam infrenis ac contumax equus æstro suo agitur. Dicit enim sic: Non poteris constituere supra te hominem exterum, quia frater tuus non est: propterea non multiplicabit sibi ipsi equitatum, nec auertet in Aegyptum populum. Itaq; nemo altor equorum ad principatum natus est, si sacro Mosi credimus. atqui dicat aliquis, magnam esse potentiam regis in equitatu, non minorem quam in pedestribus copijs & naualibus, nonnunquam uerò utiliore etiam, præsertim ubi sine dilatione celeritate expedita opus est, temporibus moram non ferentibus, sed ipsum momentum occasionis urgentibus: ut cunctatio non damnum solum, sed & cladem illatura uideatur, occasione tanquam nube præteruolante.

Huic respondebimus, nullum, bone uir, præsidium legislator noster à principe submouet, neq; copias eius parte aliqua mutilat, imò quantum fieri potest augere conatur, ut robore multitudineq; freti socij, facile proficient aduersam aciem. Quis enim alius sic uel insidias collocare, uel aciem struere, uel legiones distribuere, eisq; tribunis centurionibusq; assignare, ut res postulat, nunc pluribus, nunc paucioribus nouit, adhuc præcepta rei militaris tradere præmonstrareq;, ut hic noster confirmata longo usu peritia? Sed nunc non facit uerba de isto equitatu, qualem principes solent colligere ad infestandos hostes tuendosq; socios necessarium: sed de eo qui animæ inest, bruto, immoderato, inobediensq; impetu, quem refrenare utilius fuerit, ne quando populum suum uniuersum in Aegyptum corporis regionem auertat, & uoluptatum affectuumq; magis quam uirtutum deiq; amatorem reddat: quando quidem necessum est ut qui equitatu pollet, eumq; auget, uiam quæ in Aegyptum fert, ut iutes inquit, ingrediatur. Cum enim animam tanquam nauem ab utroq; latere, intellectu sensuq;, uiolentæ procellæ affectuum iniquitatumq; reluctantem inundant elatæ altius: tunc credibile est fore ut intellectus obrutus subsidat mergaturq; profundum autem in quod mergitur, corpus est, quod cum Aegypto confertur. Caue igitur ne unquam huiusmodi equis alendis studeas. nam & qui diuersum genus tractant, ipsi quoq; uituperandi sunt. & quid ni? apud quos bruta iumenta honorantur, quorum ex edibus equorum greges semper saturi procedunt, hominum

num uerò eos deducantium nemini uel sportula succurrit inopiæ solamen, uel leue aliquod munusculum. Et tamen hi minus peccant. cursores enim equos alendo, aiunt se sacra certamina et quæ passim aguntur celebritates ornare, et uoluptati oblectamentoque esse spectatoribus, atque etiam multis præbere exercendi se materiam. nam qui cupiditatem uincendi animalibus induunt, propter honoris amorem et æmulationem uirtutis, indefinente adhortatione alacritateque usi labores libenter sufferunt, nec prius desistunt ab officio, quam ad finem optatum perueniant. Verum isti prætextus quærunt. alteri ne defensionem quidem ullam habent qua peccatum suum tueantur, qui uestari iubent in sefforem intellectum imperitum artis equestris, committentes eum uitio et affectui quadrupedi. Quod si aurigandi artem ediscas melius mediterisque, ut iam tibi uidearis ad regendos equos idoneus, tum demum ascende et habenas arripe. Sic enim nec illis salientibus excussus cum laceratione corporis mouebis risum spectatoribus alieno malo gaudentibus, nec incursum obuorum insequentium inuicem inimicorum capieris: hos celeritate longè à tergo relinquens, illos uerò securè uitans per scientiam. Merito igitur Moses uictoriale carmen canens ob in sefforum interitum, salutem nihilominus precatur equitibus. Nam hi possunt iniecto brutis potentijs freno, cohibere nimium cursus eorum impetum. Quid igitur prædicetur dicamus. Fiat, inquit, Dan serpens in uia insidians in semita, mordens equi calcaneum: et cadet eques retrorsum, salutem expectans à do-

à domino. Nunc uideamus quid subindiget hæc prece-
tio. Dan interpretatur iudicium. ideo uim animæ scri-
tantem, examinantem, discernentem, & quodammodo
iudicantem singula draconi assimilat. Est autem hoc ani-
mal agilitate uarium & cum primis callidū, paratumq;
ad uim, quod se facile possit tueri à laceffentibus: non illi
uitam amanti de uitaq; consulenti simile, quod Eua pro-
pterea uulgari lingua solet uocari: sed illi serpenti quem
Moses ex ære fabricauit, quem quotquot intuebantur
morsi à uenenatis bestiis, interituri alioquin, euasisse
mortem dicuntur. Portentosa quidem ista uidentur, dra-
co humana uerba proloquens, & uasframentis mores in-
nocentissimos circumueniens, & persuasibilibus argu-
mentis mulierem decipiens, ac rursum alijs solo aspectu
salutem afferens. Verum in his quæ latētem sensum con-
tinēt, quicquid fabulæ speciem præ se fert è medio tolli-
tur, atq; ita comperitur manifestari ueritas. Itaq; illum
mulieris insidiatorem serpentem, à sensu & uita car-
num pendentem, uoluptatem esse dicimus, repentem si-
nuosis orbibus, non ualentem se attollere, semperq; in-
centem, ad sola terrena bona pronam, foueas quæren-
tem in corpore, uelut scrobes hiatusq;, & in quouis sen-
su stabulantem, hominis consiliariam, meliori contradi-
centem, ueneficis & uix ullum doloris sensum afferen-
tibus morsibus conantem interficere: Mosaicum uerò
serpentem fortitudinem, affectionem uoluptati aduer-
sariam: quapropter è solidiore materia, scilicet ære fa-
ctus inducitur. hanc fortitudinis speciem quisquis bene
considerauerit, etiamsi forte fortuna prius à ueneficijs
uolu-

uoluptatis morsus fuerit, necesse est eum uiuere. nam illa quidem intentat animæ mortem ineuitabilem, at fortitudo sanitatē incolumitatēq; porrigit. Est enim præsentissimū intemperantiæ remedium temperantia. Omni autem sapienti honestas amica est, & eadem utiq; salutaris. Itaq; cum Moses precatur Dani ut serpens fiat, non similem illi Eux serpenti fieri precatur. nam præces solent bona petere. Fortitudo certē ad bonorum genus pertinet, & immortalitatem confert bonum perfectissimum: sicut uoluptatis malum affert extremum mortis supplicium. ideo dicit: Fiat Dan sicut serpens, non alibi potius quàm in uia. nam intemperantia gulaq;, & quicquid immodicæ inexplebilesq; uoluptates per externarum copiarum usum pariunt, non finit animam per latam regiamq; uiam tendere, sed ducens eam in barathra & uoragines, donec præcipitetur in interitum. Solum autem qui à fortitudine, temperantia, cæterisq; uirtutibus se diuelli non patiuntur, declinant deuitantq; omnia lubrica. Apertissimè igitur dixit adhærere uia rectæ temperantiæ, quandoquidem aduersaria huius intemperantia solet in deuijs agere. Illud autem, insidens semitam, tale aliquid significat, quantum equidem intelligo. Semita siue callis est, uia hominibus, iumentis, plaustrisq; communis. hanc aiunt uoluptati esse opportunissimam: quia in ea mox à natali die senectutem extremam usq; gradiuntur inambulantq;, & per ocium securitatemq; immorantur, non tam homines quàm animalium alia genera. Nam ne unum quidem est quod non inescatum à uoluptate trahatur, & implicetur eius multiplicibus

tiplicibus casibus, quos sine noxa pertransire ingens labor est. At prudentiæ, temperantiæ, cæterorumq; uirtutum uie, si non inaccessæ, certè minimè tritæ sunt. Exiguus enim per has euntium est numerus, qui germanam philosophiæ rationem sectantur, cum sola honestate habentes consuetudinem, contemptis cæteris rebus in uniuersum omnibus. hanc igitur serpens hic non semel insidet: sed tanta est cõtentio curaq; fortitudinis, ut nullam non occasionem captet obturandi uoluptatis scaturigines, à qua ceu perenni fonte manant mala omnia. propterea serpens ille seductor Eue inducitur cædis hominum auidus: sic enim ait execratio, Ipse tuum caput seruabit, tu eius calcaneum: at serpens Dan de quo nunc loquimur, equini non humani admorsor calcanei. alter enim ille uoluptatem figuratè significans, ut iam demonstratum est, homini, hoc est uniuscuiusq; nostrum cogitationi struit insidias. corrumpit enim mentem uoluptatis usus nimius, at hic Danis serpens, cum sit imago potentissimæ uirtutis fortitudinis, equum mordebit, per quem subindicatur affectus uitium: quibus temperantia nunquam non meditatur perniciem. his admorsis et in genu prolapsis, eques, inquit, cadet. Quod autem sub hoc enigmate latet, tale quiddam est. huc cõtendendum esse tanquam ad rem egregiam, ut nemo nostrum patiatur mētem suam uectari ab affectu aut uitio: sed si quando cogatur aliquem ascendere, det operam ut quàm primum uel desiliat uel decidat. tales enim lapsus inclutam uictoriam afferūt. ideo quidam è priscis prouocatus ad conuitiandi certamen, In hoc quidem, inquit, nunquam descenda

descēdero, in quō uictor uicto fit deterior. Ergo tu quomque quisquis es noli unquam cum malis contendere, & primus esse in huiusmodi certaminibus: sed ante omnia, si fieri potest, cura ut fugias. Quod si quando maiore uicoactus fueris in certamen descendere, ne te uinci pudeat. sic enim demum, si uincaris, uictor euades, quando in hoc genere uictor uincitur. Nec expectes dum aduersarium aut præco uicisse pronunciet, aut certaminis præses coronet: sed ipse accedito palmam porrigens, atque etiam, si libet, coronas lemniscatas imponito: ipse uictorem magna intrepidaq; uoce pronunciato in hanc formulam: In hoc concupiscentiæ, furoris, intemperantiæ, insipientiæ iniustitiæq; proposito certamine, spectatores uosq; certaminis præfides, equidem uictus sum, uicit autem iste, & in tantum uicit, ut ne nos quidem inuideamus eius aduersarij. Ergo certaminum istorum haudquaquam sacrorum præmia cedenda sunt quibuslibet alijs. eorum autem quæ uerè sacra dicuntur, ipse coronas accipito. Caue autem sacra putes certamina, quæ instaurantur post triennium à quibusdam ciuitatibus, multa milia hominum in theatra ad hoc ipsum facta recipientibus. in his enim aut luctator concertatorem primum supinumue sternens, aut pancratiasta ualidus, à nulla ui sibi temperans, primam laudem occupat. nec desunt qui postquam utroq; pugno in ferri morem occaluerunt, in caput faciemq; inuadunt, & his probe contusis in cetera quoq; membra seuiunt, aut uice uersa plagas recipiendo multantur naso uel auriculis. Et post hæc tam immania coronas præmiaq; petunt.

tunt. Nam reliqua certamina cursorum quinquertio-
numq; nemo sapiens non rideat, hoc agentium ut saltus
sit quam longissimus, & spacia diuinentium, conten-
dentiumq; de pernecitate: quos non solum grandiores
animantes ceruus aut caprea, sed uel minimus catellus
aut lepusculus, non admodum properans, ipsos absq; re-
spiratione currentes summo conatu, à tergo tamē relin-
quet. ex his certaminibus nullum prorsus sacrum est, et-
iamsi contra testentur omnes homines, mox deprehen-
dendi in falso testimonio. Nam ipsi talium admiratores,
leges tulerunt contra uiolentiam, & iniuriam inferenti
in corpus pœnam talionis sanxerunt, constitutis etiam
iudicibus, qui de talibus causis decernerent. & quomo-
do æquum uideri potest, ut qui ulciscuntur factas prius-
tim iniurias, nec impunitas sinunt, iidem in celebritati-
bus tantaq; spectatorum frequentia, coronas talium fa-
cinatorum patratoribus & alia quedam per præconem
statuant præmia? Cum enim de eadem persona, de eor-
dem facto, duæ diuersæ feruntur sententiæ, necessum est
iniquam esse alterutrâ. Ambas enim æquas aut iniquas
haberi non est possibile. Vtrum igitur horum laudatis
omnes uno consensu? annon eum puniri qui prior infert
iniuriam? ergo merito damnantur quicunq; dissentiunt.
At ex sacris nihil improbari debet, quorum tanta est
existimatio publica. Ergo solum olympiacum certamen
iuste dicitur sacrum, non istud quod ad Elim celebratur,
sed quod est propositum de parandis diuinis uereq; o-
lympijs uirtutibus. in hoc quibus sunt infirmissima cor-
pora, sed animæ ualidissimæ, nomen dant. Deinde exuti
unctiq;

inētiq; agunt quicquid possunt uel arte uel uiribus, nū-
 hil sibi ad summum conatum facientes reliquum modo
 assequantur uictoriam. & hi quidem facile uincunt ad-
 uersarios: sed inter ipsos rursum de primatu oritur con-
 tentio. Non enim idem omnibus modus est uictoriae: sed
 omnes honore digni, prostratis inimicis tam infensis,
 & grauib. Maximam tamen admirationem meretur
 inter hos præcipuus, cui non debemus inuidere prima
 præmia. Ceteri secundis contenti sint & tertijs. Nam de
 uirtute paranda hic certatur: in qua si non datur tenere
 fastigium, uel in medio satis utilitatis capitur. & sunt
 qui hanc possessionem certiozem existimant; inuidiæ
 celsa petenti minus obnoxiam. Proinde ualde doctè di-
 ctum est illud memoria dignum, Cadet eques: ut si quis
 excidat à malis, bonis innixus assurgat. sed eo quod se-
 quitur magis etiam docemur, non prorsum, sed tetrora-
 sum esse cadendum, quia relinqui à uitij affectionibusq;
semper fuit utile. in honestis enim rebus properatione,
 in turpibus tarditate opus est: & rursum, ad illas qui-
 dem accedere, ab his abesse quam longissime: quando
 quo quisq; remotior est a prauis affectibus, eo maneat
 sanior. Quamobrē ait cum sanitatem expectare à deo,
 ut quantum discedit ab iniustitia, tantum ad iuste agen-
 dum properet. Hactenus satis de equo inesseoreq;, de pa-
 store & pecuario, de terram operante & agricola, tum
 quæ singulas has copulas perquirētibus inueniatur dif-
 ferentiæ. Nunc ad ea quæ deinceps sequuntur aduertā-
 mus animum. Cupidum uirtutis inducit non omnino pē-
 Philo. 10. i. ritū

ritum agriculturæ animæ, sed tantum rudimentis eius exercitium, dicens sic: Cœpit Noe homo agricola esse. principium autem, iuxta uetus prouerbum, dimidium totius est: & altero dimidio abest à fine, quod nisi accedat, etiam incepisse res magnas sæpe obfuit. nam & scelerasti aliquando quod non ferrent cruciatus animi, cœperunt de meliore uitæ ratione cogitare, sed nequicquam. Sic enim usu uenit, ut qui ad finem non peruenerunt, obruti occurrentium malorum cumulo, relinquunt bonum illud propositum. ideo cum Cain putaret se gratas obtulisse uictimas, non litasse admonitus est oraculo, nec enim sacra perfectaq; immolasse. Est autem oraculum tale: Non si rectè obtuleris, sed si rectè diuideris. Rectum igitur est honor dei: quod autem non diuiditur, non rectum. huius rei quæ sit ratio uideamus. Sunt qui pietatem in eo collocent, quod deum autorem aiunt rerum omnium, bonarum atq; contrariarum: quos sic licet alloqui. hæc opinio uestra partim laudabilis est, partim uituperabilis. Laudabilis, quia miratur eum qui solus honore dignus est: uituperanda, quod nihil distinguit aut diuidit. debueratis enim non commiscere confundereq; omnia, dum asseritis eum autorem omnium: sed cum distinctione, tantum bonarum rerum causam in eum referre. absurdum enim est, de sacerdotibus quidem sollicitum esse ut integro sint corpore, itemq; de uictimis, ut nulla prorsus ne minima quidem cōtacta sint labecula, adhibitis etiam ad hanc curam aruspiciibus, sicut à quibusdam appellantur, ut sine uitio noxaq; ad

aram

aram admoucantur immolande pecudes: opiniones autem de deo confusas esse in singulorum animis, nec ulla rationis discerni regula. Non uides quod camelum animal impurum esse lex pronunciat: quia ruminat quidem, sed non diuidit ungulam? atqui si causam hanc ita ut sonat consideremus, non uideo quam rationem habeat: quod si introspeciamus penitius, apparebit ratio. Quemadmodum enim quodlibet ruminans cibum semel deuoratum, & rursum sub dentes reuocatum atterit: sic anima cuiuscunq; disciplinarum studiosi postquam per aures recepit contemplatione dignum aliquid, obliuioni hoc non tradit, sed per ocium secum ipsa retractat singula, & cuncta sibi reducit in memoriam. Memoria porro non quæuis bona est, sed ea sola quæ rerum bonarum meminit. malarum enim non obliuisci nocet maximè. Quamobrem ad perfectionem requiritur diuisa ungula, ut ui reminiscendi bisariam diuisa, sermo per os, & ipsum inter cetera naturaliter diuisum, fluens, labia distinguat, simulq; damnosam memoriam ab utili. Vnò ne diuisa quidem ungula sine ruminatione uidetur quicquam utilitatis afferre. Quid enim prodest naturas rerum ab ipsis exoridis diuidere, uel usq; minutissimas minutias, & non in seipso idẽ facere, nec sui partes diuisas habere, sicut quidam non incongrue solent nominare indiuidua. Hoc enim sagacitatis & argutissimæ solertiæ fuerit argumentum euident: ceterum nullam utilitatem ad rectam honestamq; uitam attulerit. Proinde in quotidianis disertationibus ubiq; sophistarum uulgus aures fortuito

confluentium atterit, dum magna subtilitate uoces ambiguas explicat, atq; etiam res multiplices, quæ succurrunt in memoriam, easq; dijudicat. An non alij scriptarum uocum elementa partiuntur in muta & uocalia? alij rursum orationem in tria suprema genera? scilicet nomen, uerbum, coniunctionem. item musici suam scientiam in rhythmum, in partem, in melos? rursum partem in chromaticam, enharmoniam diatonicamq; speciem, & in diatessaron, diapente, diapason, coniunctas disiunctasq; melodias? sic geometræ in duas maxime generales lineas, rectam & circumfrentiam? sic artifices alij suam quisq; scientiam in uarias species, à primis usq; nouissimas? quibus accinit & totus chorus philosophantium, more suo differens, quod ea quæ sunt partim sunt corporea, partim incorporea. & alia animata, alia inanimata. quædam bruta, quædam rationalia. pars mortalia, pars immortalia, ex mortalibus aliud mas, aliud foemina, quæ hominis est diuisio. rursum è prædicamentis quædam esse perfecta, quædam imperfecta. & ex perfectis quædam interrogationes, percontationes, precationes, iuramenta, ceterasq; speciatim in his distinctionibus descriptas differentias, rursum quædam quæ dialectici solent nominare axiomata, & ex his quædam simplicia, quædam non simplicia. rursum è non simplicibus quædam coniuncta, quædam adiuncta maius minusue, & insuper quædam disiuncta, aliaq; huiusmodi. quædam uera, & falsa, & incerta, possibilis & impossibilia: quædam corruptibilia & incorruptibilia, necessaria & non necessaria, expedita & impedita

dita, & his cognata cetera. Rursum imperfectorum alie sunt diuisiones in predicabilia, quæ uocantur, & contingentia, & alia quædam his minutiora. Sed quamuis intellectus seipso acutior factus, tanquam medicus corporum, sic ipse naturarum anatomiam exerceat, nihil inde ad uirtutem lucrabitur: diuidet ille quidem ungulam, distinguere discernereq; ualens singula: non ruminabit tamen, ut uiuetur hoc cibo per reminiscētiā, deposita per commanducationem eius asperitate quam ex animæ peccatis contraxerat, conciliataq; esurie ad facilius deglutienda quæ iterum contrita sunt. proinde plurimi sophistæ quos uocant magnam admirationem consecuti apud populos, qui totum ferme orbem peragrarunt, gratiosi hospites facundiam diligētiamq; suam ostēntantes, deuicti affectibus consenuerunt & uitam in his contriuerunt, nihilo hac parte potiores uilissimis è uulgo hominibus idcō rectissimè sophistas sic uiuentes legislator noster confert cum suis, qui nulla re pura, sed turbida, cœnosa turpiq; uita se oblectant ad saturitatem usq;. ait enim suam esse impurum animal, quia diuidit quidem ungulam, non ruminat tamen: sicut camelum propter causam contrariam, ruminantem non bifidum ungula. Cæterum quæcunq; animalia utrumq; hoc habent, pura pronuntiatur merito, quando utramque iam dictam absurditatem effugerunt. propositum enim sine memoria, meditatione, iugiq; tractatione rerum bonarum, bonum imperfectum est. quod si alterum accedat ad alterum, ita denum absoluitur. hanc perfectionem formidant hostes animæ, quibus non am-

plius insurgere contra eam ualentibus uera pax obtineatur. at quibus semiperfecta inabsoluta; sapientia contigit, infirmiores sunt quam ut possint se peccatorum longo tempore confirmatorum opponere cohortibus. Quamobrem quando instante bello delectus habetur, non omnis iuuentus uocatur, etiamsi ultroneam contra hostes operam alacriter offerat: sed iubentur plerique domum redire, ut exercitatione continua tantum sibi roboris militaris peritiæ; comparent, quantum olim satis futurum sit ad extorquendam hostibus uictoriam. ideo quando bellum est pro foribus, in hanc formam per cornicularios edicitur: Quis est homo qui edificauit domum nouam & non dedicauit eam? uadat & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo dedicerit eam. Quis est homo qui plantauit uineam, & nondum exhilaratus est ex ea? uadat & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo exhilaretur ex ea. Quis despondit uxorem, & non accepit eam, uadat & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. Atqui dixerit aliquis: Cur, ô mirande uir, non potius hos præ cæteris in bellum emittis & aciem, qui uxores, domos, uineas habent, alijsq; possessionibus sunt locupletes: pro quibus tuto retinendis pericula uel grauissima tolerabunt facile? nam isti quibus nihil tale est, cum nullum habeant pignus uirtutis necessarium, non eadem utentur industria. An hoc te mouet, ne fortè qui nondum perceperunt fructum è suis possessionibus ne in posterum quidem percipiant? at quæ potest esse bello

uictis

uictis è suis prædijs utilitas? Sed non uincuntur. multabuntur igitur ob desertam militiam. Nam his delicatis domi manentibus, necesse est hostes fortes bellatores, non solum sine sanguine, sed & sine puluere uincere. Sed non decrit aliorum sociorum multitudo, qui pro his quoq; depugnent fortiter. Atqui primo absurdum est aliena industria fortunaq; niti, præsertim ubi de uastitate patriæ, deq; libertate populi priuatim publiceq; periculum imminet, cum possint in laboris partem illi quoq; recipi, non uoletudine aduersa, nec ætate parum integra impediti, nec ullo infortunio. Proinde nihil æquius aut magis decorum, quàm ut sumptis armis progrediantur in primam aciem, obiectisq; ante olos socios clypeis, fortiter pugnando propulsent periculum. Alioquin nonne proditiõis atq; inhumanitatis reos se declarabunt, si reliquis pugnantibus pro re publica, ipsi tractabunt domestica negocia? & illis pro aliena salute decertantibus, isti ne pro se quidem arma capient? illi in ediam, dura humi cubilia, ceteraq; tum animi tum corporis incommoda libenter perferent cupidine uictoriæ: isti dealbando & nugis ornando surdos parietes, aut agri fructus decerpentes, canentesq; ad torcular, aut desponsas uirgines nunc primum deducentes in thalamum, quasi hoc tempus nuptias postulet, uiuent suauiter? bonum sanè est curare domesticos parietes, redditus colligere, conuiuari, potare, indulgere genio, nouam nuptam anum (ut uulgaris iocus est) ducere: uerùm hæc pacis sunt negocia. Nunc integro bello & feruente ut cum maximè, ita ne non pater,

non frater, non gentilis ullus aut cognatus in militiam profectus est, sed una totam familiam occupavit timiditas: dices decertare cognatos innumeros. His igitur de uita periclitantibus, delicati isti ac molliculi quas non effratissimas feras inmanitate superant? dicent: durum est pati alios in nostra bona sine labore succedere. An non durius uiuos etiamnum ab hoste pelli possessionibus, quam defunctos eas amicis cognatisq; legitimis successoribus cedere? tantum inter utrumq; interest, ut stultus sit collatio. Atqui potest fieri, ut isti detrectatores militiae, non solum bona hæc amittant, sed ipsi quoq; ueniant in potestatem hostium, illis uero pro salute reipublice defunctis, etiamsi nullum adhuc fructum perceperunt è suis prædijs, solatium contingat ex reputatione hæredum successorumq; quos nō alios cuperent. In uerbis quidem legis hæc et alia multa controuersa sunt: sed ne quis peruerse callidius plura in eam inquirere audeat, recurramus ad allegoriam et dicamus: primum iubere legem, ut quisquis bonorum possessionem sibi comparat, curet fructus etiam inde percipere, quando uirginitas felicitas in perfecto usu consistit, per quam continet uita incolumitas. deinde non de domo hic, aut uinea, aut sponsa uerba fieri, ut eam proci abducat, aut plantator uindemiet, expressisq; uuis mustum degustans se exhilaret, aut alius exstructam à se domum inhabitet: sed de animæ potentijs, per quas initia, profectus, perfectionesq; contingunt in actionibus laudabilibus. Harum principia firmè ad procos attinent. sicut enim proci nondum est uir, erit tamen: eodem modo quicumq;

quicunq; bona indole præditus, generosam castanq; uirginem ducturum se sperat eruditionem, moxq; procum eius agit. profectus autem ad plantatorē possunt refrari. sicut enim huius cura est incrementū stirpiū: ita discendi studiosus dat operam ut prudētis contēplationes augeantur plurimum. postremo perfectiones ad ædificium domus absolutæ, sed nondum consolidatæ. omnibus autem his tam perfectis, quàm incipientibus & proficientibus conducit uitam sine contentione agere, & abstinere à sophistarum dimicationibus, turbulentam, litem ad subuertendam adulterandamq; ueritatem semper meditantibus. quia ueritas pacem amat, quam isti prosequuntur odio. quòd si descenderint in hoc certamen homines simplices cum peritissimis, omnino succumbent: incipiens, quia imperitus: proficiens, quia imperfectus, perfectus autem, quia nondum exercitatus in uirtute. oportet autem sicut incrustationes paulatim hærescunt & consolidantur: ita perfectorum animas confirmatas, alijs super alias meditationibus asuescere non gradu dimoueantur. Quibus autem id non contigit, apud philosophos in sapientum nomen subrepsisse dicuntur. aiunt enim esse impossibile, ut qui in sapientia plurimum promouerunt, & ad eius euaserunt fastigium, suam perfectionem nouerint. negant enim fieri posse ut qui ad finem peruenit, statim se peruenisse intelligat: sed confinium tenere ignorantiam, non illam procul remotam à scientia, uerum aliam propinquam, parum distantem à uia. quò postquam aliquis se peruenisse intelligit, simulq; uires aduersariorum, potest

contra contentiosam sophistarum aciem subsistere. sperandum enim est de talis uiri uictoria. quisquis autem nondum præteruectus ignorantiam euasit ad lucem scientiæ, eum domi se continere consultius fuerit: hoc est non descendere in certamen de rebus nondum sibi sanctis cognitis: sed quiescere potius: qui uerò per arrogantiam in luctam prosilit, petitiones aduersariorum cauere nesciens, ab eis præoccupabitur, & multabitur. morte scientiæ, grauiore quàm est uulgaris hæc animam à corpore dirimens. sed hic exitus meritò manet deceptos à sophismatibus. cum enim non possunt solutiones inuenire, mendacijs tanquam ueritati credendo amittunt uitam scientiæ: quod accidit & his qui se sinunt decipi ab adulatoribus. nam horum anima sana & uerax, per morbidam subuertitur & expellitur amicitiam. proinde consultum est, ne huiusmodi certaminibus se committant qui discere incipiunt, cum imperiti sint: similiter & proficientes, cum imperfecti sint. nec non qui tum primum perficiuntur, quia perfectionem suam adhuc ignorant. quod si non pareant huic consilio, alijs, inquit, homo domum eius habitabit, uineam possidebit, uxore ducet. quod perinde est ac si diceret, hæc iam dictæ potentiæ, studij, profectus, perfectionis deficient nunquam, sed alijs alios homines accedendo uersabuntur cum eis, migrantes ex anima in animam, similes signaculis (nā & hæc post impressā ceræ formam nilo deteriora permanent) etiā si contingat impressos characteres uobiscū interire. cū enim sint immortales, innumeris ante uos familiaritate sua pepererunt gloriam quos

quos expertæ sunt, non sicut uos propter periculorum contemptum auersari suam cōsuetudinem, sed ultro ad se accedere, et securitati suæ prospicere. proinde si quis uirtutis amicus est, optet in se plantari bona omnia, et existere in sua anima, quemadmodū in statua tabulaq; perfectissima, quicquid ad decentem proportionem attinet: id secum reputans, esse innumerabiles qui captēt ea dem: quibus natura ipso præterito donabit omnia, felicitatem discēdi, profectum perfectionemq; sed satius fuerit ipsum ante illos elucere, et concessas sibi diuinitus gratias in tuto reponere, potius quàm obijcere hostibus auidis ccu prædam paratissimam. ergo parua utilitas est principij quod iusto fine non obsignatur. sæpe tamen etiam perfecti quidam pro imperfectis sunt habiti. eo quod suapte alacritate, non dei benignitate profecisse sibi uisi sunt. qua opinione inueniliter inflati, et in immēsum elati, è sublimi delati ad infimum barathrū interierunt. Si domum, inquit, nouam edificaueris, et feceris in tecto coronulam, caue habearis autor necis in domo tua, si quis inde prolapsus deciderit. grauiissimū est enim ab honore dei prolapsus decidere, sibi metipsi coronā usurpando, et ciuilem necem patrando. suam enim animam interficit, quisquis honorat quod nihil est, struens sibi stultæ eruditionis ædificium. nam eruditio non scne scit. quapropter nouam uocat eius domū. nam alias res tempus absomit. hæc autem etiam si procedat in tempus longissimum, florem ætatis non amittit, uirenti semper specie hilaris, et agilis assidua consuetudine. Aliubi quoq; inter præcepta extat hortatio, ut affluēte rerum copia,

copia, nō nobis eam ascribamus, sed memores simus dei
 qui largitur uim & robur ad agendum. hic igitur finis
 felicitatis est, illa uero principia. itaq; si quis obliuiscitur
 huius finis, ne partis quidem rebus bene frui poterit.
 Verū isti sponte per amorē sui labuntur, dum grauantur
 deum, qui solus amari à seipso meretur, ut perfectissimus,
 fateri autorem bonorum omnium. Sunt etiam qui omnem
 pietatis rudentem mouendo celeri navigatione conati sunt
 in portum eius appellere, & iam proximi, iamq; sperantes
 inuehi, repente ex aduerso procella coorta, tum demum à recto
 cursu repulsi sunt, frustra et tot navigationis commodis.
 Horū iactationi quis male precaretur? quando inuitis quod
 remoraretur accidit. Quis igitur assimilabitur his, nisi qui
 magnum, ut uocant, uotum uouit? Si quis, inquit, subito corā eo
 mortuus fuerit, confestim polluetur caput uoti eius, & rade-
 detur. Deinde post pauca subinfert: Dies autem priores
 irriti fient, quoniā pollutum est caput uoti eius. utraq;
 uox, subito & confestim, indicat non uoluntariam mutationem
 animæ. Nam in peccatis uoluntarijs opus est tempore
 consultandi, ubi, quando, quomodo aggredienda sint. Quæ
 autem inuiti admittimus. repente, ex improviso, momento
 (ut ita loquar) temporis ingruunt. Est enim perdifficile,
 ceu cursoribus, post institutum semel ad pietatem cursum
 inoffense & sine respiratione ad metam recta decurrere,
 quandoquidem innumera sunt quæ obiacent pedibus
 mortalium. Ceterum ante omnia, quod sola præstat
 beneficentia, abstinere à uoluntarijs peccatis, prodest
 ad repellendam etiam inuoluntario=

tariorum multitudinem. Deinde si & inuoluntaria nec multa admittantur, nec diu adhæreant. Pulchre autē in uitæ mutationes dies dixit irritos, non solum quia ratione caret peccatum, sed quia horum quæ fiunt ab imprudentibus non potest reddi ratio. ideo sepe cum talium factorū causam reposcimus, negamus nos scire, aut posse dicere: quia nec intercedere potuerimus, nec præscire. Rarum igitur Dei donum est, à carceribus ad metam usq; stadium uitæ percurrere absq; offensa lapsuq; , ita ut naturam utramq; peccatorum uoluntariorum inuoluntariorumq; liceat celerrimo cursu præteruolare. Hactenus de principio finēq; dictum sit per occasionē Noë iusti, qui agriculturæ prima rudimenta consecutus, ad finem eius peruenire non ualuit. ait enim scriptura, Cœpit esse agricola, non extremos eius scientiæ terminos adeptus est. quæ autem de plantatione eius dicta sunt, repetamus denuo.

PHILO2

PHILONIS IV=

DAEI, DE PLANTATIO-

ne Noe liber I I.



IN primo libro de agriculturæ arte in genere quantum tempus stium erat, diximus: in hoc de eius specie uinitoria pro uiribus dicemus quod reliquum est. Nam iustus hic, non solum agricola, sed & proprie uinitor introducit, dicente sacra scriptura, Cœpit Noe homo agricola esse, & plātavit uineam.] Decet autem ut qui de singularibus stirpibus & agriculturis dicturus est, consideret primum stirpes in hoc uniuerso perfectissimas, magnumq; illum plantatorem harum præsidē. Scilicet plātator ille maximus, et arte perfectissimus, huius rerum uniuersitatis rector est: planta uerò mundus hic, non unicum stirpis genus in se continens, sed infinitos ceu palmites ex una radice progerminans. Postquam enim essentiam inordinatam suapte natura confusamq; in ordinem ex perturbatione & ex cōfusione in discretionem reducens mundi opifex formare cœpit, terram quidem & aquā radicaui in medio, aeris uero ignisq; arbores in sublime subduxit à medio. hæc autem circumquaq; muniuit æthere, extimum hunc terminū pro munimento custodiāq; statuens, unde cælum Græcis nominatum uidetur. interius terrā cum sit arida inuehi aquis

nec

nec ab eis dilui, igni porrò natura calido iungi aerē suo pte ingenio frigidissimum non sine ingenti miraculo iussit. nōne enim prodigiosum uidetur, id quod dissolubile est contineri à dissolutiuo, uidelicet terram ab aqua? & frigidissimæ rei superpositam calidissimam, non extingui tamen ignem ab aere? hæ sunt illæ perfectissimæ plantationes huius uniuersi operis: maxima autē et omnium rerum feracissima stirps, mundus hic, cuius ceu rami sunt modo dicta germina. Nunc considerandum ubi sint eius radices, & quæ basis, in qua consistit more statua. corpus certe nullum credere debemus extra relictū errare, absumpta in unum dei opus omni materia. perfectissimū enim oportuit effingi maximum opus ab opifice maximo. Non fuisset autem perfectissimum, ni ex perfectis completum esset partibus. itaq; ex tota terra et ex tota aqua aerēq; ignēq;, ne minima quidem exterius relictæ eorum particula, mundus hic confectus est. Vnde necessario sequitur, extra aut uacuum esse aut nihil. Si uacuum, quomodo id quod plenum est & solidum & omnium grauiissimum non degrauatur mole sua, sustentatum à nihilo? ut somnio quiddam simile uideatur, dñ cogitatio semper quærit basim corpoream, quam requirit quicquid mouetur, præsertim mundus, quippe maximus omnium corporum, & multitudinem aliorum corporum, ut suarum partium in sinu continens. Si quis igitur pudorem huius difficultatis non explicatæ uelit effugere, ingenue dicat, nihil esse tam forte in omni materia, ut mundum baiulare ualeat. sed æterni dei lex æterna firmissimum ac munitissimum fulcrum est rerum omnium.

nium. hæc à medijs ad fines, & ab extremis ad media se extendens, decurrit per longum naturæ stadium cursu inuictissimo, in unum conducens partes omnes cōstringensq; hanc enim pater qui ipsam genuit, uinculum fecit non rumpendum in perpetuum. merito igitur neque tota terra diluitur à tota aqua, quod in finibus eius accidit, neq; ab aere ignis exinguitur, neq; contrà igne inflammatur aer, dei lege se interponente: sicut elementa uocalia mutis distinguuntur. ut uiuersum hoc tāquam in literata musa concinat, minaces contrariarum naturarum concursus suadela dirimente interposito suo arbitrio. ita profecto radicatur arbor seracissima, & radicata stat firmiter. particulares autem & minores stirpes, partim mouentur & migrant, partim mouendo se nihilominus semel assignatum sibi locum obtinent. quæ ambulatoriæ sunt, animantes ut nos uocamus, huius uniuersi grādiōribus inditæ sunt partibus: terræ terrestres, aquæ natatiles, uolucres acri, ignigenæ igni, quarū prouentus manifeste uideri fertur in Macēdonia, sicut stellæ in celo cernuntur. sunt enim & hæ animantes intellectu præditæ, consensu philosophantium: aliæ per se uagæ, aliæ fixæ, quæ tamen eadem cum mundo rotatæ circumactæq; uertigine locum mutare putātur. at quæ naturam imaginatione carentem habēt insitam, quas proprie plantas dicimus, migratiuo quoq; motu carēt. duo autem genera in terra & aere fecit opifex. in aere quidem uolucres sensibiles, & potestates alias sensu haudquaquam perceptibiles. animarum sodalitium istud est incorporearum, non in eosdem digestarū ordines.

enim

enim assignari ferunt mortalib. corporibus & post cer-
tos temporum circuitus liberari denuo. alias diuiniore
habitu sortitas totam terrenam regionem contemne-
re. in summo autem prope ipsum ætherem esse purissi-
mas, quas Græcorum philosophi heros uocant & ge-
nios, Moses ex re nomen facit eis angelis: quòd bonarū
rerum internūciæ sint à summo rege ad subditos, ac rur-
sum pro horum necessitatibus legatione ad illum fungā-
tur. terræ uero animalia terrestria stirpesq;, alia duo ge-
nera attribuit, iussæ ut eorum matrem simul ac nutrice
ageret. sicut enim mulieri & omni foemellæ fontes la-
ctis sub partum scaturiunt, ut recentes fœtus rigetur ali-
menti necessarijs & conueniētibus: ita & terrestrium
animalium matri terræ omnes stirpium attribuit spe-
cies, ut cognatis non alienis cibus partus eius uterentur.
stirpes tamen deorsum merso fecit capite, infixas feri-
lissimis eius partibus. Brutorum autem capita retraxit
à terra, & summæ ceruici oblongæ aptauit, & pro ful-
cro pedes anteriores ei supposuit. solus homo eximium
ornatum sortitus est. Cæterorum enim animalium ora
deorsum flexit: quapropter ad terram prona sunt. homi-
nem contra erexit, ut cælum spectet, cum sit non terre-
stris planta, sed cælestis, sicut à priscis accipimus. Quo-
rum alij particulam æthereæ naturæ hanc asserētes, con-
gratatione iungunt ætheri hominem. At magnus ille Mo-
ses, nullæ creaturæ rationalis animæ speciem facit simi-
lem, quam inuisibilis dei pronunciauit imaginem: hoc
ipso probam existimans, quòd essentiam formamq; di-
uinius impressam habeat, cuius character æternus ser-

mo est. Inspirauit enim (ut inquit) deus in faciē eius spiritum uitę. itaq; necessum est, ut qui eum recipit, emittētis imaginem referat. ideo dicitur, ad imaginem dei factum hominem, non ad creaturę alicuius. Consequens erat igitur, ut quoniam humana anima exemplar suum auctoris summi sermonem referebat, corpus etiam creatum ad purissimam partem mūdi cælum os attolleret, ut per hæc quę in propatulo sunt intelligantur illa inuisibilia. ergo quoniam erat impossibile ut cogitatio perueniret ad aspectum eius Qui est, nisi mentis ab ipso attractę, sicut sua cuiq; manifeste testatur cōscientia: cuius dēs simulacrū occulti oculi corpus hoc habemus, quod potest ad æthera suspicere. Cum enim hi ex corruptibili materia compacti oculi eousq; ascendant, ut à terrena hac regione prouolent ad cælum remotissimum, pertingantq; ad eius terminos, quales existimandi sunt per omnia discurrentes animę oculi: qui multo desiderio cōspiciendi eius Qui est uolucres facti, non solum ad extremum æthera pertinent, sed à tergo relictis totius mundi terminis, ad ingenitum illum properant. Quapropter in oraculis dicuntur sursum uocati, qui sapientia scientiaq; nunquam satiantur. Fas est enim ad deum sursum uocari eos, qui ab ipso inspirati sunt. mirum enim si turbines procellęq; arbores stirpitus rapiunt in aerē, & nauigia decem milium amphorarum capacia, mercibus onusta, quasi leuissimum aliquid ex alto mari auferunt, & stagna fluminaq; in sublimē abeunt, in gremio terre fluentis deficientibus, quę exhauriunt uentorū uerberantes multiplicesq; uortices: omnipotentis uero dēi spiritus inferna hæc omnia superante, mens suapte natu

ra leuis non fit leuior, & ad summam altitudinem attol-
litur, præsertim hominis germanæ philosophiæ dediti.
Hæc enim non uergit deorsum ad res terræ gratas &
corpori, à quibus quàm longissimè conatur discedere;
sed sursum fertur, ut insatiabilis amatrix sacrarum feli-
ciumq; naturarum sublimium. Quamobrè Moses præ-
fectus custosq; orgiorum eius Qui est, sursum uocabit-
tur. Legitur enim in lib. Leuit. Sursum uocauit Mosem.
Beseleel quoq; secundo honore dignatus sursum uocabit-
tur. Nam & hunc sursum Deus euocat, ad fabricam &
curam sacrorum operum. Verùm hic secūdas huius euo-
cationis partes, Moses uero sapientissimus primas feret.
Nam ille umbras fingit, sicut pictores, quibus nō est fas
animatum quicquam condere. Beseleel enim in umbris
faciens interpretatur. At Moses non umbras, sed natu-
ras archetypas earum rerū quas fingendas sortitus est.
& alioquin etiam summus ille autor, alijs clarius mani-
festiusq; tanquam in sole puro: alijs obscurius, tanquam
in umbra solet res suas ostēdere. Nūc postq̃ differuimus
de grādiōrib. mundi plantis, uideamus quomodo & in
homine minore mūdo sapiētissimus opifex deus arbores
quasdā cōdidit. Primū in corpore nostro quasi bono a-
gro, sensuū scrobes præparauit: in quas unūquēq; tanq̃
mitem utilemq; arborē indidit, auditū in aures, uisum in
oculos, in nares odoratum, & suis quosq; locis cæteros.
Attestatur autem huic meæ sentētiæ fatidicus uates, qui
in suis hymnis sic loquitur. Qui plantat aurē nō audit?
& fingit oculos nō inspiciet? quin et aliæ, quæ usq; crura
manusq; ac cæteræ corporis partes externas internasq;

pertinent; facultates omnes sunt generose plantulæ: sed
 quæ præstantissimos perfectissimosq; fructus afferunt;
 penitus insitæ sunt in uim qua homo regitur. Sunt aut
 tem hæ: cogitatio, perceptio, coniectura, meditatio, me-
 moria, habitus, dispositio, artium species multifariæ, sci-
 tiæ confirmatæ, uirtutis totius contemplationum conce-
 ptus indelebilis. Horum nihil ullus homo plantare scit:
 sed uniuersorum unus ingenitus est artifex, qui non so-
 lū creauit ea semel, sed et singula plantat quotidie. huic
 nostro sermoni adstipulatur etiam paradisi illius plan-
 tatio, de quo dicitur: Plantauit deus paradysum in Edem
 contra orientem, et collocauit ibi hominem quem fin-
 xerat. id si accipiat de uitibus, et olearum, malorum,
 punicarum, similiumq; arboribus, magna et incurabi-
 lis stultitia fuerit. quæri enim posset in quem usum fin-
 ctus sit. an propter amœnam habitationem? ergo totus
 mundus non est aptius deo summo regi habitaculū? an
 non et aliæ multæ res sunt ad excipiendum tantum re-
 gem magis idoneæ? imò nefas est illi summo autori as-
 gnari locum aliquem, præsertim cum non singulis an-
 nis fructum ferant arbores. ad cuius igitur usum fructū
 paradysus hic erit fertilis? hominis certe nullius. nam pa-
 radisi nemo prorsus inducitur incola: quando et is qui
 primus è terra fictus fuerat Adam, translatus inde dici-
 tur. Deus certe sicut alijs rebus, ita et cibus non indiget.
 nam quisquis cibo utitur, necesse est ut primum indi-
 geat eo, deinde instrumenta parata habeat, per quæ et
 ingestum recipiat, et digestum foras egerat. hæc autem
 in summi autoris felicitatem non competunt impia com-
 menta

fientia hominum, ad tollendam pietatem sanctitatemq;
 uirtutes maximas, inducentium Deum humana forma
 & affectibus humanis præditum. Eundum igitur ad al-
 legoriam uiris amicam perspicacibus, quando & ora-
 cula sacra occasionem nobis manifestissime porrigunt.
 narrant enim in paradiso stirpes esse nostris nequaquã
 similes, sed uitæ, immortalitatis, scientiæ, cognitionis, in-
 tellectus bonarum rerum, & malarum imaginationis:
 hæc uero cum terrenæ non sint, necessariò rationalis ani-
 mæ plantæ sunt existimandæ: cuius iter ad uirtutem hæ-
 bet finem uitam immortalitatemq;: diuersa uero uia du-
 cens ad uitium, his amissis in mortem desinit. Credendū
 est igitur benignissimum deum in anima, tanquam para-
 disum uirtutum, & actionum quæ ex harum præscri-
 pto fiunt, plantare, qui ad eius perfectam felicitatē con-
 ducat: quamobrem locum conuenientissimum assigna-
 uit paradiso nominatum Edem, quod interpretatur de-
 liciæ, qui significat animam recte cernentē, choreas agē-
 tem cum uirtutibus, exultantem præ nimio gaudio, unã
 delectationem innumeris hominum uoluptatibus præ-
 ferentē, quales solus confectatur sapiens. Hoc mero gau-
 dio exhilaratus unus è Moysis præcipuis sodalibus, in hy-
 mno exclamat suam mentem alloquens, Deliciare in do-
 mino: hac uoce seipsum ad cælestem diuinumq; amorē
 excitans, & ista quæ uulgus hominum pro delicijs iæ-
 stat ostentatq; fastidiens, totam mentem afflatu diuinò
 furoris correptus, & in deo solo hilaritatem suam totū
 collocans. Illud quoq; quòd contra orientem paradisi
 esse narratur, declarat ea quæ modo dicta sunt. Tenebræ

cosa enim uespertina nocturnaq; res est insipientia: splē-
 dida uero, fulgida, & uere orientalis prudētia: & sicut
 oriēs sol totum cælum radijs illustrat, eodem modo etiā
 uirtutes habent suos radios, quibus in mentem penetrā-
 do totam eam reddunt lucidissimam. Et homines quidē
 ad custodiam rerum sūarum adhibent feroces bestias
 quæ insidiatores & raptores arceant: deus autem suis
 rebus rationales naturas præficit. Posuit, inquit, ibi ho-
 minem quem finxerat: hoc est in solis rationalibus virtu-
 tibus. harum enim exercitationem usumq; deus in exi-
 mias animas confert ceu munus honorariū. ideoq; aper-
 te dicitur, quod cum qui in nobis est uerum hominē, id
 est mentem, posuit in honestatis hortis arboribusq; sa-
 cratissimis. Qui autem mēte carent, hos nemo possit ex-
 colere, cum non sint ingenio capaci præditi. Non est igi-
 tur dubitandum, cur in arcam illam ingentem diluui-
o præparatam omnes animantium species introducātur;
nulla in paradysum. Nam arca hæc corpus significabat;
quod necessario capit affectionum uitioruq; immanes
pestes & indomitas: paradysus autem solorum uirtutū
est: quæ nihil immansuetum admittunt aut quod ratio-
ne careat. Cautē etiam non hominem ad imaginem ex-
 pressum, sed hominem fictum inductum aut in paradi-
 sum. nam ille ad imaginem deliniatus dei spiritu, nihil
 differt, ut mihi uidetur, ab arbore quæ fructum fert ui-
 tæ immortalitatem. nam utrunq; incorruptibile, portio-
 ne honoratissima in medio sita dignatū est. dicitur enim
 lignum uitæ esse in paradysi medio. at ille alter constans
 ē miscellaneo terrenoq; corpore, naturæ simplicis &
 non

non fictæ expers est: cuius exercitator solus scit habitare atrium & domum domini. Iacob enim simplex habitans domum inducitur, non eius frater uersutus & uarijs figmentis instructus animum. Conueniebat igitur, ut in paradiso, id est uniuerso hoc mundo medius radicaretur intellectus, insitas habens uires trahentes se in contraria, in discernendis eis ambiguus utrum expetenda an fugienda sequatur: ut si meliora capefferet, immortalitate frueretur ac gloria: sin deteriora, in turpē mortem incideret. Tales sunt arbores quas ille solus sapiens radicaui in animabus rationalibus. Moses autem miseratus ē paradiso uirtutum pulsos suo pte arbitrio, potentiam dei clementesq; ac mites eius uirtutes precatur, ut: unde terrenus intellectus Adam exulat, illuc plantetur, ille acute cernens populus. dicit enim, Inductos eos plantabis in montem hæreditatis tuæ, sessionem in cathedram tuam perfecisti domine: sanctuarium domine, quod collocauerunt manus tuæ. dominus regnabit in secula, in æternum & ultra. Clare igitur, si quis alius, didicit, quod deus demissis omnium rerum seminibus ac radicibus, autor fuit ut arbor maxima germinaret mundus hic: qui & nunc uidetur subindicari in modo dicto carmine, dum nominatur mons hæreditatis, quia factoris nulla hæreditas magis est propria quàm opus ipsius. In hoc igitur nos plātari precatur, nō ut irracionales fiamus, & contumaces ingenio, sed ut sequēdo dispensationē illius perfectissimi, & imitādo eius perpetuā constantiam, inoffense uiuamus ac sobrie. nam iuxta naturā uiuere, felicitatis finem esse prisci asseuerant. idem carmen

consonat cum his quæ dudum de mundo dicta sunt, eum
 esse instructissimā dei domum sensibilem, eamq; factam,
 non increatam ut quidam existimant. sanctuarium au-
 tem, quasi splendorem ē sanctis redditum, exemplaris i-
 maginem. Nam quæ sensui pulchra sunt, intellectui pul-
 chrorum imagines sunt. quod autē ait paratum dei ma-
 nibus, opifices mundi potētias eius significat. Et ne quis
 suspicetur eum indigere creatura quacunq;, accinit ne-
 cessario, Dominus regnabit in secula, in æternum & ul-
 tra. Rex autem nullo habet opus, sed sub eius iure sunt
 omnia. Quidam autem aiūt hereditatem dei dici esseq;
 bonum ipsum, cuius usumfructum Moses nunc in uotis
 nuncupet. quasi dicat: quia nos, tanquam pueros recens
 ad discendum admos, introduxisti per sapientiæ de-
 creta & contemplationes, nec sine rudimentis esse pas-
 sus es, planta nos in sublimi sermone cælesti. hæc enim
 est hereditas paratissima, & domus commodissima ha-
 bitationi, quam fecisti sanctuarium. es enim domine fa-
 ctor bonorum sanctorumq;: sicut ē diuerso malorū pro-
 fanorumq; creatura hæc corruptibilis. Regna per infi-
 nita secula in anima supplice, ne momentum quidē eam
 præsidio tuo destituens. Nam tibi continuē seruire, non
 solum libertati præferendum est, sed & regno uel ma-
 ximo. Sed fortasse multis in mentē uenit querere, quam
 rationem habeat illud, In montem hereditatis tuæ. hæ-
 reditatem dare conuenit deo, accipere autem eam, for-
 tasse non fuerit rationi consentaneum, cum omnia iam
 antē sint ipsius possessio. Quid si hoc dicitur de illis qui
 per excellentiam ad eius dominium pertinent? quemad-
 modum

modum reges imperant quidem omnibus subditis, sed maxime domesticis, quorum ad corporis curam & reliquum uictum quotidianis utuntur ministerijs. Iidem quamuis totius regionis possessionum sunt domini, etiam earum quæ priuati iuris sunt, tamen sola habere putantur quæ commiserunt suis procuratoribus, à quibus annuos redditus exigunt. in eos secessus sæpe animi gratia se conserunt, grauiſſimis regni ac reipublicæ curis aliquantisper sepositis, & hi censentur possessionum regiarum nomine. item argentum aurumq; & cætera præciosa quæ reconduntur apud subditos, regum magis sunt, quam eorum à quibus habentur: attamen sunt qui propriè dicantur regij thesauri, in quibus ordinarij tributorum exactores totius regionis prouentus solent reponere. Ne mireris igitur si & omnipotenti rerum omnium præsidis eximia hæreditas esse dicitur sapientum animarum sodalitiū, quod acutiſſimè cernente, inculpabili, recentiq; semper mentis oculo præditum est, nunquam conuiſcente, sed aperto continuè, directeq; intuentè. propterea sic & in maiore cantico dicitur: Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Quando diuidebat altissimus gentes, quando separabat filios Adami, constituit terminos gentium iuxta numerum angelorum dei. Et facta est portio domini populus eius Israel. Ecce iterum portionem & hæreditatem dei dixit eos à quibus germanè colitur & aspicitur. terræ autem filios, quos Adami nominat filios, dispersos dispalatosq; cateruatim, cum non possent rectæ rationis ductum sequi. ita est profectio, societatis coniunctionisq;

Etionisq; causa est uirtus, dissolutionis uerò & separa-
 tionis affectus contrarius. id satis declarat solenne sa-
 crum, quod in diem propitiationis, ut uocant, incidit.
 tunc enim ex præcepto super duos hircos fors mittitur,
 altera domino, altera hirco emissario: scilicet super du-
 as rationes, quorum altera domini sit, creaturæ altera.
 ergo qui summum autorem ueneratur, sibiipsi honoris
 hæreditatem parabit: qui creaturam, exulabit, pulsus è
 regione sacratissima in profana deuiatq; barathra. tanta
 est Mosis cum deo familiaritas, ut hac maxime fretus, ue-
 hementiora & maiora quàm pro aurium nostrarum ca-
 ptu proferre solcat dogmata: qui non modo hæredem fa-
 cit deum, sed quod incredibilius est, hæreditatem. inte-
 gram enim tribum quæ ad illum supplex confugit, non
 agro donauit sicut cæteras undecim: sed ut eximiam ho-
 norauit sacerdotio, cælesti non terrena possessione. Non
 erit, inquit, tribui Leui portio nec hæreditas inter filios
 Israel: quia dominus ipse hæreditas eorum est. ex perso-
 na quoq; dei canitur in eius oraculis in hunc modum,
Ego portio tua & hæreditas. nam perfecte purificata
mens, quæ se abdicauit creaturis omnibus, proculdubio
nihil nouit præter illum ingenitum, ad quem accessit, &
à quo recepta est. Quis enim potest dicere, Ipse mihi so-
lus est deus, nisi qui nullam istarū inferiorum rerum am-
plectitur, quod institutum est Leuiticum. interpretatur
enim hæc vox. Ipse mihi, quod apud alios alia sint in
precio, apud hunc solum ille optimus maximus autor
rerum omnium. Fertur quædam è priscis correptum in-
sano amore sapientiæ quasi mulieris formosissimæ, cum
 sumptuo=

sumptuose pōpæ spectaret apparatus copiosissimum; uersum ad quosdam familiares dixisse: uidete amici, quam multis rebus opus non habeo. & tamen nihil habebat præter amictum necessarium: ne quis putet cum inflatum diuitijs, ut pleriq; solent, arroganter contra deum locutum esse. eadem legislator sapere docet eos qui non cupiunt creatis rebus ditescere, fastidientes quicquid genitum est præ ingeni familiariate, quem solum habent pro diuitiarum felicitatisq; sine perfectissimo. Eant nunc & glorientur qui condiderunt regna imperiaq; maxima: alij quia ciuitatem aut regionem aut gentem unam subiugauerunt: alij quia tractus omnes terræ adusq; eius terminos: Græcas barbarasq; gentes, flumina omnia mariaq;, quàm multa quàm magna sunt, in potestatem suam redegerunt. etiamsi præter ista sublimem illam naturam, quod uel dictu nefas est, quam solum seruituti non obnoxiam opifex condidit, sibi subiecissent: tamen è plebeiorum numero censendi essent, collati cum magnis regibus, quorum hereditas deus est. Quanto enim possessor possessa re habetur potior, & opifex opere suo, tanto magis illi accedunt ad maiestatem regiam. certè quod quidam aiunt bonorum uiro-
rum esse omnia, inter paradoxa refertur ab alijs, intuentibus externam copiam & inopiam, & neminem pecunijs possessionibusq; carentē inter diuites numerantibus. at Moses adeò suspiciendam expetendamq; omni studio ducit sapientiam, ut sortem eius nō solum uniuerso mundo, sed & rerum omnium regi equiparet. Quod dogma non disputatorum est pro uel contra differentium,
sed

sed hominum firma fide constabitorum. quandoquidem nunc quoque sunt quidam pietatis simulatores, qui hæc dictum quam factum procliuiora calumniantur, negantes uel pium uel tutum dicere deum hæreditatem hominis. quibus libenter dicerem: non miror, cum non germano affectu, sed suppositicio adulterinoque ad has res contemplandas ueniat. nihil enim interesse putatis inter possessiones uinetorum, oliuetorum, similiumque, et deum qui sapientum dicitur hæreditas. nec reputatis quod et pictori ars pingendi, et sua cuique artifici ars hæreditas forsue censetur, non ut terrena possessio, sed ut olympicum præmium. nam huiusmodi res quamuis non sint dominij, prosunt tamen habentibus. ergo et eum Qui est, sortem non uulgaribus istis similem intelligite sycophantæ, sed maximum autorem bonorum cultoribus suis utilissimum. Nunc postquam de primo plantatore primaque planta quod dicendum erat diximus, transeamus deinceps ad disciplinas instar huius factas. in quarum mentione primus succurrit sapiens ille Abraham, qui dicitur plantasse agrum ad puteum iuramenti, et inuocasse nomen æterni dei domini. nec indicatur plantarum proprietas, sed tantummodo regionis eius spacium. aiunt autem quibus mos est scrutari talia, quicquid in possessionem dei cecidit, diligenter descriptum, arborem, locum, fructum arboris. Arborem ipsum esse agrum, non germinibus terræ similem, sed in cari deo uiri mente radicatum. locum, ipsum iuramenti puteum: fructum uero nomen domini, pro quo æternus deus sumitur. singulis autem horum sua debetur ratio. ager ceterum cubitorum

in

in longitudinem, totidem in latitudinem, si iuxta quadranguli naturam multiplicetur, decem milium solidorum cubitorum conficiet numerum: qui est crescentium ab unitate maximus & perfectissimus: ut principium numerorum sit unitas, quæ per primam compositionem in decem milia desinat. quapropter nonnulli haud temerè unitatem conferunt cum carceribus, cum meta uerò decem milia: ceteros omnes numeros qui sunt in medio spacio, cum cursu certantibus. incipientes enim ab unitate tanquam à carceribus, in decem milibus finem statuunt. hinc arrepta occasione quidam aiunt per hæc significari, deum esse principium & finem rerum omnium, quæ opinio facit ad pictatem. hoc dogma plantatum in anima, pulcherrimum & cibo aptissimum fructum parit sanctitatem. cui plætæ locus commodissimus est puteus, qui uocatur iuramentum, in quo ferunt aquam non inuentam. Accesserunt, inquit, pueri ad Isaac, nuntiantes ei de puteo quem foderant, & dicentes, Non inuenimus aquam. & uocauit eum iuramentum. hoc quid significet consideremus. Qui rerum naturas scrutantur, & singulas in disquisitionem uocant magna cum diligentia, similes sunt puteos fodientibus. nam & illi fontes latentes inquirunt. utrisq; commune desiderium est potus inueniendi, sed alteris quo corpus, alteris quo recreatur anima. Quemadmodum igitur quidam fossores puteorum quæsitam aquam sæpe non intueniunt: ita qui ulterius progrediuntur in scientijs, & diutius in eis inambulant, non possunt finem attingere. certè admodum doctos aiunt accusare suam magnam ignorantiam. Hoc enim

enim tantum sentiunt, quàm longè absint à ueritate. ex his unus olim usq; ad miraculum sapiens dicere solebat, homines meritò ipsum mirari, qui hoc tantum sciret, scire se nihil. elige si libet quācunq; artem maiorem minoremue, & aliquem in ea laudatissimum: deinde examina præceptis artis respondeant artificis opera: uidebis hæc ab illis nō exiguo, sed magno intervallo abesse, quādoquidem fermè impossibile est in quacunq; absolutum esse, quod hæc fontis in morem undabundæ uarias cōtempationum species ebulliant. ideò iuramentum nominatur aptissimè, quod est fidei signum firmissimum, coniunctum cum dei testimonio. Nam cum iurantes in re dubia testem deum inuocent, nihil licet iurare certius, quàm quòd nullius scientiæ finis inueniatur apud ullum artificem. idem dicere possumus & de alijs nostris potentijs penè omnibus. Sicut enim in dicto puteo negant aquam inueniri, sic nec in oculis quicquam uisum, nec auditum in auribus, nec in naribus odoratum esse contendunt, in summa nullum sensum in ullo instrumento sensitiuo. similiter nec in mente intelligentiam. Alioquin quomodo uisus auditus mens falleretur, si in his essent firmæ uires cōprehensiuæ, & non à deo qui eas indidit confirmarentur? Iam & de loco, in quo arbor ista floret satis locuti, tandem & de fructu eius differamus: qui cuiusmodi sit, ex ipsis uerbis scripturæ patebit. inuocauit enim nomen hoc, Dominus deus æternus: quæ appellationes eius Qui est indicant potentias, dominus eam qua imperat, deus eam qua est beneficus. Quamobrem & sacerdos Moses in toto mundi opificio nomen dei assumit: hoc
enim

enim conueniebat potentia, qui factor suas creaturas
 produxit ornavitq;. Ergo quatenus imperat utrumq;
 potest, tum bene tum male facere, ad retributionem fa-
 ctorum se attemperans. Quatenus autem beneficus est,
 alterum solum uult, uidelicet benefacere. Est autem ma-
 ximum animæ bonum, non dubitare de utrauis regis po-
 tentia, sed constanter metu ab imperij potentia depen-
 dente se exoluere, & spem fouere de propensa benignis-
 simi numinis erga nos uoluntate, fore ut aliquando ea
 uti frui contingat. iam hæc uoces deus æternus, idem uax
 lent ac si dicat, non qui aliquando largitur, aliquando
 non, sed semper & continuè: qui sine intermissione be-
 nefacit, qui dona donis cumulando continuat, cuius gra-
 tiæ inter se coniunctæ ac unitæ, semper in orbem rede-
 unt: qui nullam occasionem benefaciendi sinit præter-
 fluere, cum sit dominus, & ledendi quoq; potestatem
 habeat. Hoc idem & meditator ille Iacob postulauit in
 fine precum sacratissimarum, dicens: Et erit Dominus
 mihi in deum: ac si dicat: iam non herili potestate libera
 erga me utetur, sed benefica propitia & usq; quaq; salu-
 tari potentia, sublato dominationis metu, & anima de-
 uincta beneficijs mutuam gratiam conciliantibus. Quis
 hoc animo concipere ualeat, quod dominus & dux re-
 rum omnium, nihil de natura sua demutans, semper sui
 similis, continuè bonus est, & indefinenter munificus?
 à quo perennis bonarum rerum copia promanat, auto-
 re perfectionis omnium felicium. huic regi fidere, qui non
 imperio suo superbe ad ledendos subditos abutitur, sed
 comiter eis succurrit suis opibus, plurimum confert ad
 securi.

securitatem atq; tranquillitatem animi. atq; ita quod
promissimus iam ferme representauimus, arborem acci-
pi pro deo rerum omnium autore optimo, & eius lo-
cum in nulla creatura perfectum inueniri, interdum ta-
men in eis apparere per autoris summi gratiam. fru-
ctum porro esse dei perpetuam beneficentiam, imbris
more nunquam non depluentem. Sic & uir sapiens imi-
tatus primum maximiq; plantatoris artem, suam agricul-
turam ostentat. Iubet autem sacra scriptura etiam nos
nōdum perfectos, qui adhuc in medijs officijs censetur,
exerceri sic in re rustica. ait enim, Quando ingressi fue-
ritis terram, quam dominus deus dabit uobis, & planta-
ueritis in ea omne lignum pomiferum, auferetis impuri-
tatem eius fructum eius. per triennium erit impurus, nec
edetis ex eo. Quarto autem anno omnis fructus eorum
sanctificabitur, laudabilis domino. Quinto autem anno
edite fructum, uobis proficiet quicquid prouenerit. Ego
sum dominus Deus uester, igitur arbores pomiferas,
prius quā in regionem à deo datam migretur, planta-
re non est possibile, dicente uate, Quando ingressi fueri-
tis terram, & plantaueritis omne lignum pomiferum,
itaq; donec extra eam moramur non possumus tales ar-
bores colere, & merito. donec enim in sapientiæ uiam
mens non progreditur, sed errabunda uagatur, silue-
stres tantummodo curat arbores, quæ uel in totum ste-
riles sunt, uel fructum ferunt ad cibos incommodum. sed
quando ingressa uiam prudētiae, per decreta eius ascen-
dit, & incipit in his omnibus decurrere, tum mites &
mitium fructuum feraces colit pro illis siluestribus, tran-
quillitatem

quillitatem pro perturbationibus, pro ignorantia scientiam, pro malis bona. Quoniam igitur is qui in uirtutem introducitur longè à fine abest, merito postquam plantauit iubetur auferre à planta impuritatem. hoc quid sit simul consideremus. ex officijs quæcunq; sunt media, uidentur mihi eandem rationem habere cum mitibus arboribus. Nam utraq; utilissimos ferunt fructus, altera corporibus, animabus altera. sed in medijs multa adnascuntur noxia, quæ necessario sunt auferenda, ne officiant melioribus. An non dicemus mitem arborem animæ, redditionem depositi? uerùm hæc putatione opus habet, & curiosiore diligentia. Quenam igitur est ista putatio? nimirum hæc: depositum quod accepisti à sobrio, nec ebrio, nec prodigo, nec furcanti reddideris. Nam qui sic sua recipit, ab eorum usu excluditur iniquitate temporis. neq; debitoribus aut seruis reddendum est, quibus foeneratores insidiuntur & domini. Proditio enim est hæc, non redditio. Neq; ideò in paruis fidem serues, ut per occasionem maiora capias. Piscatores quidem cum paruis escis demissis, magnos pisces hamo capiunt, nemo criminatur, quia se aiunt hoc modo macellum annonæ prospicere, & quotidie mensas instruere talibus copijs. At uilis depositi redditione, fas non est inescare quemquam, ut ab eo maius auferas, manibus pauca porrigens, multis uerò magnisq; rebus defraudans eum animo. Ergo si ut ab arbore, ita à deposito quicquid impurum est auferas, damna, insidias, intempestiuitates, & huiusmodi omnia, mite facies quod alioquin ambiturum erat in naturam siluestriam. in amicitia quoq;

Philo. to. 1.

y

planta

planta similes stiones amputandi sunt, ut potiores eius
 partes conferuentur. Sunt autem hi: meretricum præsti-
 giæ, quibus in amatores utitur, & fraudes adulatorum.
 Videmus enim istas quæ faciunt quæstum è flore corpo-
 ris, magnam erga suos amatores præ se ferre beneuolen-
 tiam: quæ tamen non illos amant, sed seipsas, & quoti-
 dianis prædis inhiant. Adulatores quoq; nonnunquam
 ineffabile odium cælantes apud eos, quibus obsequun-
 tur, tamen amare lautas cœnas & gulosum ocium, qua
 cupiditate inducuntur, ut colant eos, qui talia suppedi-
 tant. At illa sinceræ & non fucatæ amicitiae planta, ex-
 cussis & dimissis huiusmodi rebus, fructum feret suis
 cultoribus utilissimum, nempe fidem nullis corrupen-
 dam muneribus. Propositum enim eius est, amico bene-
 uelle propter ipsum. At scorta & adultores suum agunt
 negociũ, dum amatoribus, & quibus adulantur aliquid
 boni cõciliant. Resecandæ sunt igitur hæ præstigiæ simu-
 lationesq; ab amicitiae planta, ut agnatæ pestes noxiæ. iti-
 dem sacrificia fœderaq; stirpes sunt pulcherrimæ, sed
 quibus adnasci solet malum superstitionis, excidendum
 prius quàm coalescat firmitus. Sunt enim qui putant pie-
 tatem in mactandis bubus consistere, qui ex furto, abne-
 gato deposito, creditore fraudato, raptoq; partis præ-
 dis portiones altarib. tribuunt homines uix expiabiles,
 putantes se pœnas peccatorum sic redimere. Hos sic ap-
 pellare libet: non corrumpitur istis, ô uos quicumq; ta-
 dem estis, dei tribunal, sed omnes male sibi conscios, et-
 tiam si quotidie centum boues imolent, auersatur: inson-
 tes uero, etiam si nihil omnino sacrificent, amplectitur.

Gaudet

Gaudet enim deus aris nullo igne calentibus, quas cingit uirtutum chorus, non istis flagrantibus flāma quam profanorum accenderunt profanæ uictimæ, in memoriam reuocantes singulorum errata & ignorantias. Sic enim alicubi Moses dicit, peccati admonere sacrificium. Ergo oportet talia cuncta magnum damnum affrentia refecare ac tollere, sicut oraculū disertē iubet: aufer impuritatem plantæ pomiferæ. At nos ne post disciplinam quidem sumus dociles. Alij uerò suo pte ingenio docti, quicquid bonum est repurgant ab inuolucris noxijs, sicut Iacob ille meditator cognomine. Hic enim uirgas spoliauit tenuissimīs corticibus, quod uirebat detrahēs, ut interraso quod atrum erat, uarietate non tam artificiosa, quā naturali, cognatus color albus cluceret. Quamobrē & in lege de lepra decretū est, eum in quo nondum uarietas colorū extitit, sed alba uutiligine accipite ad pedes occupatur, purum esse: ut iuxta corporis similitudinem, uasfriciem uariā & ambigū mentis incertum affectum omittētes, certæ ueritatis sumamus colorem simplicē. Et arboris quidem purgandæ ratio cum ueritate congruit: de fructu uerò non satis constat. N. nescius, uuas, & in uniuersum fructus agricola purgat nemo. Lex tamen dicit: Fructus eius per triennū erit incircūpurgatus, nō comedetis ex eo. Quasi mos fuerit, cum semper circūpurgari. Dicēdum igitur, hoc quoq; unum esse eorū quæ latentē habent intelligentiā, cū uerba ipsa non quadrent admodum. Anceps enim est hæc oratio. Nam potest uno modo sic intelligi: fructus eius per triennium erit, ut distincta uox à præcedentibus sequatur,

incircumpurgatus, ac mox, non comedetur. Altero sic, fructus eius per triennium erit incircumpurgatus, ac mox per se, non comedetur. Prior ille sensus talis esse potest, ut triennium accipiatur pro tripartito tempore, cuius ea natura est, ut diuidatur in præteritum, præsens, atq; futurum. Proinde eruditio fructum proferet, qui durabit et saluus permanebit per omnes partes temporis, hoc est non corrumpetur in perpetuum. Nam natura boni non corrumpitur. Fructus autem incircumpurgatus non comedetur, quia purgati saniq; ciuiles sermones animam nutriunt, & menti afferunt incrementum: contrarij uerò non nutriunt, sed morbum creant & interitum. Altero modo, sicut in disputationibus dialecticorum hæc uox indemonstratus dicitur dupliciter, uel qui propter difficultatem ægrè demonstratur, uel qui propter euidentiam non habet opus demonstratione: ita incircumpurgatus fructus est uel impurus egens purificatione, uel per se purissimus. talis est eruditionis fructus, per triennium, id est tripartitum tempus, uidelicet per omnia secula purissimus nitidissimusq;, à nulla obscuratus re noxia, non lauacris aspersionebusq; aut in totum alijs ullis purificationibus unquam indigens. Anno autem, inquit, quarto omnis fructus eius sanctificabitur, laudabilis domino. Quaternarium numerum præter alios legis locos maximè in narratione de mundi creatione magnificere uidetur sermo propheticus. Nam preciosam illam lucem sensibilem, quæ & seipsam & cetera manifestissimè indicat, parentesq; huius solem ac lunam, & stellarum chorum sacratissimum, quæ no-

ctem

Item diemq; menses annosq; tum oriendo tum occiden-
do terminant, & numeri naturam demonstrant, in qui-
bus rebus maximum animæ bonum situm est, ait creata
quarto die. Nunc quoq; hunc honorauit eximiè, nō alio
tempore fructum arborum dedicans Deo, quàm anno
quarto à plātatione: id quod rationem habet naturæ mo-
ribusq; ualde consentaneam. Quoniam totius mundi ra-
dices quatuor numerantur, terra, aqua, aer, ignis, & an-
nue temporum uices sunt totidē, hyems, æstas, eorumq;
cōfines uer & autumnus. Antiquissimus etiam quadrā-
gulum est hic numerus, constans rectis angulis, ut li-
quet è figura geometrica. Hi rectæ rationis sunt signifi-
catiui. Recta aut ratio perennis uirtutum fons est. Opor-
tet tamen quadranguli latera esse æqualia. Aequalitas
porrò mater est iustitiæ uirtutum reliquarum ducis ac
principis. Itaq; patet æqualitatis iustitiæ omnisq; uirtu-
tis, præter alia, signum esse hunc numerum. Is uocatur
etiam omnis, quia reliquos usq; denarium & ipsum de-
narium potentia complectitur. de unitate quidem cuius-
uis est perspicuum. Quòd uerò et ceteros deinceps con-
tineat, ex numerorum supputatione faciliè colligitur. Ve-
rum duo tria quatuor si componamus, eximetur omnis
dubitatio. Ex uno enim & quatuor constat quinarium,
ex duobus & quatuor senarium, septenarium è tribus &
quatuor, & triplici compositione ex uno tribus qua-
tuor octonarium, rursus è duobus tribus quatuor noue-
narium. denarius autē ex iam dictis omnibus. nam unum
duo tria quatuor cōficiunt decē. propterea Moses dixit,
quod anno quarto erit omnis fructus eius sanctus. pa-

rem enim integram plenam, sicut & uniuerſa, ut ita loſ
 quar, habet rationem, propter denarium è quaternario
 natum, qui eſt prima meta numerorum compoſitorum
 ex unitatibus. Numerus autè denarius ac quaternarius
 dicitur omnis, ſed denarius actu, quaternarius poten-
 tia. Ceterum eruditionis fructum nō modo ſanctum, ſed
 & laudabilem ait, non immerito, ſiquidem omnis uirtus
 ſancta eſt, gratitudo uerò ſanctiſſima: quam nō legitime
 deo exhibent, quotquot putant eum placari ædificijs, do-
 narijs, ſacrificijs. Nam ne totus quidem mundus ad tem-
 plum in honorem eius ſuffecerit. ſed præſtat eum laudi-
 bus hymniſq; colere, non decantatis uoce ſonora & tin-
 nula, uerū modulatis in animo puro, quem ſolus deus
aſpicit: Fertur certè antiqua fabula, à ſapientibus uiris
ad poſteros per manus tradita, quæ ad noſtras quoq; au-
uidiſſimas diſcendi aures peruenit. Eſt autem talis. olim
cum totum mundum opifex abſolueret, quendam è pro-
phetis rogauit nunquid deſideraret nondum creatum,
ſiue in terra et aqua, ſiue in ſublimi ære, ſiue in cœli ex-
tremo ambitu. Reſpondit ille, eſſe quidè perfectæ & ple-
næ ubiq; omnia, unum tamen ſe requirere, laudatorum
horum ſermonem, qui in rebus omnibus, uel quod mini-
mū obſcuriſſimumq; uidetur, nō tam laudet quàm enar-
ret. Ipſam enim euarrationem operum dei, laudem eſſe
ſufficientiſſimam, nullo egentem auctario, quando ipſa
infucata ueritas ſit pro laude cumulatiſſima. Hoc reſpō-
 ſum patri uniuerſorum placuiſſe fertur, nec multo poſt
 exortum genus canorum & muſicū ex una diuinarum
 potētiarum uirgine memoria, quam Mnemoſynen qui-
 dam

dam uocant detorto nomine. Hæc est priscorum fabula,
ex cuius auctoritate dicimus, nihil esse Deo magis pro-
prium quam benefacere, nihil item creaturæ quam gra-
tias agere, cum præterea nihil rependere ualeat. Nam si
 quid aliud retribuere uoluerit, id inueniet iam ante non
 ad creaturæ offerentis, sed ad ipsius omnium creatoris
 possessionem pertinere. Ergo quia didicimus unum so-
 lum opus nobis competere ad honorem dei faciens, uide
 licet gratiarum actionem, eam semper & ubiq; medite-
 mur, tum uoce tum bonis literis, nec unquam desinamus
 uel orationes laudatorias, uel poemata componere, ut
 & per carnem & sine carmine, utraq; tam prorsus, quam
 uorsus oratione, & mundi opificem & mundum uenere
 mur, illum, ut quidam ait, autorem optimum, hunc crea-
 turam perfectissimam. Cæterum post consecratum anno
 & numero quarto omnem fructum animæ, quinto iam
 nos utemur eo fruemurq;. Ait enim, Anno quinto fru-
 ctum eius edite. Quandoquidem naturæ lege sancitum
 est, ut post creatorem demum ratio creaturæ habeatur
 in rebus omnibus, ut pro magno æstimandum sit, si po-
 tiamur uel secundis partibus. Quin & ideo nobis anni
 quinti fructum assignat, quia numerus quinaris est sen-
 sui proprius, & si uerum fatendum est, sensus alit no-
 strum intellectum, aut per oculos colorum figurarumq;
 qualitates attrahens, aut per aures sonorum propieta-
 tes omnigenas, aut per nares odores, aut sapes per os,
 aut mollicies cedentes, duritiesq; resistentes, & lenita-
 tes, asperitatesq; frigiditates caliditatesq; per toto cor-
 pore sparsam potentiã, quam tactum uulgo nominant.

id ita esse, ut dixi, exemplo manifesto docent Lix filij, scilicet uirtutis, non omnes, sed quartus quintusq; de quarto enim dicit Moses, quod post eum natus mater interquieuit parere. uocatur autem Iudas, qui interpretatur domino confessio. Quintum uero appellat Issachar, qui merces interpretatur. hunc quamprimum anima peperit, mox quod sibi accidit elocuta est. Vocauit, inquit, nomen eius Issachar, quod est merces. ergo Iudas intellectus benedicens deum, & gratiarum actionis hymnos indefinenter meditans, ipse reuera sanctus & laudabilis fructus erat, non è terrenis enatus arboribus, sed è natura bona rationali. Quamobrem natura quæ eum peperit dicitur destitisse parere, quando non habebat quod se uerteret, iam ad perfectionis progressa terminum. Nam inter omnia rectè facta nullus partus est præstantior, quàm hymnus in deum patrem omnium. Quintus autem filius quinti anni, ex quo fructum percipimus, est similis. Nam & agricola mercedem quandam ab arboribus, anno quinto accipit, & animæ partus Issachar est, qui merces uocatur. & merito, quando post gratum Iudam in lucem est editus. grato enim ipsa gratiarum actio; merces est amplissima. Et arborum quidem fructuum prouentus dominorum est. Prudentiæ uero eruditionisq; fructus non est hominis, sed solius, ut ait Moses, omnipotentis. Nam post hæc uerba, fructus eius, subiicit hæc: Ego sum dominus deus uester, euidentissimè docens, solum deum esse fructus ex anima prouenientis dominum. Cum ea sententia & prophætæ cuiusdam concinit oraculum hoc: Ex me fructus tibi inuentus est. Quis sapiens

Sapiens intelliget hæc? quis intelligēs cognoscet ea? non cuiusvis enim, sed solius sapientis est, nosse mentis fructus cuius sit. Hactenus de antiquissima & sacrosancta agricultura, qua summus autor in plantanda hac fructissima planta, scilicet mundo usus est, & consequenter de ea quam bonus uir exercet, & de quadruplicib. premijs, legibusq; ac præceptis eodem tendentibus, pro uirili diximus. Nunc huius iusti Noe uinitoriam artem, quæ est agriculturæ species, consideremus. Dicitur enim, quod coepit Noe homo agricola esse, & plantauit uineam, & bibit de uino eius, & inebriatus est.] Ergo ebrietatis plantæ arte scientiaq; iustus hic excolit, quam insipientes sine arte ac modo tractant temerè. itaq; necesse habemus de ebrietate quæ dicēda sunt, dicere. mox enim cognoscemus & uin plantæ, unde illa nascitur. Verum ea quæ de ebrietate narrat legislator, aliàs inspiciamus accuratius: nunc exquiramus & aliorum sentētiās. Fuerunt autem multi philosophi, qui rem hanc considerarunt non mediocriter. Queritur enim, utrum sapiens inebriabitur. Est igitur duplex ebrietas, altera uino mædere significat, altera uino delirare. Qui autē hanc quæstionem tractant, alij negant uel nimio mero usurum sapientem, uel deliraturum ob pocula. Alterum enim horum esse peccatum, alterum peccati causam, utrunq; alienum à boni uiri officio. Alij concedunt bono uiro indulgere poculis, sed delirare præ potu non item. Prudentiam enim eius sufficere ad resistendū si quid nociturum uideatur, ne quid secus q̃ oportet accidat animæ: quando quidem prudentia tantam uim habet ad affectus ex-

tinguendos, siue feruenti amoris æstro inflāmatos, siue multo uino calentes, ut bis euadat superior. quia & in profundo flumine aut alto mari urinantes, pars percūt imperiti natādi, pars huius negocij gnari sine mora enātant. Sic & nimium merū torrentis modo inundans animam, nunc oppressam usq; inū ignorantie fundum demergit: nunc à salutarī eruditione subleuatam nō potest illo modo ledere. horum alteri non satis, opinor, animaduertentes cum quāto malo suum sapientem componant, è sublimi cum tanquam aucupes in terram detrahunt, ut in calamitates quibus ipsi laborant inducant. alteri diuersam temperantie uirtutem intuentes fateri cōgūtur, quod qui haurit uinum immoderatus, impos sui factus aberrabit facīlè, nec manus solum sicut athlete uicti demittet, sed ceruice quoq; ac capite deficiente, genuq; labante, & pessum cuncte toto corpore precipiet. de hac re præmonitus non temerè in bibacitatis certamen ultra descēdet, nisi propter magnam utilitatem aliquam, puta salutem patrie, aut honorem parentum, aut liberorum uel alioq; coniuictissimorum securitatem, aut in uniuersum ob priuatū aliquod publicūue negocium. nunquā enim sustinebit intra se recipere uenenum mortiferum, nisi admodum iniquo tempore, per quod è uita profligetur tanquam ex patria. nam hoc uenenum, si nō mortem, certè creat insaniam: & quid uetat etiam insaniam inortē dicere, cuius accessu præcipua nostri pars mens interit? quantum equidem intelligo, separatio corporis ab anima ut leuior, præ grauiore malo alienatione mentis, si qua detur optio, eligenda est procul dubio.

Qua-

: Quapropter prisca Græci artem uini parandi *μαινομένην* uocarunt, & occupatas hac bacchas mænadas: quādoquidem insanie desipientiæq; causa est uinum immoderatè ingurgitantibus. & hæc quidem huius considerationis sunt tanquam proœmia: pergamus nunc ad reliquam, bisariam, ut uidetur, diuisam, alteris sapientem admissurum ebrietatem asseuerantibus, alteris ediuerso id constanter pernegantibus. prior opinio his argumentis niti uidetur. ante omnia quasdā res homonymas esse, quasdam synonymas. homonymiam autem & synonymiam constat esse inter se contrarias. quia homonymia dicitur de multis subiectis cōmune nomen habentibus: synonymia uero de uno subiecto. canis uocabulum omnino est homonymum, cōplectens multa dissimilia, quæ per id significantur. nam & terrestre latrans animal canis dicitur, & marina bestia, & cæleste sidus, quod autumnale poetæ uocant, quod ineunte autumno exoritur, maturandis perficiendisq; fructibus. præterea cynicæ sectæ antistites Aristippus & Diogenes, aliorumq; huius uitæ sectatorum ingens numerus. Rursum alia uocabula sunt diuersa quidem, unam tamen rem significantia, ut sagitta, telum, spiculum. nam id quod arcus neruo ad scopum eiacularur, his omnibus nominibus dicitur. item uel palmula, uel remus, quo ad nauigationem pro uelis utuntur. Quoties enim aut nullis uentis aut aduersis impeditur nauigatio, in transtris confidentes, quorū est hoc officium, & tanquam alas protendentes, ceu uolucrum nauem cogunt iter facere. at illa sublimis uolūtās percurrit magis, quā fulcat maria, & magna celeritate

te in stationes tutas allabatur. itē scipio, uirga, baculus: unius subiecti differentia sunt nomina, quo uerberare, uacillantes gressus confirmare, inniti, alijsq; multis modis uti licet. quæ nequaquam uerbosius dicta sunt, sed ut clarius pernosceretur id de quo quæritur. Merum ut uinum, ita & temetum prisci uocabant, quod nomē apud poetas sepe est obuium, ut hæc quoq; inter synonyma de uno subiecto prædicata censeantur. uinum atq; temetum, & quæ hinc deriuantur, ut uoce non re discrepēt, uini saturitas & temulentia: quæ utraq; nimium usum significant, multis de causis bono uiro fugiendum. Qui si uino madebit, temulentus erit etiam, nec grauius lædetur temulentia, quàm si uino simpliciter expletus sit. hæc est una sententia de sapientis ebrietate. altera autē talis est. nostræ tempestatis homines, paucis exceptis, nihil cum priscis habent simile, sed & uerbis & factis magnam præ se ferunt discrepantiam. Nam & sermonem sanum ualidumq; ad morbum perniciosum reduxerunt, quem exutū uiuida athleticaq; habitudine ferme in nihilum redegerunt, pro solido neruosoq; præter naturam facientes prauis humoribus tumidum inflatumq; inaniter, sed uiribus cassum, ut cum maxime intenditur tum rûpatur facillime. actiones item studio dignas, ipsas quoq; fecerunt è masculis (ut ita loquar) foemineas, & turpes ex honestis, ut per pauci reperiātur uel dictis uel factis antiquorum æmulatores. Quapropter illorum seculo poetæ historiciq; ac reliqui musicæ studiosi florebant, qui non aures deliniebant rythmis oblectabantq;, sed quicquid in mente fractum luxatumq; fuerat excita-

bant,

bant, item quicquid concinnum, adaptabant ad naturæ
uirtutisq; orgia. Nostra uero ætas fert coquos & cupe
diarios, imctores & unguentarios, magna curiositate
semper nouum aliquem colorem, nouam ue formã, aut
odorem aut saporem comminiscentes in gratiam sen-
suum, ut imperatorem suum oppugnēt intellectum. Sed
quorsum ista commemoro? ut ostendam etiam merum
non in eodem nunc quo olim usu esse. Nunc enim usque
ad animi corporisq; languorem potant absq; respiratio
ne bibentes, & ultro pincernas urgentes, indignātesq;
illis cessantibus, dum caldam, quam uocant, frigefaciūt:
& deliramentum illud Homericum, scilicet bibendi cer
tamen conuiuiis suis repræsentant, in quo egregie confli
ctantur, auriculas, nares, manuum extremos digitos, &
alias quasq; partes corporis sibi prærodentes inui
cem. hæc sunt, ut uidemus, huius nouæ, quæ nunc intro
ducta uiget, hilaritatis præmia: prisca autē illius & an
tiquæ cōtraria. nam prisca omnis honestæ actionis à sa
cris faciebant initium, ita demum finem optatum sperā
tes: & quamuis rei gerendæ tempus ægre cunctationē
pateretur, tamen ante omnia curabant, ut uotis rite per
actis litaretur, pro lucro moram hanc reputantes. incō
sulta enim celeritas nocet, cunctatio speratam affert uti
litatem. scientes igitur, quod uini usus magna cautela
opus habeat, nec affatim nec semper adhibebant merū,
sed decenter & suo tempore. peractis enim uotis, & sa
crificijs placato numine, post purificationem corporis
& animarum, aquis abluti & imbuti sacrarum legum
cognitione, hilares & læti ad remissiorē uictum se uoca
tebant.

tebant, sæpe ne domum quidem repentes, sed in tēplis ubi sacra fecerant permanentes, ut & sacrificij memores, & locum reueriti, sacrosanctum reuera celebrarēt conuiuiū, nec uerbo nec facto ullo peccantes. ex hoc more natam aūt uocem μεθύειν, quasi μετὰ τὸ θύειν, quia post sacra demum prisca indulgebāt poculis. Talis usus meri cui magis, quàm uiris sapientibus conueniat, quibus nunc quoq; debetur ea, quæ potationē præcedit sacrorum operatio. Nam nemo pene malus reuera sacrificat, etiamsi perenni sacrificio X M bouum imolet quotidie. Nam præcipua uictima mens ipsa nō est integra. læsis uero non est fas aras attingere. hæc est ratio secūda, qua potationem à bono uiro non esse alienā ostenditur. tertia fit per diuersam etymologiam probabilis. sunt enim quidam qui putant huic rei non ideo tantum datum istud nomen quia soleat sequi post sacra, sed ἀπὸ τῆς μεθέσεως, id est à remissione animi. Relaxatur autem insipientium quidem ratio ad peccādum licentius: recte sapientium uero ad fruendum tranquillitate hilaritateq; fit enim uir sapiens uino maceratus seipso suauior. promde ne hoc quidem modo errabimus, si ei potationem concedemus. huc accedit & illud, quod sapientia non est res dura & tetrica, deuincta cogitationibus tristibus, sed perpetua tranquillitate hilaris, plena gaudio lætitiāq;: unde sæpe prorumpit in non insulsos lusus ac dicteria, coniunctos tamen cum grauitate seria: quemadmodum in bene temperata lyra contrarij soni in unam melodiam consonant. certe iuxta sacri Mosis opinionē sapientiæ finis lusus & risus est, non iste quo

puerè

pueri ac infantes delectantur, sed quo homines canī, qui non tam consenuerūt tempore quā bonis consilijs. Nō uides quod illum à nemine alio quā à seipso præceptore scientiam in qua se exerceret edoctum, non risibilem sed ipsum risum esse dicit? is est Isaac, qui risus interpretatur, quem conuenit ludere cum tolerātia, Rebecca hebræis nominata. diuinum autem lusum animo plebeio non est fas uidere, soli regi licet, cum quo diu habitauit, etiamsi non omni æuo, sapientia. is appellatur Abimelech. qui prospiciens per fenestram, per apertum & luciferum mentis oculum, Isaac uidit ludētem cum Rebecca uxore sua. Quod enim aliud negotium sapientem decet, quā ludere, gaudere, hilarescere cum honesta tolerantia. Vnde liquet quod temulentus erit etiam, temulētia conferente ad bonos mores, & afferente coniūctam utilitati relaxationem. uidetur enim merū ea quæ cuiq; à natura indita sunt augere ac intēdere, seu bona seu cōtraria, quod & aliæ res pleræq; faciunt. Nam & pecunia bono uiro autor bonorū est, malo aut, ut quidā ait, malorū. rursum gloria insipientis malitia reddit illustriorē, sicut iusti uirtutē nobiliorē. ita & merū infusum malas affectiones temperat, bonas benigniores ac clemētiore efficit. certe nemo est qui nesciat, quod cū ē duobus contrarijs alterum plerisq; conuenit, etiam alterum necessario conueniet. ut album & nigrum sunt inter se cōtraria: si album bonis malisq; conuenit, & nigrum utique utrisq; ex æquo conueniet, non solis alteris. itidem sobrietas & ebrietas sunt contraria. sunt autem sobrietatis participes, ut maiores docent, boni maliq; itaque utrisq;

utrisq; cōuenit ebrietas. ergo inebriabitur etiam bonus
 uir absq; ullo uirtutis detrimento. quod si tanquam pro
 tribunali non solum artificiosis probationibus, sed etiā
 inartificiosis quas uocant, utendum est, ex quibus una
 est quæ per testes fit, multos laudatos adducemus medi
 corum filios & philosophorum, qui non uerbis modo,
 sed etiā scriptis attestantur huic sententiæ. multos enim
 reliquerunt commentarios intitulatos de ebrietate, in
 quibus tantum de uino disputant, non attingentes deli
 rationem, sed præmittētes quicquid ad debacchatio
 nes insanas pertinet. itaq; horum etiam cōfessione temu
 lentia est potatio largior. haurire autem uinum largius
 non obfuerit sapienti cum tempus est. ergo nihil pecca
 bimus si concedemus ei temulentiam. Quoniam autem
 nemo sine aduersario certans uictor pronūciatur, quod
 si certet, cum umbra pugnare uidebitur, necesse est etiā
 contrariam opinionem defendentium argumenta pro
 ducere, ut iustum fiat iudicium, ne altera pars indefensa
 damnetur. est autem primum & efficacissimum, quod
 nemo secretum recte cōmittit ebrio. ergo uir bonus non
 inebriatur. sed præstiterit fortasse prius quàm alia dein
 cept colligamus, ad singulas obiectiones respondere, ne
 molestissimus prolixitate nimia. Contradicet aliquis iux
 ta hanc rationem nec atra bile unquam laboraturum
 sapientem, nec dormituum, nec morituum deniq; cui
 cunque autem nihil horum accidit, aut anima caret, aut
 numen habet, homo certe non est. & quod de ebrio di
 ctum est, pari modo potest accommodari ad atra bili
 furentē, aut dormientem, aut mortuum. nam nulli horū

secreta

secretum recte committitur, quod penes sapientem recte deponitur. non furit igitur, nec dormit, nec moritur sapiens.

PHILONIS IV

DAEI, DE TEMVLENTIA Liber.



V AE ab alijs philosophis de temulentia dicta sunt, ut potuimus in precedenti libro memorauimus: nunc consideremus quenam sit maximi sapientissimiq; legislatoris super ea re sententia. saepe enim in suis legibus uini & producentis id plantae uitis meminit. eius potum alijs permittit, alijs nequaquam: imò eisdem aliquando concedit, aliquando non. hi sunt qui magnum uotum uouerunt, quibus iam indicitur uini usus, iam interdicitur, sacerdotibus sacra tractantibus. qui autem uino utuntur, innumeri sunt, et in his pleriq; ob uirtutem ab ipso propheta laudati. uerum prius quam de his incipiamus dicere, quædã ad argumentum hoc spectantia diligentius consideranda sunt opinor, ante omnia quòd Moses non unam rem, sed plures per merum significat, delirationem, dementia, stuporem omnium sensuum, auaritatem insatiabilem, non probandam securitatem, & insipientiam quæ cetera Philo.to. i. x huiusmodi

huiusmodi complectitur, tum eam quæ in his omnib. extat nuditatem, in quam ebrium Noe deuolutum narrat. hos autem uini effectus dicit esse. Sed innumeri sunt, qui ne gustato quidem mero sobrios se putantes implicantur similiter, quos uidere licet alios desipere delirareq; alios prorsus captos sensibus, alios nunquam expleri sitientes semper ea quæ non possunt assequi, eo quòd destituantur scientia. alios contrà gaudentes & hilares, alios reuera nudatos. inter hæc omnia delirationis causa est noxia ruditas, non inscitia, sed scientiæ fastidium: stuporis, insidiatrix cæca ignorãtia: insatiabilitatis, molestissima omnium affectionum concupiscentia: sicut lætitiæ causa est usus uirtutis simul ac possessio. at nuditatis non una, ignorantia contrariorum, prauitas morum & rusticitas, ueritas quæ fucatis rebus detrahit tectoria, discernens & separans à uirtute quicquid uitiosum est. hæc enim duo nec uestiri simul possunt, nec exui. sed si quis reiecerit alterutrum, necessario contrarium eius totum exhauriet. sicut enim uoluptatem & molestiam natura inter se contrarias pugnantesq; ut est in uetere fabula, in unum deus coaptans fastigium, utriusq; sensum nobis non eodem sed diuerso tempore indidit, hac lege ut alteri decedenti succederet altera: ad eundem modum ab eadem radice, uidelicet intellectu, duæ stirpes exortæ sunt, uirtus atq; uitium, nunquam nec germinantes nec fructum ferentes eodem tempore. quoties enim arescenti alteri folia defluunt, contraria germinare uirereq; incipit, ut credibile sit utramq; alterius felicitate offensam contrahere se: quam ob causam ualde nature consen-

consentaneam, Iacob exitum, introitum Esau legimus, dicente scriptura: Et factum est quando exiuit Iacob, uenit Esau frater eius. Quantiſper enim inambulat in anima prudentia, exterminatur amicus inſipiciẽtiæ: ſed quã primum illa migrat, alter reuertitur gaudens ob diſceſſum inimicæ inſenſiſſimæ, propter quã exulauerat. Hactenus ſatis præſati, iam ſingula quæ propoſuimus confirmabimus, & à primo auſpicabimur. Ruditatem delirandi peccandiq; cauſam eſſe diximus, ſicut è uulgo innumeros præ mero delirare. nam ruditas peccatorũ animæ, ſi uera ſatenda ſunt, caput eſt, à qua tanquam à fonte promanant actiones omnes huius uitæ, nullum omnino præbentes liquorem ſalubrem ac potabilem, ſed ſaluſinoſum, qui morbum atq; perniciem guſtantibus aſſeruat. Quapropter legiſlator noſter in nullos æque ſemit ac in educatos perperam, uel hoc argumẽto. qui ſunt quos non tam ſtudio quàm natura conſociat, ſiue inter homines, ſiue inter animantes cæteras? nemo etiam inſanus alios quàm parẽtes dixerit. hoc enim natura docet abſq; præceptore, ut nati curæ ſint genitoribus, ipſorum ſaluti diuturnitatiq; proſpicientibus. hos tamen naturales proteſtores in hoſtium traducit ordinem, patriẽ matremq; accuſatores è patronis faciẽs, ut qui ſoli ſeruare debuerant, perdant etiam. Si quis, inquit, habuerit filium contumacem & proteruum, qui non audierit uocem patris ac matris, & coercitus obedire contẽpſerit: apprehendent eum pater & mater eius, ducentq; ad ſenatum ciuitatis illius, & ad portam iudicij: dicẽtq; ad uiros ciuitatis ſuæ: Filius iſte noſter proteruus & con-

tumax est, monita nostra audire contemnit, cōiuijs uacat & compotationibus: & obruet eum lapidibus populus, & auferetis hunc malum de medio uestri. Ergo quatuor crūina hic obijciuntur, contumacia, proteruitas, profusio in conuiuiis, & temulentia, grauiſimū uero ultimum, natum ē primo, uidelicet contumacia, atq; ita per gradus auctum. nam anima cum primum cœpit rectorem cōtemnere, per proteruitatem contentionēq; ad extremum terminum peruenit temulentiam, demētiæ causam & desipientiæ. sed præstat in singula crimina ordine inquirere. Omnium confessione constat bonū esse parere uirtuti, atq; etiam utile: sicut contrā non parere, turpe simul ac inutile. iam si accedat proteruitas, malum fit longe grauiſimum. inobediens enim minus malus est quā contentiosus: quia prior tantum iussa negligit, posterior data opera nititur in contrarium. age inspiciamus rem attentius. Fac legem iubere ut habeatur honor parentibus. qui non honorat, est contumax: qui probro afficit, cōtentiosus. rursum quia seruare patriam iustum est, qui hoc facere grauatur, cōtumax: qui eam prodere conatur, proteruius dicendus est. item qui debitam gratiam rependere iussus tergiuersatur, facit contumaciter. qui autem insuper damnum dat, peruicaciter elatus peccatum admittit immedicabile. præterea qui sacrificia & alia officia pietatis negligit, inobediens est præceptis quæ lex super his rebus præcepit: proteruius autem in contrarium ad impietate declinat, negans esse numen: qualis est ille qui dicit: Quis est cui obedimus? & rursum: Non noui dominum. prioribus uerbis

negat=

negatur esse ullum numen: posteriora aiunt, etiā si quod sit, ignotum tamen esse: quibus uerbis prouidentia tollitur. nam si prouideret rebus, utiq; nosceretur. quod autem de collatione in conuiuiis dicitur, si intelligatur de participatione prudentiæ rei præstantissimæ, est utile ac laudabile: sin de imprudentiæ deterrimæ, inutile ac uituperabile. In rem optimam hæc fiunt symbola, desiderium uirtutis, honestorum æmulatio, meditationes continuæ, exercitia laboriosa, indefessi labores. in contrariam uero hæc, remissio, negligentia, delicia, luxus, lasciuia. Videmus certe istos qui quotidie descendunt in certamen temulentiae, & hoc agunt solum ut uini plurimum in uentrem ingerant, symbola conferre tanquam in aliquid utile, mulctari tamen rebus omnibus, pecunijs, corpore, anima. nam huiusmodi collationibus & rem familiarem minuunt, & corporis uires per delicatū uictum frangunt atq; molliunt, & animas hiberni torrentis in morem immodicis delicijs inundatas demergunt in baratrum. eodem modo qui collationes faciunt ad tollendam eruditionem, præcipuam sui partem intelligentiam ledunt, ressecantes ab ea res salutare, prudentiam, temperantiamq; & fortitudinem atq; iustitiam. Proinde uidetur non temere lex hic uti uocabulo cōposito *συμβολογονῶν*, sed admodum significanter: quia qui cōtra uirtutem suos conatus quasi quædā symbola conferunt, sauciunt, diffecant, concidunt usq; ad extremam perniciem animas audiendi atq; discendi auidas. Abrahā qui dem redire dicitur à concisione Chologomodor & regum cum eo fœderatorum: diuerso Amalec meditato-

ris illius extremum agmen concidere : utrumq; naturæ ordine. infesta sunt enim quæ contraria, & perpetuo sibi inuicem struunt perniciem . cæterum hic symbolorū collator uel ideo maxime culpari meretur, quòd nō contentus iniuste facere, socios quoque sibi asciscit, partim ipse docens alios, partim docentes audiens, ut & natura & institutione peccans, nullam sibi salutis spem reliquam faciat, quantumuis reclamante lege, & uetate ne quis societate inecat causa maleficij. ita est profecto, multifariam serpit ac pascitur in hominum animis malum, bonum autem exile rarumq; in his inuenias . Est autem hic quoq; admonitio perutilis, ne sequaris ea quæ uulgo iusta uidentur, sed potius eos qui quod iustum est faciunt. Reliquum est quartum crimen maximum temulentia, non leuis, sed nimia, nam uino madere idem significat hic quod hausto ueneno demerentiam creante, scilicet ruditate, tumescere, accendi, ardereq; , nec posse restringere, sed conflagrare, populante totam animā incendio. ideo merito sequitur ultio, purgans mentem ab omnibus improbis moribus. dicitur enim : Tolles illum malum, non è ciuitate, aut regione, aut gente, sed ex uobis ipsis . nam in nobis ipsis insunt & quasi foueas sibi fecerūt cogitationes culpabiles ac reprehendendæ, quas necesse est excidere quando curam respuunt. Hunc igitur contumacem, proteruum, sermones uerisimiles ceu symbola conferentem in perniciem honestatis, mero ardentem & debacchantem in uirtutes, & seipsum quoq; ledentem enormiter per temulentiam, æquum erat habere parentes accusatores pro aduocatis; quorum est
offi-

officium omnem admonitionem castigationemq; adhibere sanabilibus. patris autem matrisq; ut communis appellatio, sic uires distinctæ sunt. proinde rerum opificem patrem quoq; suæ creaturæ iuste possumus dicere. matrem autem, scientiam ipsius, cum qua congressus deus, non humano more, profeminauit creaturam. illa uerò dei semine concepto, enixa est iusto partu unicum illum dilectum sensibilem filium mundum hunc. Quapropter à quodā diuino uiro inducitur sapientia de se ipsa loquens in hunc modum: Deus creauit me primam operum suorū, et ante secula fundauit me. Neesse enim erat ut mater nutrixq; omnium rerum creaturas omnes ætate antecederet. horum igitur parētum accusationem quis ferre possit? imò ne mediocrem quidem comminationem, aut leuissimam incusatiunculam. nam ne donorum quidem largitatis quisquam capax est, ac fortasse ne mundus hic quidem, sed quasi parua lacuna influente magno gratiarum dei fonte celerrime repleta superaffluit. & qui beneficia non possumus excipere, ultrices uires ferre poterimus? Verum hi rerum uniuersarū parentes à præsentī sermone semouendi sunt. satius est ut consideremus discipulos eorum familiaresq;, qui curam & præfecturam animarū sortiti sunt, duntaxat nō auersarū à musis & dociliū. patrem igitur dicimus illum masculum perfectum rectumq; sermonem. matrem uerò disciplinam illam encyclicā, æqualem choreæ more ac rotundam, quibus tanquā parentib. obedire bonū est atq; cōmodum. eius patris præceptū est, sequi ac imitari naturam, nudā apertamq; ueritatem consecrādo. eruditio

z 4 uerò

uerò mater præcipit, institutis iustis parere, quæ per singulas ciuitates, gentes, regiones, statuerunt qui primi ueritatem tenuerunt, non tam re quam opinione hominum. hi parentes habent ordines quatuor filiorum. Vnus utriq; obsequitur, unus neutri, primo contrarius. ex reliquis uterq; imperfectus, alter patrem uehementer amat auditq; matrem & huius monita negligit: alter contra matris ut uidetur amantior, huic ministrat omnia, de rebus patris minimè sollicitus. primus omnium iudicio palmam auferet, contrarius repulsam patietur & perniciem. è reliquis alter secunda, alter uerò tertia sibi uindictabit præmia: secunda qui patri obsequitur, qui matri, tertia. amatoris autem suæ matris, qui uulgaribus opinionibus ducitur, & per multimoda uitæ studia in omnigenas formas mutatur in morem Aegyptij Protei, qui quòd ingenio esset uersatili, nullam ueram certamq; habebat speciem, figura manifestissima Iothor est, effigies tumiditatis, ciuitatem ac rempublicam conuenarum miscellancorumq; hominum uanis opinionibus elatorum euidenter exprimens. Cum enim ille sapiens Moses uniuersum populum animæ ad pietatem atq; cultum dei reuocaret, et mandata huius legesq; sacratissimas promulgaret, dicens: si eis inciderit controuersia, & uenerint ad me, dijudicabo singulorum causas, & componam iuxta leges ac præcepta dei: accedens iste Iothor opinione sua sapiens, diuinis bonis non initiatus, sed assuetus humanis ac corruptibilibus, concionatur, & leges scribit contrarias legibus naturalibus, opinionem respiciens, cum ille ad res ueras referantur. attamen propheta &

huius

huius errorem miseratus, ad monendum ampliusq; docendum putat hominem, ut relictis inanibus opinionibus, constanter sequatur ueritatem. Nos, inquit, exempto & exciso è mente inani fastu migramus in regionem scientiæ, quæ nobis certo debetur ex fide diuini oraculi. proficiscere nobiscum, & bene tibi faciemus. reijcies enim damnosam opinionem, pro qua lucraberis ueritatem, qua nihil utilius. Verum iste hoc quoq; carmine nihil proficiente contra obstinationem, haud quaquam sequetur scientiam, propere ad suum inanem fastum reuocans. narratur enim respondisse inuitanti: Non proficiscar, malo in terram meam & gentem reuerti: hoc est, ad cognatam incredulitatem imbutam falsis opinionibus. Quoniam ueram fidem, amicam uiris fortib. non didicit. cum enim ad ostentationē pietatis dicit, Nunc cognoui magnum esse dominum præ dijs omnibus, suam ipse impietatem accusat apud peritos iudices. dicturi sunt enim: itane homo impie nunc demum cognouisti, quam prius nesciueras omnipotentis magnitudinem? inuenisti quicquam quod antiquius sit quam deus? possuntne posterī maiorum suorum uirtutem nescire? huius autem rerum uniuersitatis nōne princeps est conditor eius et pater? itaq; si nunc demum ais à te cognitum, ne nunc quidem nosti, quia nō ab initio creationis. nec minus in simulatione deprehenderis, dum cōfers quæ non admittunt collationem, dicens te cognouisse maiestatem eius Qui est, superiore dijs omnibus. nam si uerè nosset eum Qui est, non crederes ullum alium esse deum nullius potestati obnoxium. Sicut enim sol exortu suo stellas ab-

τ 5 fcondit

fcondit, tanto suo splendore perfusis nostris oculis: ita
 quoties animæ oculi sincero, puro, fulgidissimoq; lucife-
 ri dei sensibili splendore irradiantur, nihil aliud possunt
 inspicere. affulgēs enim eius Qui est cognitio nihil non
 illustrat, ut etiam quæ sunt per se splendidissima, colla-
 tione hac obscurētur. proinde cum falso nominatis dijs
 nunquam certum uerumq; comparare sustinuisset, si
 eum uerè cognouisset: sed quia unum ignorabat, secu-
 tum est ut multos quamuis reuera non sint, esse crede-
 ret. in qua sententia nemo non est, qui rebus animæ de-
 relictis, miratur ista corporea coloribus figurisq; ua-
 riata, ut sensus seduci faciles decipiant. Talis homo à le-
 gislatore Laban uocatur, qui ueræ naturæ leges nō cer-
 niens, subscribit falsis humanis legibus, dicens, Non est is
 mos in regione nostra, ut iunior puella prius elocetur
 quàm grandior. nam iste putat seruandum ordinem tem-
 poris, equum censens antiquiora prius, recentiora po-
 sterius in usum adduci. at ille meditator sapientiæ, quip-
 pe gnarus naturarum nullo subiectarum tempori, & re-
 centiora prius, & antiquiora posterius appetit. cui mo-
 ralis etiam ratio consonat. nam meditatores opus habēt
 primum in iuuenilibus uersari studijs, ut mox perfectio-
 ribus frui possint firmitus. & ideò nunc quoq; honestatis
 amatores non prius ad grandiores philosophiæ fores se
 conferunt, quàm penetratis recentioribus, grammati-
 ca, geometriaq; & encyclopædiæ tota musica. nam ar-
 tes hæ sequestræ sunt sapientiam sincere ambientib. &
 ex animo. Verum alter ille agit callidè, uolēs nobis natu-
 ratiorem obtrudere: non ut eam habeamus propriā, sed
 ut

ut iunioris illecebris inescati denuo, remittamus prioris desiderium: quod plerisque; usuuenit, ad eruditionem per deuia tendentibus, qui ab incunabulis (ut uulgu loquitur) admoti ad perfectissimū philosophiæ studium, indignum rati nō degustasse artes liberales, uix tandem ad eas applicuerunt animum. deinde à grandiore antiquioreq; consideratione ad minorē iunioremq; delapsi, apud eam consenuerūt, ut nunquā potuerint ad pristina recurrere. & hoc est opinor quod dicit, Absolue septennium huius: ac si dicat: ne sinas imperfectum bonum animæ: sed cura ut finem assequatur ac terminum, & adipi scaris posteriorem quoq; bonorum ordinē, pulchritudinem corporis, & id genus cætera. Ille uerò absoluturum quidem se non pollicetur, expleturū tamen, hoc est, nunquam omisurum quicq; quod ad incrementum complementūq; eius faciat, imō superaturū difficultates omnes, etiamsi se innumera impedimenta in diuersum trahētia obijciant. Videtur autē satis manifeste docere scriptura, quod consuetudines mulieribus magis quā uiris curæ sint, per uerba Rachel mirantis sola sensibilia. Sic enim patrem suū alloquitur: Ne moleste feras domine, nō possum tibi assurgere, quia iuxta consuetudinē mulierum mihi est. Ergo mulierū est sequi uulgares cōsuetudines. certum est enim, consuetudinē pertinere ad infirmiores effæmatioresq; animas: quādoquidē uirilīs, robustæ, ueræq; mascule ratiōis officiū est, naturā ducē sequi. Miror aut ueracitatem animæ, quæ in colloquior fatetur se non posse istis in speciē bonis assurgere, tamē ueneratur singula, tantū nō ea sibi ipsi præstrens. quis enim nostrū resistit

resistit diuitijs? quis reluctatur gloriæ? nemo omnium. sed quamdiu his caremus, magnificè loquimur, ut frugalitatis amici, quæ modico contentis, æquis, liberalibusq; ingenijs competentem uitam conciliet. quòd si alicuius iam dictorum spes, aut saltem spei leuis aura aspiraue-
rit, uanitatis coarguimur. statim enim cedimus non ualentes resistere: & proditi ab amicis sensibus, destituimur omnibus auxilijs animæ, iamq; non dissimulanter, sed apertè in aduersariorum castra perfugimus. & merito. adhuc enim laboramus muliebribus consuetudinibus, quas nondum potuimus eluere, & ad uiriles focos transcurrere, sicut narratur de mente amantissima uirtutum, Sarra nominata. huic enim omnia muliebria desisse discimus ex oraculo, cum esset paritura progeniè, sine magistro docilem, appellatā Isaac. fertur etiam non habuisse matrem, marito cognata paterno tantum, non item materno genere. sic enim is de ea dicit: Reuera soror mea est, ex patre non ex matre. Videlicet non ex materia sensibili, quæ iam consistit, iam dissoluitur, quæ mater, nutrix, altrixq; creaturam dicitur apud priscos cultores stirpis sapientiæ: sed ex omnium rerum autore patreq; hæc igitur mulier extra totum corporalè mundum promicans, & exhilarata diuinitus, pro risu habet humana fœdera, siue ad belli, siue ad pacis res pertinentia. nos autem à parum uirili effœminatq; consuetudine cum sensibus, affectionibus, rebusq; sensibilibus deuicti, contra nihil eorū quæ apparent, insurgere possumus: uerum ab omnibus his quæ occurrunt, uel inuiti uel sponte trahimur. quòd si noster exercitus nō ualens
patris

patris mandata obire succubuerit, nihilominus subleuabitur auxilio matris, scilicet eruditionis mediæ, quæ iura legesq; in alijs alias ciuitatibus instituit. sunt item quidam qui maternis rebus contemptis, paternas amplectantur totis uiribus, quos maximo honore sacerdotij dignatur recta ratio. horum acta si recenseamus, per quæ adepti sunt hoc præmium, cauilladi fortasse occasionem præbebimus imperitis, qui decepti obuijs rerum imaginibus, latentes in obscuro uires earum non considerant. nam qui uota, sacra, & omnes templi ceremonias tractant, sunt quod uix credas, homicidæ, fratricidæ, familiarissimorum & amicissimorum interfectores, qui debuerant esse puri ex puris electi, nullo ne inscients qui dem patri ato contacti scelere. sic enim dicit scriptura. interficiat unusquisq; fratrem suum, & unusquisq; uicinum suum, & unusquisq; proximum suum. & fecerunt filij Leui, sicut locutus est Moses. & ceciderunt e populo in illa die circiter tria uirorum milia. Tantæ multitudinis interemptores laudat dicens: Consecrasti hodie manus uestras domino, unusquisq; in filio suo & in fratre suo, ut detur uobis benedictio. quid igitur dicendū, nisi comuni quidem iure hos reos fieri, accusante matre publica consuetudine: naturali uerò iure absolui, patrocinate patre sermone recto & rationabili. nec enim, ut quidam opinantur, uiros interficiunt sacerdotes; animalia ratione prædita, quæ constant ex animo & corpore: sed quicquid est carni amicū à sua mente refecant: quod existiment decorum esse sapientis legis cultoribus, alienare se ab omnib. rebus genitis, & habere illas pro hostibus.

proinde

proinde fratrem non hominē, sed corpus animæ germanum occidemus: hoc est à diuina parte studiosa uirtutis mortalem & affectib. obnoxia separabimus. occidemus item propinquū, nō hominem, sed sodalitiū. hoc enim animæ & inimicum est & familiare, alliciens eam in laqueos, ut affluxu rerum sensibilibus mundata & obruta nequeat ad cælū caput attollere, salutareq; naturas illas diuinas atq; pulcherrimas. interficiemus & proximū. proximus autē menti est sermo qui profertur, probabilibus rationib. intermiscēs falsas opiniones ad perniciem ueritatis rei preciosissimæ. cur enim nō plecteremur hūc quoq; sophistam sceleratum, & quidem supplicio conuenientissimo, nempe silentio (nam sermonis mors est silentiū) ne posthac intellectus distrahatur eius argutis: possitq; omnino alienatus à uoluptatib. germani corporis, & propinquorū uicinorumq; sensuum præstigijs, solutus & liber dimissus, pure uacare his quæ intellectu percipiuntur. hic est qui dicit patri matriq; mortalib. parentibus: non uidi uos ex quo res diuinas cōtemplatus sum. qui non agnoscit filios, ex quo innotuit sapientiæ. qui agnoscit fratres quotquot non sunt abdicati à deo, sed saluari meruerūt per illius gratiā. hic est qui arrepto siromaste, quasi *μαρτύρας* & scrutatus naturas corruptibiles, quæ in cibo potuq; felicitatē collocāt, & ingressus fornacem (ut Moses inquit) accensam ardētemq; nimis iniquitatibus, nūquam extinguiibilem, uitam humanam uidelicet, potuit mulierem per uulua transfodere, quòd uisa sit esse causa gignēdi, ut quæ re uera patiat magis quàm agat; atq; etiam quemuis hominē substantijs affringentem

gentem affectus dei autoris rerū omnium. atqui hic homicida iudicaretur à multis qui libenter fauēt mulierculis. sed deus pater omnipotens dignatur eum laudib. maximis, & nunquā auferendis præmijs. ea fuerunt ingentia, & quidem germanitate quadam coniuncta, pax & sacerdotium. erat enim egregium facinus, profligatis hominum uulgi more uiuētium penè inuictis copijs, & cupiditatib. in animo ciuile bellum excitātibus, pacem constabilire: & ob hoc meritum non diuitias, non gloriam, non honorem, nō principatum, non formā, non robur, non ulla dotem corporis, non terram, non cælum, non mundum uniuersum, sed antiquissimi numinis uerū cultum honore summo dignum, & mirificum ordinem sacerdotij modis omnib. expetendum accipere. germana autē esse hæc præmia dixi non temerè, sed quia scio non posse uerum sacerdotem fieri qui adhuc humanam & mortalem militet militiā, in qua uana opinionones ducunt ordines: sed requiri ad hoc uirum pacatum, à bello tam alienum, ut etiam sit pacificus, perpetuèq; pacem colat sincere ac simpliciter. tales sunt qui patrem & eius mandata magnificiunt, materna uerò matremq; ipsam negligunt. Insensus autem utriq; parenti, sic loquens inducitur: Nescio dominum istum, nec Israellem emitto. Hic uidetur aduersari tum contententibus recta ratione ad deum, tum indolem eruditione constabiliētib. cōfundereq; cuncta modis omnibus. & sunt hodieq; (non dum enim humanum genus à mera malicia repurgatum est) qui nec pietati erga deum, nec societati naturali hominum quicquam tribuunt, utriq; impietatem præferētes,

nec

nec deo grati, nec fidi sui similibus: atq; ita oberrant per ciuitates pestes earum maximæ, præ curiositate miscen- tes se tam publicis quàm priuatis negocijs, uel potius si uera dicenda sunt, subuertentes utraq;: quos oportebat tâquam diros uotis placato numine auertere: sunt enim perniciēs omnium in quos incidunt. quapropter & Mo- ses decantat eorum exitium, deletorum prius quàm ipsi sibi possent succurrere, & proprijs opinionibus absor- ptorum tanquam fluctibus. Dicamus igitur deinceps de his contrarijs genere hominum, eruditionem rectamq; rationem colentium. ad quos collati dimidiati erant qui alterius tantum parentis uirtutes emulabantur. hi sunt & legum, quæ pater rectus et rationalis sermo tulit; cu- stodes optimi, & morum fideles dispensatores, quos in- stituit eorum genitrix eruditio. ab illo patre didicerunt honorare patrem uniuerforum: à matre uerò, non con- temnere iura publice recepta consensu ciuium. Quando igitur meditator ille Iacob exantlans uirtutis certami- na, permutaturus erat aures pro oculis, uerba pro ope- ribus, profectum pro perfectione, benignissimo deo uo- lente illustrare mentis eius oculos, ut iam manifestè cer- neret quæ prius auditu perceperat (oculis enim tutius creditur quàm auribus) insonuit ei hoc oraculum: Non nominaberis posthac Iacob, sed Israel erit nomen tuum; quia cum deo ualidus fuisti, & cum hominibus. Est igitur Iacob discentis & proficientis nomen, pendentis ex auditus uiribus: perfecti uerò Israel. nam uisionem dei nomē id significat. & quæ uirtus potest esse perfectior, quàm eum Qui est uidere? ergo qui summum illud bonum

hum uidit, laudatur à paterno maternoq; genere, fortis in deo, robustus apud dominum & homines, quoniam per hæc duo simul integram illius boni possessionem adipiscimur. edoctus enim custodire leges patris, & iura matris non contemnere, audebis ingenuè profiteri te obediens patri filium, & placentem in conspectu genitricis. Annon satis est custodire iura probata genitis hominibus, societatis gratia: simulq; diuinas sanctiones, ob pietatis amorem? Quapropter fatidicus Moses per apparatus sacrorum, utriusq; rei perfectionem designat. non temerè enim nobis arcam intus & extra lamine aureis induit, non temerè summo sacerdoti duas stolas attribuit, & duas aras ponit, exteriorè ad uictimas, ad suffitus interiorè: sed uolens nos per hæc signa docere uirtutes utriusq; speciei. debet enim uir sapiens & intus in anima inuisibili, & in externis actionibus ornatus esse prudètia omni auro pretiosiore: quoties autem ab humanis studijs secedens eum Qui est solum adorat, unicolore ueritatis stolam induere, quam nihil mortale attigit. est enim linea: quæ materia non enascitur è mortalibus: rursus quoties transit ad curam reip. deposita interiore alteram pictam & aspectu mirandam sumere. cum enim magna sit in uita uarietas, opus est uaria sapientia clauum tenentis gubernatoris. hic in ara seu uita conspicua tergoris carnis cruoris & huiusmodi corporeorum uidebitur magnam curam gerere, ne uulgarem multitudinem offendat, quæ bona corporis facit animi bonis proxima. in interiore uerò omnibus rebus inuicibilis, incorporeis, non carneis, nec.

Philo. to. i.

A

nisi

nisi rationalibus utetur, quæ per thus suffumentaq; signifi-
 ficatur. nam ut hæc narres, sic illa totam animam explent
 sua fragrantia. Sciendum tamen quod sapientia cum sit
 ars artium, uidetur quidem uariari diuersis materijs, ta-
 men ueram suam speciem immutabilem ostendit acuto uisu
 præditis, & his qui non circumfusa ei rerum mole distra-
 huntur, sed ab arte ipsa impressum ei characterem per-
 spiciunt. Ferunt Phidiam illum statuarium ex ære, ebo-
 re, auro, alijsq; diuersis materijs confecisse statuas, in qui-
 bus omnib. una eademq; ars emineat: ut non solum eru-
 diti spectatores, uerum etiam ualde imperiti opificem
 agnoscant ex ipsis operibus. quemadmodum enim in ge-
 mellis natura eodem sæpe usa characterē penè indiscre-
 tas similitudines exprimit: pari modo etiā perfecta ars,
 cum sit naturæ imago & effigies, quando assumit diuer-
 sas materias, format & imprimit eandem cunctis ideam,
 ut hac maximè ratione fiant cognata germanaq; ac ge-
 mella eius opera. idem igitur efficiet ea quæ inest sapien-
 ti potentia. tractans enim de eo Qui est, pietas nomina-
 tur & sanctitas: cum autem de cælo differit rebusq; cæ-
 lestibus, physiologia: meteorologia uerò, cum de aere ua-
 rietatibusq; huius & mutationibus, siue per integras ui-
 ces anni quadripartiti quas horas nominant, siue per
 singulos mensium dierumq; circuitus contingentibus.
 ethica uerò cum de corrigendis moribus hominum: cuius
 species sunt, politica ad reip. curam, & æconomica
 ad rei familiaris pertinens: atq; etiam sympotica, tra-
 ctans epulas ac conuiuia. rursum alia facultas est regia,
 regendis apta hominibus: alia legislatoria, quæ uetat
 aut

aut præcipit. omnium enim horum sapiens, uerè πολὺς
 φημος, id est multinominis, capax est, pietatis, sancti-
 tatis, physiologiæ, meteorologiæ, moralis, ciuilis, domæ-
 sticæ, regiæ, legislatoriæq; scientiæ, & innumerarum a-
 liarum facultatum, in quibus omnibus unam eandemq;
 speciem habere uidebitur. in hac autem de quatuor pro-
 gnatorum ordinibus mētionē illud præterire non libet,
 quod confirmat hanc diuisionem partitionemq; capi-
 tum. nam fastuosum hunc & per stultitiam inflatum fi-
 lium parentes hoc modo accusant, dicendo: hic noster,
 digito indicantes inobedientem contumacemq;. ubi de-
 monstratiuè dicendo hic, declarant se & alios genuisse,
 hoc est indoles generosas aut alteri parenti obsequētes
 aut utriq;, quorum exemplum est Rubim. alios audien-
 di discendiq; cupidos, quorum est Simeon. nam hic audē-
 tius interpretatur. item alios dei supplices, quale est Le-
 uitarum sodalitiū. item nōnullos canentes sonora non
 tam uocē quā mente hymnum gratijs agendis compo-
 situm, quorum præcētor Iudas, propter uirtutem quæ-
 sitam labore uoluntario. quosdam item mercedibus di-
 gnatos & muneribus, ut Issachar. alios contemplato-
 res, cælestis numinis post derelictas sublimes considera-
 tiones Chaldaicas, ut Abraham. alios à seipsis uirtutem
 doctos, ut Isaac. item cōsilio uiribusq; pollentes amicos
 dei, ut Mosē illum perfectissimum. Merito igitur istum
 contumacē, proteruū, symbola confrentē, id est peccā-
 ta peccatis annectentem, magna minoribus, recentia ue-
 teribus, uoluntaria nō uoluntarijs, & tanquam uino cæ-
 lentem, per totam uitam ebriū debacchātemq;, ut quē

stultitiæ merum magnumq; hauferit calicem, lapidari sã
 cra lex iubet: quia & recti sermonis mandata patris sui,
 & disciplinæ matris suæ legitimis admonitiones sustu-
 lit: cumq; haberet fratres probos exemplum honestatis
 domesticum, ne horum quidem uirtutem imitatus est, e-
 tiam præuaticari ausus, ut corpus deum sibi fingeret, et
 Typhum Aegyptio more cõleret, cuius signum erat iu-
 uencus aureus: circa quem choreas ducendo insani, car-
 men concinunt, non suaue, quale in comessationibus,
 epulis, festisq; compotationibus, sed reuera lugubre fu-
 nestumq; tanquam temulenti, multoq; Lyeo laxati ner-
 uos animæ. Narratur enim quòd Iesus audito tumultu
 populi dixit ad Mosem: Clamor pugnantium auditur in
 castris. qui respondit: clamor iste, quantum ego audio,
 non ad pugnam aut fugam hortator est, sed ad pocula.
 moxq; propinquior castris, uidet uitulum & choreas.
 Quid autem hoc ænigma significet, docebimus ut pote-
 rimus. Res nostræ nunc tranquillæ sunt & quietæ, nũc
 perstrepunt importunis tumultibus. cum silent, habent
 pacem: diuerso bellum implacabile, cum tumultuatur.
 testis est qui hoc expertus didicit, tanto magis idoneus,
 audito enim strepitu populi, sic sollicitum eius curato-
 rem ac præsidem alloquitur: clamor pugnantium audi-
 tur in castris. nam prius quàm in nobis excitarentur ad
 clamorẽ irracionales impetus, mens erat stabiliior. post-
 quam autem animæ regio strepere cœpit dissonis uoci-
 bus, affectiones his excitatæ seditionem intestinã com-
 mouent. ceterum castra ad bellum nata uidentur. ubi
 enim aliàs rixæ sunt & pugnae contentionesq;, & cæ-
 tera

terra pertinacis belli facinora, nisi in hac uita quā in corpore agimus, quod allegoricè castra nominat. hæc castra solet intellectus relinquere, quando numine correptus ad eum Qui est accedit cōtemplaturus ideas incorporeas. Tollens, inquit, Moses suum tabernaculum, tendit extra castra, nō propè, sed procul. qua figura subindicatur, sapientē migrasse à bello ad pacem, & à mortali cōfusoq; exercitu ad pacatā rationalium feliciūq; animarum uitam diuinam. dicit autem & aliubi: cum exiiero ciuitatem, expādam manus meas ad dominum, & cessabunt clamores. caue autem putes hæc loquētem hominem esse ex anima corporeq; contextum, siue complexum, siue contēperatum, aut quomodocunq; tandem nominandum est hoc compositum animal, sed mentem sincerissimam purissimamq;: quæ tantisper dum in ciuitate corporis mortalisq; uitæ continetur se contrahit, & tanquam carcere inclusa, fatetur se nō posse haurire liberiores aërem. quod si contingat eam ex hac ciuitate exire, quemadmodum qui manicis pedicisq; ferreis soluentur, sic solutos habens conceptus animi cogitationesq;, liberis dimissisq; utetur etiam actionibus, ut mox affectuum incitamenta cohibeantur. Annon uoluptatis intensi clamores sunt: per quos quicquid libet impetrat? annon & concupiscentiæ ferrea uox, minaciter flagitantis ministeria cessantium? annon & aliorum affectuum multifonus est & clamorosus strepitus? Verum etiam si centū ora centumq; linguas (ut poetæ loquūtur) unusquisq; affectus habeat, ne sic quidē aures uiri perfecti perturbare poterit, qui iam migrauit nolēs in eadem

cum eis ciuitate habitare amplius. cæterum dicente illo
 cui tale quid accidit, corporeum exercitum perstreperet
 bellicis clamorib. procul pulso pacis amico silëtio, sacer
 sermo assentit. non negat enim clamorem esse bellicum,
 alterius tamen generis putat quàm nonnulli existimant,
 scilicet non cedentium aut urgentium, sed qualem nimio
 uino grauati solent attollere. quod enim dicit, ad pugna
 hortantium, perinde ualet ac si diceret, prælio uincen-
 tium. nam ualida pugna parit uictoriam. sic sapientem
 illum Abraham post suos fugatosq; nouem reges, uideli-
 cet quatuor affectus et quinq; sensus, qui præter naturã
 mouebantur, inducit scriptura hoc hymno consistentem
 & agentem gratis: Extendo manus meas ad dominum
 deum excelsum, creatorẽ cæli & terræ, si à funiculo usq;
 ad corrigiam caligæ accipiam ex omnib. quæ tua sunt.
 ostendit autem, quantũ equidem intelligo, creaturã om-
 nem, cælum, terram, aquã, spiritum, animantes simul &
 stirpes. quisquis enim ad solum deum tendit animæ uiri-
 bus & ab eo iuuari sperat, merito dicit, nihil accipiam
 ex omnib. rebus quæ tuæ sunt. non à sole diurnam lucẽ,
 non à luna cæterisq; sideribus nocturnum lumen, nõ ab
 aere nubibusq; pluuias, non ab aqua & terra potum ci-
 bumq;, nõ ab oculis uisum, non auditum ab auribus, non
 à naribus odoratum, non ab oris salua gustum. nõ à lin-
 gua eloquium, non à manib. dandi recipiendiq; faculta-
 tem, non cundi recundiq; à pedibus, non respirationẽ à
 pulmone, nõ concoctionẽ à iecore, nõ ab alijs uisceribus
 suum cuiusq; usum, non ab arboribus satisq; fructus an-
 imos: sed omnia hæc ab illo solo sapiente, qui gratuitam
 suam

suam benignitatē largissimē distendit per omnia, atq; ita
 prodest omnibus. quisquis igitur cū Qui est potest cer-
 nere, & hunc rerum autorem agnoscit, creaturas eius mi-
 nus quā ipsum honorabit, absq; adulatione dotes ea-
 rum confitens. est autē confessio iustissima hæc ipsa: nihil
 à uobis, sed à deo totū accipiam, cuius possessio sunt om-
 nia: tamen per uos fortassis accipiam. estis enim instru-
 menti immortalis eius gratiæ. at inconsideratus cæcam
 habens mentem qua sola Qui est cernitur, hac quidem
 nihil usquam uidet. sed quæ in mūdo sunt corpora com-
 plectitur suis sensibus, putans hæc esse causas omnium.
 quāobrem aggressus deos sibi fingere, simulacris, delu-
 bris, & alijs innumeris statuis ex uaria fabrefactis mate-
 ria repleuit orbem terrarum habitabilem, pictores ficto-
 resq;, quos legislator noster exterminat è sua rep. inui-
 tans propositis ingentib. præmijs tum priuatim tum pu-
 blicè: unde præter expectationē pro sanctitate inuecta
 est impietas. multorū enim deorum cultus in animis infi-
 pientiū fit impietas, & honorē dei negligunt qui morta-
 lia cōsecrant: quibus nō satis fuit solis lunæq; pro libito,
 atq; etiā telluris & aquæ uniuersæ imagines effingere,
 sed iam brutis quoq; ac stirpib. promiscuè diuinos hono-
 res concedunt. eos quomodo hymni uictorialis autor in-
 crepet, iam ostendimus. Moses quoq; pariter postquam
 uidit regem Aegypti, iactantissimū illum intellectū, cum
 DC. curribus, id est instrumentalis corporis sex motibus,
 et cum triumuiris eorū præfectis, qui etiamsi nihil in re
 bus sit stabile, tamen putant de cunctis sentiendum tanq̃
 certis & immutabilibus: hos inquam ubi uidit meritas
 A 4 impie-

impietatis poenas luisse, & suum exercitum incursationem effugisse hostium, egregiè præter opinionem seruatum, hymnum canit deo iusto ueroq; reuuneratori, à decentissimo & huic felicitati aptissimo exorsus carmen: quòd equum & infessorem in mare proiecerit, & intellectum uectatū à proteruo quadrupede, id est bruti affectus impetu, deleuerit, succursor et protector factus perspicacis animæ, cui perfectam salutē impertijt. idem uas & ad puteum carmen occipit, non iam ob solum affectuum interitum, sed & ob acquisitam sapientiam possessionē incomparabilem, quam per puteum significat: quæ nō in superficie sed in profundo habet laticem dulcem animabus sitiētibus honestatis, necessarium potum ac suauissimum. priuatis autem non licet uel eruditionē haurire ex hoc puteo, sed solis regibus, quapropter dicitur: Saxo struxerunt eum reges. Est enim officium magnorum imperatorum ædificare sapientiam, nō istorum qui armis terram & mare subigunt, sed qui animæ potētij uarias in ea confusasq; turbas debellant. horum discipulos atq; familiares noscimus qui sic loquuntur: Pueri tui ceperunt summā uirorum bellatorum qui nobiscum sunt. nemo est occisus, sed adduxit donū domino quisq; uir quod inuenit. uidentur hi quoq; rursus uictoriale carnē occimere, perfectarum & principalium potentiarum cupidi. summarium enim & maximum numerum rationum fortitudinis à se captum aiunt: quos oportet bellicosos fuisse oppositos duab. legionibus: quarum unius dux est difficilis uenatu timiditas: alterius uerò, surens audacia, utraq; bonæ mentis experts. pulcherrimè
autem

autem dictum est, neminem esse occisum, ad significatio-
nem integræ perfectæq; fortitudinis: sicut lyra & omne
instrumentum musicum deficit, etiamsi unicus tantum
sonus discrepet: concinnum uerò est quando ad unum
pulsus consonantes, eandem reddunt symphoniam. eo-
dem modo & animæ instrumentum discrepat quidem
quando aut audacia nimis intesum sonare cogitur iusto
acutius: aut timiditate supra modum remissum in graui-
orem sonum laxatur. tum uerò denum consonat, quando
fortitudinis omnisq; uirtutis toni contemperati omnes
unam concinnam melodiam efficiunt: cuius symphonie
concinnitatisq; magnum argumentum est, quod offer-
tur donum deo. hoc autem est colere conuenienter eum
Qui est, aperte confitendo ipsius donum esse hoc uniuersum
quicquid rerum natura continet. dicit enim apposi-
tissime, Vir quod inuenit, hoc obtulit donum. Vnuscuique
nostrum quamprimùm natus est inuenit magnum donum
dei totum mundum, quem ille sibi et suis charissimis lar-
gitus est. sunt autem etiam particularia dona, quæ & deum
dare decet, & homines accipere, nimirum uirtutes, &
his cōuenientes actiones: quarum inuentionem plusquam
extemporalem, propter eximiam largientis celeritatem
qua uti solet, nemo non miratur, etiā in eo qui nihil præ-
terea magnum habeat. ideoq; rogat, Quid hoc tam cito
inuenisti fili, miratus affectus boni celeritatem. ille uerò
qui accepit beneficium, cōuenienter respondet, Quæ do-
minus deus tradidit. traditiones enim & præceptiones
hominum tardæ sunt, quas autem deus facit, celerrimæ, ut
etiam temporis motum ocysimum præueniant. Hi sunt

igitur duces qui ad fortitudinem & uin hortantes uictorialem ac gratulatorium hymnum auspicatur in choro, de quibus modo diximus. alij uerò qui ob fugam & imbelles animos clade accepta lugubre canunt carmē non tam uituperādi quā miserandi, haud secus ac qui à natura oblesum corpus habent: quibus uel mediocris languoris occasio magnum ad incolumitatem affert impedimentum. alij uerò non quod molliores animi neruos habeant succumbunt inuiti, oppressi aduersariorum ualidioribus uiribus: sed more uolūtariam seruitutem subeuntium, ultro sibi acerbos dominos asciscunt quamuis ingenui. & ideò cum uendi non possint, miranda temeritate ipsi emunt dominos, idem faciendo quod solent isti ebriosi nunquam uino satiabiles. nam & hi uolentes non coacti magnam meri uin ingerunt, ut sua sponte sobrietate profligata ex anima sibi consciscant delirium. ait enim, Vocem hortantium ad potationem ego audio: hoc est, non inuitos furore laborantes audio, sed ultro sibi accersentes insaniam. Omnis autem qui castris propinquat, uitulum uidet ac choreas, & mox ipse quoque commouetur, in typhum enim eiusque saltatores incidimus, quotquot prope corporca castra uolumus gradiū sistere: quandoquidem cōtemplatiui homines & res incorporeas uisere desiderantes, cum sint ab omni fastu alienissimi, lōgissimè remoti à corpore solēt degere, proinde ora deum ne unquam hortator fias ad pocula, hoc est, ne unquam sponte præcedas in uia ferente ad ruditatem & insipientiā. mala enim quæ inuitis accidunt, dimidio leuiora sunt, cum nō grauetur à sincera cōscientia.

quod

quod uotum tuum si exaudietur, iam non eris priuatis amplius, sed honorem acquires maximum, nempe sacerdotium. solorum enim propemodum sacerdotum et dei cultorum est officium sine uino sacra facere: quod uinū & quicquid creat delirationem, sanitati mentis sit contrarium. Locutus est, inquit, dominus ad Aaron dicens: uinum & sicera non bibetis tu & filij tui tecum, quando ingrediemini in tabernaculum testimonij, aut accedatis ad altare, & non moriemini: legitimum sempiternum in generationes uestras, quo à profanis sancta, & ab impuris pura distinguantur. Aaron autem est sacerdos, quod nomen interpretatur montanus, sublimia cel- saq; sapiens ratio, non per iactantiæ molem inani fastu turgidam, sed per magnitudinem uirtutis, quæ mentem ultra cælum attollens, non sinit cogitare quicquam hu- mile. qui autem sic affectus est, merum & omne uenenū insaniam afferens nunquam ultro sibi adinquebit. incū- bit enim ei necessitas ut aut sacrosancta tabernaculi pe- netrاليا ingressus secretis sacris operetur, aut ad altare accedens uictimas pro sua populiq; salute immolet. quæ negocia sobrietate opus habent atq; solertia. me certe subit mandati huius admiratio. Sicut enim ueneranda res est, sobrios & sui cōpotes ire ad uota & sacrificia: sic ediuerso ridicula si quis corpore animoq; præ uino labante id faciat. nisi fortasse quoties domini & paren- tes & principes adeundi sunt, curare decet seruos & fi- lios & subditos ut sobrij sint, nequid dicto factioūe pec- cent, neue poenam incurrant, si uideantur dignitatē ma- iorum contemnere, aut, si clementius cūm eis agatur, certe

certe irrideantur: omnipotentem uero patrem aliquis adoraturus cibum, potum, somnum, ceteraq; quorum usum natura postulat non moderabitur? maleq; ad lautiores uictum declinans imitari luxu perditos? & oculis nimio uino grauatis, iuacillante capite, obliquata ceruice, crapulam ructās, totoq; corpore languidus, aquā abluendis manibus aut aras attinget ac uictimas? atqui tali non est fas uel procul sacros ignes intueri. quod si hæc intelligantur non de tabernaculo altariq; constructo ex uisibili & inanima & corruptibili materia, sed de illis inuisibilibus sola mente cernendis, quorum ista sunt sensibiles imagines, tanto magis obstupescet ad huius præcepti miraculum. quoniam enim omnium rerum aliud exemplar aliam imaginem fecit opifex, uirtutis quoq; archetypum primo fecit, quo mox expressit characterem ei simillimum. quod quidem archetypum signaculum incorporeum idea est: imago autē expressa corpus iam, sensibile quidem suapte natura, nondum tamen expositum sensui: sicut in altissimi oceani gurgitibus enatum lignum diceremus posse quidem uri, nondum tamen igni obnoxium, quippe marino humore madidum. Ergo tabernaculū & altare intelligamus ideas, alteram uirtutis incorporeæ significatiuam, alterā sensibilibus eius imaginis. altare quidem, & superimposita, uidentur facile: uel quia sunt in atrio foris, uel quia noctu ac interdum perpetuis illustrantur ignibus. tabernaculum uero & quicquid eo continetur, non patet oculis: non ideo tātum, quia situm in penetralibus, uerū etiam quia propinquant, aut curiosius intuenti, sine clementia suppli-

ſupplicium lex intētat : niſi quis integer ſit & purius ab omni magna paruaq; noxa, omnibus naturæ dotib. præditus. nam huic permittitur ut quotannis ſemel ingreſſus inſpiciat non uidenda cæteris, quando in hoc uno incorporeorum incorruptibiliumq; bonorū alatus amor cæleſtis inhabitat. is quando ab idea percuſſus ſequitur ſignaculum illud quod particulares uirtutes exprimit, conſiderando mirandoq; pulchritudinem eius diuiniffimam, ad quā accedit expreſſam ab illo archetypo, mox eum ſubitrudinitatis & ineruditionis obliuio, ſuccedente eruditionis ac ſcientiæ memoria. & ideo dicitur: Vinum & ſicera non bibetis, tu & filij tui tecum, quando ingrediemini tabernaculum teſtimonij, aut ad altare accedetis. quæ uerba non tam interdicens ſunt, quàm decernentis pro ſententia. nam interdicens ſic loqueretur: uinum quando ſacrificabitis ne bibatis. qui uero ſententiam proferat, mauult dicere nō bibetis. non eſt enim poſſibile ut inſcitiam cauſam ebrietatis delirationisq; animæ, in ſe admittat, qui iuſtitiam meditatur, & oblectat ſe per ſingulas uirtutū ſpecies. ſolet enim ſcriptura hoc uocare tabernaculum teſtimonij: ſive quia uerax deus uirtutis teſtis eſt, cui non ſine bono noſtro credimus: ſive quia uirtus confirmat animas, extirpās cogitationes incertas ac dubias: & in uita quaſi pro tribunali ueritatem reuelans. Ait enim propheta non moriturum qui ſobrius ſacrificat: quod ruditas mortem, immortalitatē afferat eruditio. nam ſicut noſtris corporibus interitū morbus, incolumitatem affert ſanitas: itidē animas prudentia ſeruat, cū ipſa ſit mentis ſanitas: imprudentia

uero interimit, cum sit morbus earum insanabilis. Ad-
 dit autem diserte, hoc legitimum æternum: docens nos
 immortalem hanc legem esse inscriptam nature tabu-
 lis, quæ pronunciat eruditionem rem saluberrimam, in-
 scitiam uero causam morbi ac interitus. quin & hoc in-
 de discimus, id quod uere legitimū est, consequenter æter-
 num esse: quando & recta ratio, quæ legis uicem obti-
 net, non est corruptibilis. nam ediuerso quicquid ini-
 quum, uix uno die durabile à seipso dissoluitur, confes-
 sione omnium qui sapiunt. proprium autē legis & cru-
 ditionis est, profana à sacris, ab impuris pura discerne-
 re: sicut ediuerso iniquitatis et in eruditionis, inter se pu-
 gnantia cōfundere commiscereq; omnia. Quamobrem
 & Samuel regum prophetarumq; maximus, uinum &
 quicquid epotum inebriat, sicut sacra eloquia testantur.
 ad extremum usq; diem non bibit. ascriptus est enim in-
 diuinum exercitum, qui nunquam imperatoris sapien-
 tissimi prouidentia destituitur. is Samuel fuit fortassis
 homo, accipitur tamen non ut compositum animal, sed
 ut mens, solo dei cultu ac ministerio gaudens. interpre-
 tatur enim ordinatus deo, eo quod actiones eas quæ à
 uana gloria proficiscuntur, grauem turbationem ordi-
 nis existimet. hic ex humana matre nascitur, cuius no-
 men interpretatur gratia. nam sine diuina gratia nō est
 possibile uel deferere mortalia, uel immortalibus sem-
 per adherere. cæterum quæcunq; anima impleta fuerit
 gratia, gaudet confestim & ridet exultatq;. bacchatur
 enim, ita ut uulgo ebria uideatur insanire rapta extra
 se. & idem dicitur ad eam à quodam puerulo, non uno,
 sed

sed à quolibet iuueniliter petulante: Quousq; temulentus es? aufer istam temulentiam à te. Solet enim correptorum numine non solum anima concitari ceu quodam æstro, sed & corpus erubescere incandescereq; , interno gaudio prorumpente in exteriora, quæ res multos insipientes decipit, qui sobrios uino madere autumant. est tamen quædam ebrietas etiam sobriorum, qui bona meraca hauriunt, & propinationes à perfecta uirtute accipiunt. cæterum qui temulenti sunt, ne degustât quidam prudentiam, qua abstinendo famem eius sentiunt continuam. merito igitur ad iuuenilem irrisiõnem uenèranda austeraq; uitæ insultantem respondetur: Mulier dura dies ego sum, uinum aut potum inebriantem non bibi, & effundam animam meam coram domino. Ingentes opes animæ, quæ gratijs dei plena est. primum durã diem uocat seipsam, respiciens illudentem puerulũ. nam huic & cuius insipienti aspera, ardua, difficillimaq; uidetur uia ducens ad uirtutem, sicut & quidam è priscis testatur dicens:

Omnino uitium facile est contingere cuius.

Contrà uirtutem sudoribus undiq; diui

Præsepsere, & lōgus ad hanc perq; ardua callis,

Asper & est primũ: sed ubi alta cacumina uictor

Contigeris, iam fit facilis, licet ardua dudum.

Deinde negat se uino & potu inebriante usam, & perpetua uitæ sobrietate gloriatur. nam obtinere cogitationem liberam, puram, immuncmq; ab affectionibus perturbatricibus, res est profecto admiratione dignissima. Vnde fit ut intellectus sobrietate mera saturatus, semper

&

Et per omnia cū deo uersari properet. Quid enim aliud
 sibi uolunt illa uerba, Effundam animam meam in con-
 spectu domini, nisi totam meipsam ei consecrabo? id fit
 quoties quis abruptis quibus prius stringebatur uincu-
 lis, quæ mortalis uitæ indiderant uana studia, exolutus
 omnibus, et intantum exspatiatus, extentus, effususq;
 ut uel ad extremos mundi pertingat terminos, ad pul-
 cherrimam celeberrimamq; illam ingeniti contēplatio-
 nem penetrat. hic igitur chorus sobriorum est, eruditio-
 nem ducem sequentium: alter uero prior ebriorū, cuius
 princeps inscitia fuerat. Quoniam autem ebrietas non
 solum delirationem significauit, natam ex ineruditione:
 sed et in totum sensus priuationem, quam in corpore
 nimium uinum producit, in anima uero ignoratio eo-
 rum quæ merito sciri deberent: superest ut dicamus pau-
 cis de ignorantia, duntaxat ea memorando quæ sunt op-
 portunissima. quis igitur est morbus corporis, cū quō
 conferenda sit ignorantia? aut cum cuius sensus priua-
 tione conferri potest? certe qui oculis auribusq; multa
 ti sunt, nihil uel uidere uel audire ualēt, diei lucisq;, pro-
 pter quæ sola (si uerum fatendum est) uitam expetimus,
 nescij: et in perpetuis tenebris sempiternaq; nocte habi-
 tant, surdi ad parua magnaq; omnia: quos merito uitæ
 communis impotentes solet nominare. nam etiamsi reli-
 quæ corporis uires uniuersæ incolumes sint et absolu-
 tissimæ, tamen supplantatæ ab orbitate oculorum au-
 riumq;, magno casu corruunt, ut nō amplius possint re-
 surgere. id enim quod hominem fulcit, uerbo quidē pe-
 des sunt, reuera autē auditus uisusq;: quos donec habet
 inter-

integros, erectus incedit, priuatus uero his, proclinatur. & è medio tollitur: idem omnino ignorantie sunt effectus in anima, ledentis eius uisum auditumq; , nec lucem nec sermonem in eam intrare sinentis: hunc ne quid doceat, illam ne res indicet: atq; ita offusis irrationalibus tenebris profundissimis, ex formosissima animæ specie surdum saxum redditur. nam ignorantie contraria scientia quodammodo animæ pro oculis est & auribus: quippe quæ & intendit animû in ea quæ dicuntur, & res dispicit: nec unquam uel uidendo uel audiendo falli sustinet: sed quicquid auditu spectatuq; dignum censet considerat cõtemplaturq; : & si forte itinere terrestri aut nauigatione opus est, periuadit usq; terræ ac maris terminos, ut plura uideat, & aliquid recentius audiat. impigerrimus enim est amor scientie, inimicus somno, amicus uigilijs. proinde semper excitans & acuens cogitationem, cogit eam obambulare omnia, auditum faciens, uidum, & ingentem discendi sitim instillans. ergo scientia uisum auditumq; præbet, quibus freta bene se gerit anima. nam qui uidet auditq; , scit quid sit utile, & id expetendo, fugiendoq; contrarium, proficit. ignorantia uero grauiorem quàm corporis mulctationem animæ inferens, omnium peccatorû causa fit: quando caret omni externa ope, ut quæ nec ipsa sibi prospicere potest, nec præmoneri ab alijs. proinde usquequaq; destituta, & derelicta à custodibus ac præsidibus, à quibusuis hominibus rebusq; patitur insidias. cauendum igitur ne unquam tantam meri uim ingeramus, ut sensus officiû non faciant: nèue tam longe discedamus à scientia, ut ignorã.

tia suas densissimas tenebras in anima possit spargere. Sunt autem duo genera ignorantiæ, simplex alterū prorsus sensu carens: alterum duplex, cum quis non modo in scientia tenetur, uerum etiam putat se scire quæ haudquaquam scit, elatus falsa opinione sapientiæ. prius malum est leuius, ut quod leuiora peccata gignit, pleraque inuoluntaria. secundum uero maius, ut quod maiora parit, nec solum inuoluntaria, uerum etiam iniqua de industria. talibus mihi uidetur Lot ille filiarū genitor esse obnoxius maxime, qui masculum & perfectum in anima germen educare non potuit. duas enim filias ex uxore in saxum post mutata suscepit, quam non aberrauerit si quis appellet consuetudinem inimicam ueritati suo pte ingenio, & quoties ab aliquo ducitur à tergo restitantiem, respectantiemq; antiquas sodales, & in morem inanimæ statuæ remanentem in earum medio. filiarum autem senior quidem uocabitur consilium, iunior uerò assensio. nam consilio comes est assensio, post assensionē autem nemo consultat ulterius. mens igitur sedēs in suo consistorio, sollicitare filias incipit, & cum grandiore quidem consilio considerat atq; scrutatur singula, cum iuniore uerò assensione facile quibusuis annuit, ut infesta pro amicis complectatur, si modo uoluptatis esca inuitet uel minima. hæc autem sobria quidē cogitatio non sustinet, sed occupata à temulentia, & uelut uino extra se raptā. ideo dicitur: potauerunt patrem uino: ut omnino impos fieret sensuum intellectus, qui prius uidebatur idoneus per se ad consultandum de rebus utilibus, facile tamē quibusuis uerisimilibus ut ueris certisq; assentiēs

cum

cum natura humana haudquaquam sufficiens sit manifeste quicquam dispicere, & uel quasi utile ac uerum eligere, uel ut falsum ac inutile fugere. multum enim tenebrarum offusum corporibus rebusq; non sinit singulorum naturam cōspici: imò etiam si quis curiosior aut discendi cupidior conetur introspicere propius, tanquam luminibus orbatu offensans, prius quam aliquid apprehendat prolapsus frustratur. nam ne praelucente quidē eruditione intellectus proprium inde lumen sibi ualens accendere, ad res inspiciendas non tā iuuatur quam impeditur. sic enim natura comparatū est, ut paruus splendor extinguatur à magnis tenebris: quo extincto nulla est uisus utilitas. quisquis autem sibi placet uel consilio uel facultate discernendi inter fugienda & sequēda, monendus est: si earundē rerum eadem & indiscretæ semper nobis imaginationes acciderent, fortasse necessario sequuturum ut quas nobis natura dedit iudicandi facultates geminas, sensum & intellectum, tanquam ueraces admiraremur, nec decipi faciles, quippe quæ primo aspectu quid expetendum, quid fugiendum uideant. sed quoniam compertum est nos aliàs aliter ab eis affici, nō possumus quicquam certo asseuerare, cum id quod apparet non maneat firmum, sed in uarias subinde trāsmutetur facies. necessum est enim ut instabilis imaginationis instabile sit etiam iudiciū, idq; multis de causis. quarum prima est animalium non una tantū parte, sed plures penē quā dici potest differētiæ, in generatione horum & habitudine, in cibo & uictu, in his rebus quas expetunt & fugiunt, in sensuum actionibus & commo-

B 2 tionis

tionibus, in corporum animarumq; innumerabilibus proprietatibus. nam ut omittamus ista quæ iudicant, inspicere quædam ex his quæ iudicantur, ut chamæleontem & polypum. illum aiunt mutabilem colore semper loca referre in quibus degit: hunc uerò saxa quibuscunq; adhæserit. forsàn à natura salutis eius prospiciente donatum hoc uersatilis coloris remedio contra pericula. Vindistin unquam columbæ ceruicem solaribus radijs expositam quàm multis modis colores uariet? puniceum, ceruleum, igneum, & carbunculi speciem referentē, pallentem item, rubentemq; & alios omnigenos, quorum ne uocabula quidem memorare sit facile. apud Scytharum quoq; gentem, quam Gelonos uocant, fertur mirandum animal, raro quidem, nasci tamen, tarandum nomine, magnitudine bouis, facie uero ceruo quàm simillimum. de hoc narrant, pilum eius omnia propinqua, siue arbores, siue alia, colore imitari, & per eam similitudinem fallere in quęcunq; inciderit, atq; ita magis quàm uiribus periculum à uenatoribus imminēs euadere. hæc & similia certissimum argumentum sunt, nos non posse quicquam certò comprehendere. deinde ut omittamus animalia reliqua, soli homines immane quantum in rebus omnibus inter se differunt: qui non modo aliàs aliter de iisdem iudicant, sed & alij aliter, dum iisdem quidam delectantur, quidam offenduntur. nam quæ his probantur, alijs displicent: quæ hi ultro accersunt ut domestica, alij procul in malam rem profligant ut alienissima. equidem forte fortuna theatrum ingressus aliquoties, animaduerti ad unum carmen tragædorum citharædo-

rum

rumque in scena certantium alios sic demulceri, ut non temperarent sibi quin assurgentes acclamarent & applauderent: alios non magis moueri hoc, quam illos ipsos gradus saxeos quibus insisterent: alios in tantum offendi, ut è theatro se proriperent utraq; manu compressis auriculis, nequid ex eo sono reliquum molestiam crearet fastidiosis animis. quid attinet ista dicere? unusquisque, si ipsum per se consideres, quod uix est credibile, innumeras mutationes in corpus animaq; recipit, quæ modo expetierat fugiens haudquaquam mutata, sed in eodem statu manentia. eadẽ enim aliter à sanis accipiuntur quàm ab ægrotis. aliter à uigilantibus quàm dormientibus, aliter à pubescentibus quàm senescentibus. imò qui stat alias quàm qui mouetur imaginationes concipit, alias intrepidus quàm timidus: item moerens quàm gaudens, infensus quàm beneuolus. Quid opus uerbis prolixioribus? dicam compendio: quiuis corporis animæq; motus, siue iuxta naturam siue contra factus, causa est ut quæ apparent, mutari uideantur, inconsistentibus somnijs simillima. nec minima causa imaginationum inconsistentiæ sita est in consideratione, in distantijs, in locis quibus continentur singula. an non uidemus in mari pisces extentis natantes pinnulis semper maiore specie quàm quæ re uera sunt? itidem remos uel rectissimos, fractos in aqua uideri contingit. hæc longe falsissimas imagines obijcientia solent mentem decipere. interdum enim cum sint exanimata, putantur uiuere, & ediuerso quæ uiuunt, esse mortua. item quæ stant, moueri: quæ mouentur, stare. quæ accedunt recedere: quæ recedunt, accedere. bre

uia uidentur, quæ prælonga sunt: quæ angulos habent, diceres teretia: aliaq; innumera fallunt aspectum, quibus nemo prudens tãquam certis subscriberet. quid qualitates factitiæ, in quibus addidisse detraxisse uel aliquid multũ profuerit aut obfuerit, præsertim in his quæ tractant medici: namq; horum compositiones recipiunt qualitates certis terminis dimensas et regulis, citra quas nõ licet consistere, sicut nec progredi ulterius tutũ est. nam diminutio remittit eorum uim, sicut intēdit additio. Vtrumq; autem noxam affert: alterum ob uirium defectũ inefficax, alterum uiolēte lædens præ nimietate earum. leuitates quoq; ac asperitates, dēsitates oppilationesq; & his contrariæ raritates apertionesq;, quãtum ad auxilium noxamue confrant manifestum est. Ac ne illud quidem ignotũ, quòd penè nulla res, si consideres ipsam per se, intelligitur, sed collatione cum suo contrario examinatur, ut paruum collatum cum magno, aridũ cum humido, frigidum cum calido, graue cum leui, nigrum cum albo, infirmum cum ualido, parum cum multo. Similiter etiam quæcunq; ad uirtutem referuntur aut uitium, utilia noscuntur per noxia, honesta adhibitis ediuerso turpibus, iusta & in genere bona cum iniustis & malis composita. deniq; quicquid aliud in uniuerso mũdo consideraueris, ad eandem formulam iudicari comperies. Nam per se unum quodq; comprehendi non potest, sed cum altero comparatum uenit in notitiã. Quicquid autem de seipso testari non potest, egens alterius patrocinio, infirmam fidem habet. itaq; sic quoq; coarguuntur qui facile de quauis re uel negant uel asserunt.

nec

nec mirum. nam si quis ulterius in res progrediatur, & collustret eas sincerius, sciet quod ne una quidem res iuxta simplicem suam naturam nobis occurrit, sed omnes multipliciter temperatæ mixtæq;. Colores sine mora comprehendimus. at quomodo? nonne foris cum aere & lumine, intus in ipso visu cum humido? dulce uerò, & amarum quomodo probaretur absq; oris humoribus? quid saporès grati naturæ uel ingrati? quid ex suffitu odores, num simplices sinceræq; naturas præ se ferunt? an potius mixtas ex ipsis & aere, interdum etiam ex igne liquante horum corpora, & ex facultate quæ inest naribus? Ex his sanè colligitur, nec colores à nobis percipi, sed temperaturam constantem ex subiectis & lumine: nec odores, sed mixturam quæ constat è corporum exhalationibus, & omnium capace aere: nec saporès, sed id quod conficitur è re gustabili, & humore saluaceo. Hæc cum ita se habeant, damnanda est stultitia, seu arrogantia, seu temeritas eorum, qui facile uel asserere, uel negare de quauis re sustinent. si enim simplices facultates absunt, mixtæ uerò & collatiæ nos frustrantur, impossibile est ut cernantur inuisibiles, & per mixta intelligatur uniuscuiusq; forma, ad eam mixturam conferentis suam portionem. Quid igitur superest, nisi ut necessario suspendamus sententiam? Illa quoq; deterrent ne temerè credamus incertis, quæ penè per totum orbem diffusa sunt, communem tum Græcis tum barbaris in iudicando lapsum inducentia. quænam? institutiones ab ætate tenera, consuetudines patriæ, leges antiquæ, ex quibus uniuersis in nullo consentiunt omnes, sed per sin-

gulus regiones, gentes, ciuitates, uicos deniq; ac domos, saltem uiri discrepant à mulierculis, & pueri à cæteris. Nam quæ nobis turpia uidetur, illis honesta: quæ decetia, illis indecora: iniqua iusta, impia sancta, legitima illegitima, uituperanda laudabilia, puniēda honore digna, & cætera decernuntur contraria. Sed quid opus est his immorari prolixius, cum reuocent nos magis necessaria? quòd si quis uelit omiſſis alijs recentioribus spectaculis, inquirere in præſens capitulum diligētius, & examinare singillatim, educationes, mores, leges, regionū, gentium, locorum, ciuitatum, subditorum, principum, clarorum, obscurorum, liberorū, seruorum, doctorum, indoctorum, non unam alteramq; diem, nec mensem aut annum, sed totam uitam in hoc cōteret uel longiſſimam: nihilominus pleraq; cōſiderationem eius effugient. cum igitur alij ab aliorum iudicio non modicum diſtent, & adeò discrepent, ut pugnent etiam inuicem, neceſſario conſequitur ut etiam allabantes imaginationes rerum differant inter ſe, & pugnātes ſint de his ſententiæ. quæ cum ita ſint, quis eſt tam demens & delirius, ut certo aſſirmare audeat, hoc aut illud eſſe iuſtum, prudens, honeſtum, utile? quicquid enim hic decreuerit, alius irritabit meditatū à tencris unguiculis contraria. Equidem non miror ſi miſcellanea confuſaq; turba, morum legumq; utcunq; inductarum ſerua, ab incunabulis obedire his haud ſecus ac dominis atq; tyrannis aſſueta, & animam contuſa colaphis, nihil magnum & uirile ualens ſapere, credit acceptis ſemel maiorum traditionibus: & mentem ſinens inexercitatam, ſine ſcrutatione ac examine

uel

uel affirmat uel negat. philosophos quos uocant miror, quorum pleriq; simulantes se uenari manifestam in rebus certitudinem, cateruatin diuisi, decernunt dissona, interdum etiam contraria, non de una quapiã haud magni momenti re, sed propemodum de omnibus magnis paruisq;, de quibus solent quærere. cum enim hi mundum infinitũ inducant, illi finitum: hi creatum affirmet, illi negent: hi sine præsidente principeq; temere arbitrato suo ferri eum cõtendant, illi credant prouidentia curaq; mirifica & uniuersum & partes eius Deum regere ac gubernare ita ut in tuto sint: qui fieri potest ut de subiectis rebus eosdem conceptus habeant? iam quæ in natura boni considerata imaginationes obueniunt, nõnne suspendere assensionem potius quàm assentiri cogunt? dum alij bonum esse censent solum honestum, idq; reponunt in anima: alij diuidũt hoc in quasdam minutias, & usq; ad corpus externaq; protendunt. hi dicunt felicitates à fortuna concessas, corporis esse satellites, ut sanitatem, robur, integritatem, omnium sensuum, & huiusmodi cætera stipantia regiam animam. cum enim tres sint bonorum ordines, tertium & extremum secundi & mediij propugnatorem esse: secũdum uerò primi munimentum protectoriumq; factum maximum. De his ipsis, & de diuersis uitæ rationibus, de finibus ad quos actiones omnes dirigendæ sunt, deq; alijs innumeris quæ tractantur in rationali morali naturaliq; philosophia, disceptationes nascuntur ineffabiles, de quarum nulla in hodiernum usq; disceptatores isti cõsentiunt. merito igitur cum duabus filiabus, consilio assensioneq;, coniunctus & unã

cubans intellectus, ignorantia laborare inducitur. dicitur enim, & nesciuit quando accubuerunt, aut quando surrexerunt filii. nam nec somnū nec uigiliam, nec quietem, nec motum uidetur certo comprehendere: sed etiam cum optimè consuluisse putatur, inconsultissimusprehenditur, rebus ad expectatum finem non peruenientibus: & quoties subscribere quibusdam ut ueris placuit, facilitatis incurrit infamiam, quamprimum comperitur incerta dubiaq; quibus prius crediderat ut certissimis: itaq; cum negotia soleant contra opinionem cadere, nihil tutius fuerit quàm assensum suspendere. Hactenus de his, nunc uertamus sermonem ad sequentia. diximus suprā temulētiae nomine significari etiā illud quod multis sæpe attulit noxas maximas ignaui uentris studium, cui deditos uidere licet, etiamsi omnes corporis lacunas expleuerint, adhuc tamē inexpletas ac inanes habere cōcupiscentias. isti quamuis præ saturitate distenti ad modicum tempus tanquam athletæ lassī respirant, tamen mox ad idem certamen reuertuntur. Proinde rex Aegyptiæ regionis, id est corporis, paulò ante insensuius pincernæ ministro temulentiae, mox ei reconciliatus in sacris libris introducitur, gliscente concupiscētia tactus eius desiderio, idq; in die natiuitatis corruptibilis, non in incorruptibili luce illius Ingeniti luminis. dicitur enim fuisse dies natalis Pharaonis, quando è carcere principem pincernarum reuocauit ad ministerium. hoc enim propriū est amatori corporis, ut præclaras putet res natas & corruptibiles, eo quod densissimis tenebris propediatur quominus noscat incorruptibiles. ideo statim

tim principum uoluptatem temulentiam, cuiusq; mini-
 strum beneuolentia complectitur. Sunt autem luxurian-
 tis animæ tres familiares cubicularij, princeps pistoriū,
 princeps coquorum, princeps pincernarum, quorum
 admirādus ille Moses sic meminit: Et iratus Pharaο duo-
 bus eunuchis, pistorum principi & pincernarum prin-
 cipi, misit eos in carcerem principis coquorum. est au-
 tem & coquorum princeps eunuchus. dicit enim aliubi:
 abductus est Ioseph in Aegyptum, & emit eum eunu-
 chus Pharaonis princeps coquorum. & rursum: Vendi-
derunt Iosephum spadoni Pharaonis coquorum princi-
pi. sed cur nec uiro nec mulieri cōmittuntur dicta offi-
 cia? An quia seminare uiris, semen excipere mulieribus
 à natura datum est, ex quorum congressu & natiuitas
 omnium & generis conseruatio prouenit? sterilis autem
 castratæq; animæ officium est gaudere pistorijs operib.
 sumptuosius atq; poculis, & curiosis condimentis cupe-
 diariorum, ut quæ nec uirtutis uere masculum semen e-
 mittere ualeat, nec emissum excipere nutrireq; sed tan-
 quam exile saxosumq; aruum, tantummodo apta sit ad
 corrumpendum ea quæ semper uiuere debuerant. Hic
 decretum statuitur communiter omnib. utilissimū, quòd
 quiuis opifex uoluptatis non gignit sapiētiam, cum nec
 mas sit nec foemina: & cum nec indere nec excipere sit
 idoneus semina ad immortalitatem facientia, meditatur
 quod turpissimum est in uita exercitium, ut corrumpat
 incorruptibilia, & extinguat insitos nature igniculos
inextinguibiles. talium nulli Moses permittit ingredi ec-
clesiam dei, interdicat enim ne spado & excelsus ingre-
 diatur

diatur in ecclesiam domini. quid enim nō ualenti sapien-
 tiam gignere profuerint sacre conciones audite, cui fi-
 des exacta est, nec potest seruare depositum utilissimo-
 rum uite dogmatum. proinde tres sunt qui curant con-
 uuium humani generis, princeps pistorum, pincerna,
 cupediarius. merito, quia sunt tria quibus uti & frui cu-
 pinus, cibi, cupedia, potus. sed alij contenti sunt solis ne-
 cessarijs, quæ ad salubriter liberaliterq; uiuendum requi-
 rantur: alij querūt immodica, nimia, superflua, quæ ap-
 pelitus excitant, & corporis lacunas multitudine one-
 rant ac opprimūt, magnos & uarios morbos parere so-
 lita. Et uulgus quidem uoluptati, concupiscentijs affecti-
 busq; debitorum, sicut in ciuitatib. plebeij, non inuidio-
 sam uitam uiuentes, & paucis rebus opus habentes, non
 egent uarijs curiosisq; ministerijs, contenti simplicib. co-
 quis, pincernis atq; pistoribus. qui autem putant se impe-
 rare ac regnare in uiuendo suauiter, & ad hūc scopum
 omnia minora maioraq; refertunt, dignos se æstimant mi-
 nistris principib. coquorum, pincernarum, pistorumq;,
 hoc est in unoquoq; horum absolutissimis. nam placen-
 tarum, popanorum liborumq; uaria genera, non mate-
 rijs tantum, sed & modis conficiendi formisq; diuersa,
 non tantum ad gustum, sed & ad aspectum illicendum
 curiose inuenta, exercent pistores eximios. examen au-
 tem uini in lotium abeūtis facile nec lædentis caput, aut
 contra argentis sanguinem & olentis suauiter, multum
 parūmque aque ferentis, & ad uehementem intensamq;,
 aut remissam lenemq; potationem faciētis, cæterorumq;
 similium, ad pincernarum præfecti officium pertinet, in
 hac

hac arte absolutissimi. cæterum pisces auesq; et id genus alia parare, et obsonia cõdire callent insignes cupedia-rij, non tantum quæ auribus didicerunt et oculis, uerum etiam quotidianis experimētis, dum uitæ delicatæ ac tenellæ, sed nõ optandæ, semper noui aliquid excogitant. quos omnes eunuchos esse steriles sapientiæ docuimus. is autem cui reconciliantur, uentris rex intellectus pincerna est. nam suapte natura genus humanum est ad uinum procliuē quo uix unquam saturatur, quando somno, cibo, coitu, similibusq; rebus nemo non expletur, merito autem non item, præsertim qui exercēt hoc studium. bibendo enim sitiunt, incipientes à minoribus cyathis: procedente uerò potatione iubēt pincernas in maiores infundere calices, postquam incaluerūt iam parum sui compotes, infundibula, crateras, amystides integras exhibu- haurientes, et merum ingurgitantes, donec profundus somnus occupet iam nec seipso nec quæ ingesserūt continere ualentes, regurgitante potu nimio. et tamen sic quoq; insatiabilis appetitus, tanquam famelicus, furere non desinit. uitis enim Sodomorum uitis eorū est, ut inquit Moses, et palmes eorum è Gomorra. uua eorum uua fellis, et botrus amaritudinis ipsis. furor draconū uinum eorū, et furor aspidū insanabilis. Sodoma orbitas siue cæcitas interpretatur. uitis autem hæc eiusq; fructus, significat homines uinolentia, gula, turpissimisq; uoluptatibus perditos. cæterum quod latentius subindicatur hoc est: ueræ lætitiæ nullum germen in anima sui amante insitum esse, quod talis sanas radices non habeat, sed incendio reductas in cinerē, in qua pro aqua fulmineis

fulmineis flammis, deo iuste animaduertente in impios;
 cœlum pluerat inextinguibilibus. non deesse tamen in
 ea concupiscentiæ plantas maximas, honestatis steriles.
 quandoquidem is affectus exardescit in omnia spectatu
 digna, conferturq; cum uite: non ista matre mitium fru-
 ctuum, sed ea quæ amaritudinem, malitiam, uasfriciem,
 iram, furorem moresq; irritabiles proferre solet, mor-
 dens animam in morem uiperarum & aspidum, uenena-
 tos morsus & omnino incurabiles habentium: quos de-
 precamur uotis assiduis, obsecrantes deum clementissi-
 mum, ut siluestrem hanc uitam eradicet, eijciatq; omnes
 eunuchos & uirtutis steriles in perpetuum exilium: &
 pro his in animis nostris mites plantas inserat per disci-
 plinam rectam, largiaturq; nobis fructus ac rationes ue-
 rè masculas, à quibus seminari possint actiones hone-
 stæ, & uirtutes incrementum accipere, ut cum se-
 licitate habeamus conseruamusq; sem-
 piternam consuetudinem.

PHILO

PHILONIS IV=

DAEI, DE HIS VERBIS,

Resipuit Noe, Liber.



Ostquam ea quæ de ebrietate secutaq; hanc nuditate legisla-
tor dixit enarrauimus, accede-
mus ad ea quæ deinceps coniun-
cta sunt, sic enim in sacris literis
scriptum sequitur: Resipuit
Noe à uino, & cognouit quic-
quid fecerat ei filius natus minimus.] Sobrietas non so-
lum animabus, uerum etiam corporibus, omnium con-
fessione utilissima est. nam & infirmitates arcet, è nimia
repletione nasci solitas, & sensus mirificè acuit, nec finit
corpora plus iusto grauata corruere: sed attollit ea si-
mul & subleuat, reuocans ad officia propria, omnibus
eorum partibus opportunissima. In summa, quantorum
malorum autor est ebrietas, tantorum ediuerso bono-
rum sobrietas. ergo quandoquidem etiam corporibus,
quibus peculiariter uini potus prodest, amica est sobrie-
tas, nonne multo magis animabus? à quibus omne mor-
tale alimentum alienum est. quid enim sobria mēte præ-
stantius est apud homines? quæ gloria? quæ diuitiæ?
quod robur? quæ potentia? deniq; quid aliud ex his quæ
mirantur homines? adsit modo animæ oculus, qui totus
collustrare omnia ualeat, nulla sui parte suffusus humo-
ribus, aut nictatione impeditus. tunc enim acutissimè cer-
nens

nens, ipsumq; intellectum & prudentiam intues, occurreret simulacris intelligibilibus, quorum spectaculum demulcens animum non sinet posthac flecti ad quicquam sensibile. Et quid mirum si animæ sobriæ cernentiq; acutissimè nulla creatura potest æquari honore? quādo corporei quoq; oculi, & lux ista sensibilis apud nos omnes habetur in honore maximo? quamobrem multi uisu amisso, uitā etiam ultro abiecerunt, existimantes mortem malum esse cæcitæ leuius. quāto igitur anima præstantior est corpore, tanto mens præstat oculis, quæ si illæsa sit & expers noxæ, à nulla iniquitate temulentia simili oppressa, somnum quidem ablegabit causam obliuionis officiorum atq; pigritiæ: uigiliam autem complexa cernet acutè quicquid spectatu dignū fuerit, excitata à memoria, & occupata actionibus tali cognitioni cōgruentibus. Talis est constitutio sobrij hominis. ceterū iuniorum filium dicens, nō ætatis nomen scribit, sed qualibus morib. præditi sint rerum nouarum amatores indicat. alioqui quomodo nō uidenda uidere contra ius fasq; conatus esset, aut silenda eloqui, aut domi celandi proferre in propatulum, et transilire animæ terminos, nisi per curiositatem ausus fuisset quod nemo antea, deridens cassus alienos, qui debuerat ingemere, nec cauillari in talire postulante reuerentiā uultumq; serium. hic certè mos est legislatoris, ut & prouectos ætate appellet iuuenes, & eos qui nondum senuerunt, seniores: non respiciens annorum numerum, aut tempus breue longūmne, sed in potētias animæ, quæ mouetur melius aut deterius. Ismaelem penè uigesimum annum agētem, cum uirtutib. per-

fecto

fecto Isaac collatū, nominat puerulum. Sumpsit, inquit; panes & utrem aquæ, & dedit Agar: imposuitq; super humerum eius, & puerulum: quando eos ē domo ablegauit Abraham. ac rursum: Proiecit puerulum sub una abietē. & Non uidebo mortem pueruli. atqui ante natū Isaac annum tertiumdecimū egressus Ismael circumcisis est: & post alterius iam septennis ablactationem, ne spūritius cum legitimo ex æquo luderet, unā cum matre pulsus est. & tamen quamuis iuuenis uocatur puerulus, sophista ipse collatus cum sapiente. Isaac enim sapientiam, Ismael sophisticam sortitus est, sicut utriusq; personā in quibusdam dialogis exprimimus. nam sicut se habet admodum puer ad uirum perfectū, sic se habet sophista ad sapientem, & disciplinæ encyclicæ ad uirtutis scientias, In cantico etiam maiore populum uniuersum ad res nouas proclinantem insipientis & infantis ætatis nomine pueros uocat. Iustus, inquit, & sanctus dominus: peccauerunt ei pueri eius reprehensibiles, generatio praua et peruersa, hæcine redditis domino? itāne populus stultus est & non sapiens? Annon apte alloquitur homines probrū habentes in anima, per stultitiam ac dementiam sæpe labentes in rectæ uitæ actionibus, nō puerilem ætatem corporis aspiciens, sed ad mentis infantiam expertem rationis ac ueritatis. ad eundem modū & Rachel, id est formositas corporis, iunior quā Lia pulchritudine animæ describitur. nā illud mortale, hæc immortalis est: & quicquid preciosum uidetur sensibus, à sola pulchritudine animæ ut imperfectum uincitur: quapropter & Ioseph iuuenis semper ac nati minimus dicitur. cū enim

Philo. to. i. C perficitur

præficitur gregib. unâ cum germanis fratribus, iuuenis appellatur. & pater nota pro eo faciens ait: Filius accrescens minimus natus, ad me reuertere. Hic est ille qui pugnat pro omnib. corporis potentijs, externarum opum haud fictus amicus, qui senioris animæ antiquius preciosisq; bonum nondum perfectè inuenit. si enim inuenisset, uel totam Aegyptum perpetuo cursu fugiens abiisset. nunc uerò sibi placet eo quod illam nutriet alaturq; cuius bellatores ducesq; submersos ac perditos uidēs Israel hymnū deo cecinit. iuuenis est igitur moribus, qui nondum potest cum germanis uirtutib. pascere, id est brutā animæ naturā curare ac regere, sed adhuc bona quæ uidentur præfert his quæ uere sunt. quamuis autem incrementis proficiat in melius, tamen iunior ad perfectū collatus cēsetur, eum qui bonum in sola honestate collocat: quamobrem adhortans ait, Ad me reuertere: ac si dicat, seniore sententiam expete, non omnia iuueniliter age, iam tandem uirtutem propter ipsam dilige, nec tāquam puer insipiens fortunæ bonorū splendore percussus, decipi te ac falsis opinionib. repleti patere. atq; ita satis demonstratum puto, iuuenem in sacris literis sæpe uocari non ætate uigentem, sed eum qui habet animam temerariam & nouarum rerum cupidam: iam ostendemus non ætate sed honore præstantes nominari seniores. Quis enim uersatus in sacris libris ignorat, quòd ille sapientissimus Abraham breuioris æui quàm ullus penè omnium maiorum suorum inducitur: illorum tamen qui diutissime uixerunt nemo quod sciam, sed solus hic scribitur senior. dicunt igitur sacra oracula, quòd Abraham erat
senior

senior ætatis prouectæ. & Dominus benedixit Abrahamo rebusq; ipsius omnibus. quod mihi uidetur subiunctum tanquam causa præcedentium; cur senior dicatur ille sapiens. Cum enim à benigno deo bene afficitur animæ pars rationalis, nec unam modo, sed omnes benedictionis species accipit, seniliter sapit, atq; ita fit senior. sic & cari deo populi consistorium, quod cogitur ex decies septeno numero, seniores solent nominari. Dicitur enim: Conuoca mihi septuaginta uiros è senioribus Israel, quos tu ipse nosti quod seniores sint. Ergo non eos quos uulgius senes existimat, quippe curandis sacris præpositos, sed quos solus hic sapiens nouit, seniorum appellatione dignatur. quos enim hic reprobauerit tanquam bonus mensarius, falsam uirtutis monetam habentes, iuuenili temerarioq; sunt omnes animo. quos autem commendare uoluerit, probati & iuxta prudentiam seniores censendi sunt. certè utrumq; quod dixi eruditæ aures in uno legis edicto possunt agnoscere clarissime. Si habuerit, inquit, homo uxores duas, unam dilectam, alteram odiosam, & pepererint dilecta odiosaq; & fuerit filius odiosæ primogenitus, uolueritq; substantiam inter filios suos diuidere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitq; ei de his quæ habuerit cuncta duplicia. iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita. Obseruasti iam quod dilectæ filium nunquam seniore uocat aut primogenitum, odiosæ uerò filium sæpius. atqui prior ille natus, odiosæ uerò filius posterior, apparet in edicto;

principio: Si pepererint, inquit, dilecta odiosaq; . Attamen prioris partus quanquam antiquior, à rectè iudicante iunior decernitur: posterioris uerò filius quamuis prærogatiua temporis caruat, maiore antiquioreq; portione dignus habetur. Quam ob rem? quoniam harum mulierum alteram dilectam uoluptatis, alterã odiosam prudentiæ significatiuam dicimus. illius enim consuetudinem uulgus eximie diligit, esseis & ueneficijs suis allicientem homines à die natali usq; senectutem ultimam: huius autem tetricos uerēdosq; mores odit miserè: sicut insipientes pueri parentum altorumq; suorū utilia quidem, sed parū iucunda monita. ambæ in anima pariunt, altera studium uoluptatis, uirtutis altera. sed uoluptatis studium, partus imperfectus est, & nunquam non puer, modis omnibus, etiamsi ad annosam ætatem perueniat. ediuerso uirtutis amor ab incunabulis (iuxta prouerbium) in prudentiæ senatum allegitur, nunquam sensurus senium. ideo disertè dictum est de uirtutis uulgo exosse filio, quod hic sit filiorum principium, quippe natus simul & principatu primus, cui ius primogenitorum debetur lege naturæ, non iniquitate hominum. hanc igitur legem secutus propheta, quā pro scopo sibi proposuit, consequenter inducit Iacob minorem natu quàm Esau: quoniam imprudentia mox à prima ætate nobiscum coalescit, honestatis æmulatio sero nobis innascitur, quamuis suapte ui sit quàm illa antiquior. Quapropter Esau fratri cedit iure primogenitorum, quod alter sibi libenter asserit ut debitum. Huc facit & quod filijs Ioseph accidit, si inspicatur diligētius: quando numme correptus ille

ille sapiens, ad motis ad se non directè manus imposuit in capita, sed decussatim, ut læua tangeret eum qui uidebatur senior, iuniori uerò dextram imponeret. uocatur autè natu grandior Manasses, iunior uerò Ephraim. Quæ nomina si interpreteris, memoriam & reminiscentiã significare inuenies. interpretatur enim Manasses Ex obliuione, quod nomen est alterius, uidelicet reminiscencia. Nam qui reminiscitur eorum quæ oblitus est, excedit ex obliuioe. Ephraim uerò fertilitas memoriæ, appellatio conuenientissima, quia fructus utilissimus & reuera uescus est animabus, memoria in rebus indifferentibus. cæterum memoria uiris denum & robustis contingit, ideoq; iunior censetur, ob natiuitatem serotinam. obliuio uerò & reminiscencia penè alternis à prima ætate cum unoquoq; conuersantur. Quamobrè temporis prærogatiuam habent, & ad læuam statuuntur à sapiente ordinum peritissimo. uirtutis autem primogenita obuenient memoriæ, quam deus carus homo dextra dignatur, & portione potiore. Ergo postquam ad se redijt iustus ille & cognouit quid ei fecisset iunior filius, imprecationes diras exerijt. ita est profecto, quando mens ad sobrietatem redit, sentit quid à nouatrice malicia passa sit antea, quando per ebrietatem aduertere nō poterat. nunc consideremus cui maledicat. nam & hoc unum è scrutatione dignis est: quoniam non filio qui peccasse uidetur, sed huius filio, suo nepoti maledicit, cuius nullum crimen extat uel magnum uel exiguum. nam ille qui patrem curiosis oculis spectare sustinuit & spectatum irrisit, atq; etiam irridendū prodidit, Cham erat ipsius Noe

filius, in quem autem alieni peccati culpa & maledictio
 cōfertur, est Chanaā. dicitur enim: Maledictus Chanaan
 puer uerna, seruus seruorū erit suis fratribus.] Quid,
 inquam, iste commisit? animaduenterunt hoc fortasse le-
 gisperiti, quibus promptum est causas huiusmodi red-
 dere. nos uero sequendo rectam rationem, propositæ
 quæstionis solutionem scrutabimur, ubi pauca necessa-
 rio præfati fuerimus. Status & motus inter se differūt.
 ille quiescit, motus agitur, cuius duæ sunt species, alte-
 ra migratiua, altera se uoluens eodem in loco statui ger-
 manus est habitus, motui uero actus. id appposito exem-
 plo demonstrabimus euidentius. Fabrum, pictorem, agri-
 colam, musicum, & alios artifices etiam si quiescāt, nec
 in ullo uersentur harum artium opere, nihilominus so-
 lemus iam dictis uocare nominibus, quando suæ quisq;
 artis peritiā affecutus est atq; scientiam. sed ubi faber
 lignarius tractat materiem: pictor suis coloribus tem-
 peratis figuras quas uult deliniat in tabula: agricola in
 terræ sulcos iactat semina, aut palmites propagat uel
 plantat arbores, rigando riuosq; inducendo plantis ali-
 mentum necessarium suppeditās, aliāq; rustica tractans
 opera: musicus item tibijs, citharis, ceterisq; instrumen-
 tis ad omnigena metra & rhythmos apte utitur, aut o-
 missis manufactis per naturalia uocem expedire potest
 concinnam congruentemq; sonis omnibus, aliūque qui-
 cunq; artifex artē suā exercet: tum præter dicta sci-
 entiarum nomina quiddam aliud de eis prædicatur ne-
 cessariō: de fabro quod fabricet, de pictore quod iam pin-
 gat, de agricola item quod terrā colat: de musico quod
 pul

pulset citharam, aut tibia uoceq; canat, aut simile quipiam faciat. utros igitur uituperamus aut laudamus? an non eos qui agunt & operantur: si bene, laudem lucrantes: sin contrā, uituperium? qui uero scientia contenti nihil faciunt, auferunt tantum securum præmij silentij. eadem ratio in stultos competit, & in uniuersum in uirtutem atq; uitium. prudētes, temperati, fortes, iusti sunt innumeri animo, qui huc euaserunt naturæ felicitate, institutis legitimis, labore improbo peruicaciq; . cæterum pulchritudinem expressam rerum administrationibus non potuerunt ostendere propter paupertatē aut obscuritatem, aut morbum corporis calamitatesq; cæteras, quæ humanam uitam obambulāt. hi bona sua quasi uincta clausaq; possident. alij uero his solutis, dimissis, liberisq; utuntur omnibus, habentes ostentandi hæc materiam copiosissimam . prudens quidem curam uel publicæ rei uel domesticæ, ubi consulendi atq; intelligendi uim proferet: temperatus cæcas diuitias luxui seruire solitas ad uisum & meliorem usum reuocabit : iustus pro magistratus potestate dabit operam. ut suis cuique rebus frui liceat . Virtutis meditator pietatem exercebit , & parato sacerdotio curam locorum sacrorum atque ceremoniarum geret. quæ nisi accedant, sunt quidam uirtutes , sed immotæ quietæq; , quemadmodum aurum argentumq; in obscuris terræ latebris abditum ad nihil utile, ediuerso uidere licet innumeros timidos, luxuriosos, insipientes, iniustos, impios, esse intus in animo, nec tamen posse uitiorum singulorum turpitudinem exercere quod opportunitate ad peccandū careāt.

quod si se offerat qualem cupiūt occasio, terram & mare usq; ad extremos terminos implere claudibus, & nihil uel paruum uel magnum ille sum sinere, sed uno impetu subuertere corrumpereq; omnia. Quemadmodū enim uis ignis tantisper dum materia caret quiescit, qua accedente incenditur: sic quæ sunt in anima potētiae spectantes uirtutē aut uitium, extinguuntur destitutæ (ut dixi) opportunitatibus. i. tuitis autem excandescunt occasionibus. quorsum autem hæc dicta sunt? nisi ut doceamus, quod filius Noe Cham quiescentis uitij nomen habet, nepos autem iam mouentis se. Cham enim interpretatur calor, Chanaan commotio. calor autē in corpore febrem indicat, in anima uitium. nam sicut qui febre decumbit, non una quapiam parte, sed toto ægrotat corpore, ita totius animæ infirmitas est uitium. Hoc iam quiescit, iam mouetur. motum eius uates Hebraico nomine uocat Chanaan. nullus autem legislator pœnam decernit contra iniustos quiescentes, sed quoties mouentur, et exercent iniusta opera: sicut ne mordaces quidem bestias uir moderatus occidet, si absit morsus periculum. tollenda enim est ex animo crudelitas procliuis ad cædem omnium. merito igitur hic iustus uidetur seruare maledictionem suo nepoti Chanaan. uidetur, inquam, quia si non actu, potentia tamen, filio suo Cham per illum maledicit. motus enim ad peccandum Cham, ipse fit Chanaan. Vnum enim subiectum est uitium, quod nunc in statu, nunc in motu, consideratur. antiquior autem status quam motus, ut eius quod stat, id quod mouetur, uideatur progenies. ideo iuxta naturæ ordinem Cham
filius

filius Chanaan scribitur, scilicet motus quietis, ut & illud alibi dictum confirmetur, Reddens iniquitates patrum in filios in tertiam quartamq; generationē. contra hos enim effectus cogitationū et quasi partus poenae procedunt quae ipsas manebant. ni accedat factum culpabile, euasuras accusationis periculum. Quamobrem & in lege de lepra ille modis omnibus maximus Moses, motum quidem eius & serpiginem impetiginemq; proscribit ut impuram, quietem autem puram pronunciat. dicit enim: Si diffundatur in cute, contaminatum sacerdos pronuntiabit: purum uero si lucens candor eodem loco maneat. itaq; immunis est quies à uitijis & affectionibus animae. id enim per lepram subindicatur, quod non sit damnationi obnoxia: motum autem & impetum eius damnari merito. simile quiddam in sacris Geneseos literis continetur euidentius. dicitur enim ibi ad illum nequam: heus tu, peccasti, quiesce. quia peccatum propter motum, actionemq; uitiosam damnatur: quies uero propter statum & silentiū inculpabilis & salutaris est. Haetenus satis, opinor, praefati sumus: nunc execrationem quomodo se habeat inspiciamus. Maledictus, inquit, Chanaan puer, seruus erit fratrum suorum: & benedictus deus Sem, & erit Chanaan seruus eorum.] Diximus aliquando Sem communem nominis rationem habere cum bono, quando non speciale nomen habet, sed generale hoc ipsum Nomen: quia & bonum solum nominandum est, ut fausti ominis & celebratione dignum: sicut è diuerso malum infaustum nec nominandum. quid igitur bona praedito natura precatur? quod est eius no-

tum nouum & eximium, cuius mortalis nemo facit con-
 potem, à quo ceu quodam oceano copiosi perēnesq; fon-
 tes bonorum funduntur atq; profluunt? nam dominum
 deumq; mundi, omniumq; in eo contentorum, priuatim
 & per excellentiam deū Sem inuocat. quod uide quā
 sit omni fastigio sublimius. cui enim hoc contigit, totius
 mundi honorem æquat. cum enim præses curatorq; an-
 borum idem est, necessario sequitur ut & quæ curatur,
 honore sint paria. annon largissima sunt hæc munera?
 nam sensibilis mundi herus ac benefactor pronuncia-
 tur his uerbis, dominus deus: intelligibilis uerò boni ser-
 uator & benefactor tantummodo, non herus aut domi-
 nus. Quicquid enim est sapientia præditum, amicum
 deo non seruum est. id quod ipse fitetur de Abraham.
 Num cælabo ego amicum meum Abraham quid factus
 rus sim? quæ fors cuiusq; contigit, is humane felicitæ-
 tis terminos transgreditur. solus enim hic est patricius,
 quippe qui patrem ciere deum potest, solus adoptiuus
 eius filius, non diues, sed omnia possidens, qui solus de-
 liciatur in copiosis uerisq; bonis, nunquam senescenti-
 bus, perpetuo uiuentibus: non nobilis, sed bona fama ce-
 lebratus, laudem habens non adulatione adulteratam,
 sed ueritate stabilem. solus rex, quippe qui à summo re-
 ge potentiam & potestatem accepit irrefragabilem.
 solus liber, manumissus ab hera morosissima uana glo-
 ria, quā efferentem se supra modum ex arce superna li-
 berator deus deiecit. hunc tantis, tam eximijs cōfertisq;
 bonis dignū habitū quid decet facere, nisi sermonibus,
 cāticis, hymnis benefactori suo gratias agere? et hoc est,
 ut

ut mihi fit uerisimile, quod his uerbis subindicatur: *benedictus deus Sem.*] Quoniam qui deum in sortem accepit, is merito debet eum solum laudare ac benedicere, quando hoc tantum habet quod reponat, nec ualet referre ullam aliam gratiam. hæc sunt uota pro Sem facta: iam quæ pro Iapheth fecit qualia sint uideamus. Dilatet, inquit, deus Iapheth, & habitet in domibus Sem, & fiat Chanaan seruus eorum.] Eius qui solam honestatē bonum existimat, finis est breuior. in tanta enim rerum nos circumstantium copia, ad solam mentem restrictam se applicat. Eius autem qui tria facit bonorum genera, animi, corporis, externa, rem concidens in multas particulas dissimiles, finis dilatatur. Quapropter proprie huic precatur latitudinem, ut etiam uirtutibus animæ, prudentia, temperantia, cæterisq; singulis uti ualeat, præterq; sanitate corporis, integritate sensuum, uiribus & robore, & id genus rebus alijs. adhæc externis quoq; lucris, quæ ad diuitias, gloriam, usum fructum necessariorum uoluptatum faciunt. hæc de latitudine. Considerandum cui precetur, ut in domibus Sem habitet. non satis enim id declarauit. Possumus tamen dicere, eum de omnipotente hoc uelle intelligi. Quæ enim domus in omni creatura inuenitur dignior quam deus inhabitet, præter animam perfecte purgatam, quæ solum honestū bonum existimat, cætera censet rationi subdita, & huic debere obsequium. dicitur autem in domo habitare, nō ut in loco: continet enim omnia, ipse à nulla re continetur: sed tanquam illius loci curam genes præcipuam. Quisquis enim domū possidet, necesse habet ut ei prouideat.

Proa

Proinde in quemcūq; bonum illud deo carum impluit, petat ut omnipotens in ipso habitare dignetur: ut paruum hoc ædificium, mentem uidelicet, in altum sublatū à terra extremo celo inserat. cæterum precationis uerba pulchre coaptantur. nam Sem tanquam radix uirtutis honestatisq; supponitur, ex qua frugifera planta sapiēs ille Abraham succreuit, ex quo nata progenies ille à se ipso doctus Isaac fructus est, ex quo rursus per labores seminantur uirtutes, in quibus decertat Iacob ad luctam cum affectibus exercitatus per angelos, ratione unctus non oleo. ab hoc principe duodecim tribus descendunt, quas diuina oracula aiunt esse regnum & sacerdotium dei, à primo Sem egregie procedente serie, iuxta uotum deo domos eius in habitante. Est enim regis domus regia, reuera sacra solaq; ius asyli habēs. possumus tamen fortasse uotum hoc, & ad Iapheth referre, ut in domibus Sem habitet. nam ei qui etiam corporis commoda & externa lucra in bonis numerat, precari conuenit ut ad solum animæ bonum recurrat, ne in tota sua uita aberret à uera opinione, quæ sceleratissimis etiam execratissimisq; contingunt bona existimās, ut sanitatem, pecuniæ copiam, & id genus alia, cum uera bona malo nulli obueniant: nihil enim malo bonoq; commune esse natura uoluit. Quapropter tantum uotis felicitas ista expetitur, cuius finem non potest quisquam insipiens assequi. hunc finem ille primus probæ posteritatis autor scribitur optare cuidam è domesticis, dicēs: Ad me reuertere: ut reuersus in eius sententiam, & solū honestum tanquam bonum complexus, à tergo relin-

quat

quat diuersas de uero bono existimationes. habitet igitur in domibus illius animæ quæ solum honestū esse bonum asserit, omīssis aliorum domicilijs, qui & corporis bona & externa habent in pretio. non immerito tamē insipientem in seruitutem addicit uirtutis cultoribus: ut aut sub dominatione potiorum ad meliorem uiuendi rationem transeat: aut si pergat esse improbus, facile pro potestate castigetur à suis dominis.

PHILONIS IV=

DAEI, DE GIGANTIBUS Liber.



T factum est quando cœperunt homines multiplicari super terrā, & natæ sunt eis filię.] Quærendum, opinor, cur post natiuitatem Noe filiorumq; illius, humanum genus multiplicatū sit. Fortassis in promptu causa est.

Semper enim collatus cum paucis, magnus numerus contrariorum inuenitur. Ideo generosa unius indoles, multorum prauum ingenium coarguit. Siquidē pauca quædam quæ fiunt ex arte ac scientia, uel quæ bona & honesta sunt, produnt quā ingens multitudo inertium, ignarorum, iniustorum, & in uniuersum nequā hominū in suis tenebris latuerit. Viden quòd & in hoc quā late

late patet mundo sol unus immensas latissimeq; terra et mari diffusas tenebras quam primum affulget, dispellit? Merito igitur etiam huius Noe iusti natiuitas eiusq; filiorum ostendit diuersam iniustorum multitudinē. Natura enim ita comparatum est, ut contraria eluceāt per contraria. Ceterū nemo iniustus seminat in anima prolem masculam, sed qui sunt ipsi parum uiriles, fracti et foeminatiq; cogitationibus et sententijs, gignunt foeminas, ut expertes uirtutis feracis non nisi bonorum fructuum, et plantatores omnium uitiorum affectionūq; quarū muliebria sunt germina. Quā de causa filias homines hi genuisse dicuntur, nemo ex his filios. Quomā enim Noe iustus mares gignit, quippe qui rectam masculamq; rationem sequitur, hoc ipso uulgus iniustū foeminas gignere ostenditur citra controuersiam. Non est enim possibile ut à contrarijs eadem gignantur, sed contraria. Viderunt angeli Dei filias hominū, quod essent pulchræ, et acceperunt sibi ex omnib. quas elegerāt.] Quos alij philosophi genios, Moses solet uocare angelos. Hi sunt animæ uolitantes per aerē. Nec est cur quisquam hoc fabulosum existimet. Necessum est enim ut totus mundus in omnibus sui partibus animata habeat, quando primariæ partes eius elementares sibi apta continent animalia, terra terrestria, mare ac amnes aquatilia, ignis ex igne genita: quæ feruntur plurima nasci in Macedonia. Cælum item sidera. Hæc enim in totū sunt animæ immortales diuinæq;, et ideo mouentur in orbem, qui motus menti cognatus est. Horum enim singulorū mens est integerrima. Proinde necessario sequitur,

ut & aer sit plenus suis animalibus. Hæc autem nobis sunt inuisibilia, cum & ipse non sit sensui uisibilis. Non tamen ideo quia non possumus animarum figuras uisus assequi, aer eis est uacuuus. Comprehendere autem eas intellectu necesse est, ut simile contemplemur per simile. Nec enim negabimus omnib. terrestribus, aquatilibusq; uitam per aerem & spiritum contingere. Quid pestilentia, nonne aere uitiato solet accidere, qui singulos animat? idem quando illæsus est & innocuus, qualis solet esse flantibus auris septentrionalibus, nonne haustus purioris spiritus multum ad incolumitatē proficit? & credimus eum qui alias aquatiles terrestresq; animantes animat, carere animabus proprijs? imò contrarium est credibilius, etiamsi reliqua elementa nihil animalium gignerent, tamen solum aerem animalia parere, quando singulari opificis gratia indita sunt huic animarum semina. Harum quædam descenderunt in corpora: quædam semper abhorrent ab omnibus terræ partibus. Harum sibi sacratarum ministerijs summus ille parens & opifex uti solet in administrandis rebus mortalium. At illæ alteræ tanquam in flumen descendentes in corpus, aliæ quando rapidissimis eius absorbentur gurgitibus: aliæ quando eluctatæ contra impetum, primum enatant, dein de reuolant illuc unde auolauerant. Hæ sunt animæ supernam quandam doctræ philosophiam, quæ ab initio finem usq; meditantur mortem corporum, ut incorpoream incorruptibilemq; uitam apud illum ingenitū incorruptibilemq; adipiscantur. At quæ submerguntur, sunt reliquorum hominum, qui neglecta sapientia dedigerunt

derunt se incertis fortunæ flatibus; quorum nullus fert ad optimam nostri partem mentem uidelicet, sed omnes ad cognatum nobis corpus cadauerosum, aut ad res magis quàm hoc inanimes, puta gloriam, pecuniam, potestates, honores, & cætera quæ homines nunquam uera bona contemplati, fingunt pinguntq; sibi decepti uanis opinionibus. proinde si cogites, animas, genios, angelos, non tam re differre quàm nominibus, exoneraberis superstitionis onere grauiſſimo. Quemadmodum autem uulgus dicit bonos malosq; genios, & ſimiliter animas, ſic etiam angelos: alteros qui boni uocantur, legatos quosdam ultro citroq; comiteantes inter deum & homines, ſacroſanctos propter hoc inculpabile pulcherriſimumq; miniſterium: alteros ediuerſo profanos ac iſefarios, quos & ipſe abominandos haud falſo dixeris. Teſtis eſt hymnographus, cuius ſunt hæc uerba in quodã cantico: Emiſit in eos iram furoris ſui, furorem, iram, oppreſſionemq; immiſſionẽ per malos angelos. hi ſunt illi mali angelorum nomen uſurpantes, qui rectæ rationis filias ſcientias & uirtutes neſciunt, morti autem obnoxias hominum mortalium progenies conſectantur, quæ nullam natiuam ſecum afferunt pulchritudinem ſola mente uiſibilem, ſed fucatam formam qua ſenſus decipitur. Accipiunt uero non eaſdem omnes filias, ſed alias alij ſelectas ſibi ex innumeris. Quidam per uiſum, quidam per auditum, quidam per guſtum & uentrem, quidam per ea quæ ſub uentre ſunt, quidam etiam per remotiſſimas occaſiones intendendo ſuas concupiſcentias uarias. in talibus impoſſibile eſt manere ac perennare
Dei

Dei spiritum, sicut ipse legislator indicat. Dixit, inquit, dominus deus: Nō permanebit spiritus meus in his hominibus in seculum, quia caro sunt.] Manet enim interdum, sed nō permanet apud nostrum plerumque. Quis enim est adeo rationis expers aut animæ, ut nulla unquam de optimo illo maximoque eum uolentem nolentē ue subierit cogitatio? imō uel scelestissimis obuersatur nonnunquam repentina honestatis imaginatio, quam tamen apprehendere & apud se retinere nequeūt. Statim enim discedit emigratque: è tali domicilio, non ferens ius & fas inde profligatum esse: quales nunquam accedit, nisi ut coarguat eos honestis prætulisse turpia. Dicitur autem Dei spiritus, uno modo acr fluens supra terram, tertium elementum quod super aquam uehitur: quamobrem in opificio mundi ait: Spiritus Dei ferebatur super aquā. Aer enim cum sit leuis attollitur & sursum fertur, aquam pro basi habens. Altero autem modo, immortalis illa scientia, cuius omnis sapiens merito fit particeps. Id ostēditur in artifice ac opifice sacri operis, his uerbis: Excuiuit Deus Beselelem, & implcuit eū diuino spiritu, sapientiæ, intellectus, scientiæ, ad omne opus excogitandum. Quibus uerbis definitiue quid sit Dei spiritus describitur. Talis est etiam Mosis spiritus, qui uisitare solet illos septuaginta seniores, ut fiant præstantiores cæteris, & reddantur meliores, nō futuri uere presbyteri, nisi participatione illius sapientissimi spiritus. Sic enim dicitur: Auferam de spiritu qui in te est, & imponā in septuaginta seniores. Sed caue putes hanc ablationē fieri per abscisionē disunctionēque; imò potius

Philos. to. I, D qualis

Philo, to, i,

D

qualis

qualis ab igne fit: qui etiā si faces innumeras accenderit, idē manet ne tātillū quidem diminutus. Talis est natura etiā scientiæ. Postquā enim discipulos et familiares peritos oēs reddidit, nihilo diminuitur: nōnunquā augetur. etiā, sicut narrāt de fontibus, qui frequentātur ab aquatoribus. Nā & hos fertur hoc modo dulciores fieri. Sic cōtinua colloquia, meditationē & exercitiū asserentia, perfectionē absoluūt. Quod si proprius ipsius Moysi spiritus, aut cuiusvis creature, tātæ multitudini familiarū distribuēdus fuisset, in tot portiōes concisus, utiq; diminueretur. Nunc autē spiritus ille sapiēs, qui inest ei, diuinus est, insecabilis, indiuisibilis, probus, qui ubiq; implet omnia, qui prodest absq; suo detrinēto impartitus alteri, ut nihil decedat ipsius intellectui, scientiæ, sapientiæ. Quapropter fieri potest, ut spiritus Dei maneat in anima, ut autē permaneat impossibile est, sicut diximus. & quid mirū? quādo ne aliarū quidem rerū ullā possessio firma & cōstans est, in tot mutationib. alijs super alias. Causa autē inscitæ præcipua caro est, & cū hac intercedēs familiaritas: sicut ipse fatetur, qui dicit, ideo non posse spiritū Dei permanere, quia caro sint. Certe & coniugiū, liberorū educatio, parādæ rei familiaris necessitas, obscuritas, egestas, negotia tū priuata tū publica, & cetera innumera sapientiā adhuc florentē arefaciunt. Sed nihil ei tāto impedimēto est, quanto natura carniū. Hæc enim tanquā fundamentū ignorantiæ ineruditionisq; primū ac maximū subiicitur, super quod illæ edificātur. Animæ enim carnis expertes & corporis, desidētes totos dies in hoc amplissimō uniuersitatis theatro, uidēdo

audien=

audiēdoq; res diuinas, quas insatiabiliter expetūt, fruū
 tur uoluptate interpellata à nemine. Quæ uero grauā
 tur carnū sarcinis, depressæ ab his nequeūt os ad cele
 stes cursus attollere, sed ceruice demissa, more quadrupē
 dū, pronæ ad terrā affiguntur. Quapropter legislator
 sublaturus è medio cōcubitus incestos & illegitimos, in
 hunc modū præfatur. Homo homo, ad oēm domesticū
 carnis suæ non accedet, ut reuellet eius turpitudinē: ego
 Dominus. Quomodo posset quis magis adhortari ad
 contemptum carnis & eorum, quæ carni amica sunt, q̃
 uerbis his? atqui nō solum dehortatur, sed & certò pro
 nunciat, quòd quisquis uere homo est, non accedet un
 quā sponte ad amicas cognatasq; corporis uoluptates,
 semper alienare se ab eis meditans. Siquidē hæc uox ho
 mo iterata significat, nō cōpositum ex anima & corpo
 re, sed uirtutib. præditum hominē. nam hic est illeuerus,
 quē è priscis quidā accensa meridie lucerna, per contāti
 bus obuijs, hominē aiebat se querere. Quod aut uetitū
 est, ne quis accedat ad quēcunq; carnis domesticum, hæ
 bet rationē necessariam. Quædā enim admittenda sunt,
 ut cōmoda ista, quorū usu sanitatem tuemur. Superflua
 uero in malam rem ableganda, à quibus accensæ concu
 piscentiæ absument oēs uirtutes uno incendio. Proinde
 nō ad omnia quæ carni amica sunt, appetitus excitetur.
 uoluptates enim ferocientes per sæpe canū more adblan
 ditæ, repēte mutatæ morsum infigūt insanabilem. itaq;
 uirtutis amicā frugalitatē complexi præ caris corpori,
 turbam ingentē hostium pertinacium profligabimus.
 Quod si quando tempus improbe postularit, ut suprà

sufficientem modum accipiamus aliquid, ipsi tamen non accedamus. Dicit enim: Non accedet ipse reuelare turpitudinem. Hoc explicandum est quid sit. Sæpenumero quidam qui nullas congefferunt pecunias, tamen in re lauta fuerunt. Alij minime cupidi gloriæ, consensu ciuium laudati honoratiq; sunt. Quibusdam præter omnem spem magnum robur contigit. Omnes isti discant non esse accedendum mente ad quicquam talium: hoc est, non esse hæc ultra modum suspicienda, sed sic existimandū, hæc singula adeo non esse bona, ut sæpe magnam cladem asferat uel pecunia uel gloria uel robur corporis. Sunt enim hi proprij redditus, auarorum pecunia, ambitiosorum gloria, robur uero istorum qui certaminibus delectantur & gymnasiis: qui omnes animam præstantiorem dederunt in seruitutem deterioribus rebus inanimis. sed quicunq; secum habitant, splendidas istas & multis concupitas felicitates intellectus imperio subiiciunt. accipiendo eas quoties ultro ueniunt in rectum usum, sed longe distitas non accedendo, quippe qui uel sine his possunt felices euadere. Quisquis autem has est propinquo & uestigio sequitur, replet philosophiam opinionibus turpibus, & ideo turpitudinem retegere dicitur. Nonne in propatulo sunt probra istorum qui se uocant sapientes, dum sapientiam uili pretio tanquam sub hasta in foro uenditant, nunc præsentis lucro exiguo, nunc blanditijs suauiloquis, nunc pollicitationibus quouis somnio uanioribus. Quod autem subiungitur, Ego dominus, perpulchre apteq; ad docendum dictum est. Quasi dicat: confite bene uir, bonum carnis cum bono animæ cetera

terarumq; rerum omnium. illud carnale bruta uoluptas est. Hoc uero uniuersale diuina mens numenq; quod regit omnia. Bella collatio, quæ possit similitudine fallere: ac si quis animata cum inanimis, bruta cum rationalibus, congrua cum incongruis, paria cum imparibus, lucem cum tenebris, diem cum nocte, deniq; omnia cōtraria cum contrarijs confrat, & hæc prorsus eadem esse contendat. Atqui hæc tametsi cognationem quandam ut creata habeant, tamen Deus ne præstantissimæ quidem creaturæ similis est. quoniam quæuis creatura patitur, ille ingenitus est & semper agit. Bonum sanè fuerit non deferere constitutum diuinitus ordinem, in quo res gerenda est fortiter: nec transfugere ad effœminatam fractamq; uoluptatem, cuius amicitia nocet, prodest inimicitia. mirificam enim habet naturā: quos suis bonis dignatur eos mulctat continuò: quos uero his priuat, eos adiuuat maxime. Nocent enim eius munera, quæ mox ablata profunt. Proinde ô anima, si quod uoluptatis amatorium te inuitat poculum, declina ab eo & auersis oculis in genuinam natiuamq; uirtutis pulchritudinem, perge illam intueri, donec amore huius correpta, traharis tanquam à magnete, ut attracta cum adamata cohæreas. Cæterum hæ uoces, Ego dominus, non sic tantum accipi debent, ac si diceret, ego perfectum incorruptibile uerumq; bonum, quod quisquis cōplexus fuerit, spernet ista imperfecta carni hærentiæ: sed perinde quasi diceret, ego princeps, rex & dominus. Nec subditis in principum præsentia, nec seruis coram heris, tutum est iniq; agere. Cum enim præsto sunt

castigatores, timor continet in officio, quos non admonet suum ingenium. Prope est enim deus qui replet omnia: cuius conspectum ac presentiam si non reueremur, certe inuictam potentiam, & seueritatem ineuitabilem metuendo cōtinēbimus nos à maleficio, reputātes quā grauit̃ aliquando soleat animaduert̃: ne sapientiæ spiritus diuinus à nobis demigret facile, sed quā longissimo apud nos perseueret tempore: quemadmodum apud Mosē illum sapientissimū. Nam hic utitur pacatissimis habitibus & quietissimis, aut stans aut sedēs, haudquaquam natus ad mutationes motusq; uarios. Dicit enim: Mosēs & cista non mouebantur, siue quia uir sapiens nunquam à uirtute separari potest, siue quia & uirtus est immobilis, & uir probus immutabilis, quod ambo in recta ratione stabiliuntur. & rursum alibi: Tu uero hic sta mecum, oraculum enim hoc prophetae reditum est, de statione quieteq; immota apud deum nunquam mobilem. Necesse est enim rectum fieri quicquid applicatur ad sanam regulam. Et hoc est cur mihi uideatur nimius fastus cognomine Iothor, perculsus indeflexo semperq; sui simili proposito uiri sapientissimi exclaimare scitando in hunc modum: Cur tu sedes solus? Qui enim considerat in media pace bellum continuum, non inter gentes, regna, ciuitatesq; subinde nascēs, sed in singulis domibus, imo singulis hominibus, merito miratur posse aliquem frui serenitate in hieme, & tranquillitate in fluctibus. Vides quod ne ratio quidem summa sacerdos, quæ semper immoratur & uacat sanctis dogmatibus, omni tēpore habet ea uisendi licentiā, sed uix semel annis

annis singulis? Quicquid enim effertur sermone, non est in tuto, cum ad duos pertineat. Quando autem sine uoce anima sola contemplatur eum Qui est, res est securissima, constabilita in unitate indiuisibili. Quemadmodum igitur in multis, id est multos uitæ fines sibi proponentibus, Dei spiritus non permanet, etiamsi apud eos uersetur ad tempus exiguum, sed uni tantum generi præsens est, quod exutum natiuis affectibus, intra uelum quo opiniones excluduntur penetrat ad deum expeditis nudisq; cogitationibus: sic & Moses extra castra totius corporalis exercitus fixo sibi tentorio, id est mente erecta & in nullam partem proclinante, adorare deum incipit: ingressusq; caliginem loci non conspiciui, manet illic, & initiatur mysterijs sanctissimis. Nec hoc contentus etiam alios his orgijs initiat, doctor rerum diuinarum, quas interpretatur purgatis auribus. huic certè semper adest dei spiritus, in omnem rectam uiam deducens. ab alijs, ut iam dixi, discedit ocissimè, quibus & uitæ præfinit terminum. dicit enim: Erunt dies eorum anni centum uiginti. sed Moses quoq; post expletum hunc annorum numerum è mortali uita demigrat. & qui potest æquum uideri, ut noxij pares fiant ætate uati tam sapienti? In præsentia hoc solum sat erit dicere, quæ nomine communicant non omnino esse similia. interdum etiam diuersa toto genere, ut uile ac probatum possint esse paria uel numero uel tempore: quando inducuntur & in geminis: cæterum uires habent distantissimas inter se diuersissimasq; diligentiorè autem disputationè de CXX annis differemus quousque propheticam uitam totam

examinabimus, ubi ad eius mysteria fuerimus idonei, nunc sequamur textus ordinem. Gigantes autem erāt in terra diebus illis.] Aliquis fortè putat quæ poëtæ de gigantibus fabulatur hic legislatorem subindicare, cum hæc inmensum distent à fabulis, & ipsis ueritatis inhæreant uestigijs. Ideò laudatas elegantesq; artes picturam atq; statuariam è sua republica reiecit, quòd ueritatem mendacijs uitient, illudentes per oculos animabus facilibus & credulis. Nullam igitur de gigantibus affert fabulam: sed illud te docere uult, alios esse terræ, alios cæli, alios dei homines. Terræ quidem eos qui uenantur uoluptates corporis, & harum usumfructum, quærendo undecunq; singularum materiam. Cæli autem eos qui tenent artes ac scientias, aut eas scclantur. Quod enim nostri cæleste est, mens est: quæ & motus cæli considerat, & in reliquis exercet se artibus liberalibus, acumen intelligendis huiusmodi rebus sibi comparans. Dei uerò homines sacerdotes & prophetæ sunt, quorum maior est dignitas, quàm ut se misceant humanæ reipublicæ, et mundi ciues sint: sed sublimiores omnibus rebus sensibilibus, migrarunt in mundum intelligibilem, ibi sortiti domicilium, ascripti reipublicæ idearum incorporearum & incorruptibilium. Proinde Abraham quam diu hærebat in Chaldæorum terra opinioneq;, & nondum mutato nomine uocabatur Abram, homo cæli erat, sublimis æthereq; naturæ scrutator, in effectib. eorumq; causis & id genus alijs philosophādo: ex quo studio & appellationem præsentem sibi quæsiuit. Abram enim interpretatur pater sublimis, nomen conueniens conside-

ranti

ranti sublimia cælestiaq; intellectui, præsertim cum concreta huius naturæ nostræ pater sit intellectus pertingens ad ætherem & ulterius. Sed quando iam seipso melior nomē mutaturus est, fit homo Dei, iuxta redditum sibi oraculum, Ego sum deus tuus. da operam ut mihi te approbes, & esto inculpabilis. Quod si unus totius mundi deus, ob priuatum affectum dicitur huius uiri deus, necessario ipse quoq; dei est. Interpretatur enim Abraham pater electus soni, id est intellectus probi uiri. est enim electus, purgatus, & pater uocis quæ consonamus. talis autem uni deo dedicatur, cuius affecta factus, totius suæ uitæ semitam dirigit, incedens per uiam uere regiæ, scilicet omnipotentis regis unici, in neutrum latus declinans & digrediens. at filij terræ mente sua exorbitantes, & puteos fodientes in inanima immobilisq; natura carniū (facti sunt duo in carnem unam, inquit legislator) adulterauerunt nomisma optimum, desertoq; meliore ordine suo, ad deteriore contrariumq; transfugerunt, Nebrod huius facti principe. Dicit enim legislator, Hic cœpit esse gigas super terram. interpretatur autem Nebrod transfugium. Non enim satis erat miserrimæ animæ neutrarum esse partium, sed accedens ad hostes arma sumpsit contra socios, & apertum his bellum intulit. Ideo Nebrodis regnum fuisse traditur Babylon, id est transpositio, eadem res quæ transfugium, pari congnatione rerum ac nominum. Quisquis enim molitur transfugere, mentem mutat & transponit. Consequens igitur est iuxta Mosē sanctissimum, malum uirum esse non modo extorrem & exulem, sed etiam transfugam:

bonum uerò, constantissimum socium. Hactenus de gigantibus dixisse contenti, transeamus ad sequentia. Sunt autem hæc.

PHILONIS IVDÆI, QVOD DEVS SIT immutabilis, Liber.



Ostea, inquit, cū ingressi essent angeli dei ad filias hominū, illæ genuerunt eis.] Quærendum quid sibi uelit illud postea. Est relatio, indicans aliquid ex præcedētibz. Præcessit autem mentio de diuino spiritu, quem permanere seculis omnibus in multifaria multiformiq; anima, induta ponderosissimis carnibus, dictu est perdifficile. Post illum spiritum angeli ad filias hominum ingrediuntur. Etenim quantisper anima illustratur purissimis intelligentiæ radijs, per quos deum & eius potentias uidet sapiens, nullus nequam angelus subintrat cogitationem, sed extra locum asperzione lustratum omnes excluduntur. ubi uerò hebetatum mentis lumen fit opacius, illi tenebrarum amici arrepta occasione fortuita, cum affectionibus effœminatis, quæ hic uocantur filia hominum, congressi gignunt sibi, non deo. Quod enim propriè deo gignitur, uirtutes sunt integræ: sicut depræ-

deprauata uitia ad cognitionem malorum pertinent. Proinde discere si uis, ô mens, non tibi ipsi gignere, exemplo Abrahami perfectissimi, qui dilectum, unigenitum, animæ germanum filium, effigiem à se ipsa doctæ sapientis, nomine Isaac offert deo, & reddit magna cum alacritate, quasi necessariam debitamq; gratiam, uinctum pedibus, ut ait lex, & noui generis uictimam: siue quia iam nihil mortale deo destinatus calcare dignabatur: siue quia uidit creaturam esse instabilem, postquã cognouit firmitatem eius Qui est certissimam, cui credidisse dicitur. Huic succedit Anna ipsius discipula, donum diuinæ sapientiæ interpretatur enim hoc nomē gratia. Hæc enim diuino semine grauida, ubi perfectum parire tempus aduenit, enixa est morem deo sacratum, cui faustum nomen imposuit Samuel, quod interpretatur ordinatus deo. moxq; acceptum datori reddit, nullum suum proprium bonum iudicās, nisi ex diuina gratia. Sic enim in primo Regnorum ipsa loquitur: Do tibi eum donum. ac si dicat eum qui donum est, id est dono gratuito acceptum tibi do: iuxta illud dictum Moysis sanctissimi: Dona mea, munera mea, sacrificia mea seruabilis offerre mihi. Cui enim gratia debetur nisi deo? aut quomodo ei referetur, nisi per hæc ipsa quæ accepimus? nec enim aliunde licet capere. Qui nullius indigus offerri sibi postulat propter summam suam erga genus nostrum benignitatem: ut per studium cultus diuini & gratiarū actionis puri fiamus ab iniquitatibus, & abstergamus uitæ sordes contractas uel uerbis uel operibus. Est enim stultitia, cum templa nō subeas nisi corpore à balineis nitido,

nota

uota sacraq; facere mente impura contaminataq; atqui
 templa è saxorum lignorumq; inanima constant mate-
 ria. Et cum nefas sit corpus suapte natura inanime ina-
 nima tangere: ferendum uidetur, ut deum purissimū ac-
 cedat quis impuram habens animam, nisi mox sequatur
 poenitentia? Quisquis enim nullius præteriti peccati si-
 bi conscius, etiam uetera conatur eluere, accedat bono
 animo. sin minus, absistat cum impurus sit. non poterit
 enim fallere perspicientem mentis sinus intimos, & in-
 ambulātem in eius penetralibus. Caterum animam deo
 caram pulchrè describit etiam illud canticum: Sterilis
 peperit septem, fœcunda uerò defecit. Atqui unius Sa-
 muelis mater est quæ hæc dicit, & quomodo ait septem
 se peperisse, nisi quis unitatis & septenarij naturam ean-
 dem existimat, non solum in numeris, sed & in mundi to-
 tius harmonia, & in animæ probæ rationibus. Samuel
 enim in solius dei ministrorum ordinem ascitus, nemini
 præterea seruiens, ab uno & ente honestatur. qui status
 est septenarij, animæ in deo requiescentis, & nullis mor-
 talibus occupatæ negocijs: quādo excedit senarium, qui
 attributus est primatum assequi non ualentibus, & in
 secundo gradu consistere necesse habentibus. sterilem igitur
 non iam effœtam, sed etiam nunc uigentem, in forti-
 tudinis tolerantiaq; studio decertantē ob opimum præ-
 mium, credibile est septenarium unitati honore parem
 parere, quorum numerorum fœcunda & prolifica na-
 tura est. fœcundam uerò illam ait desisse gignere libe-
 ros, idq; uerè ac euidenter. quando enim anima cum sit
 unica multos parit ab uno illo disiuncta, merito fit nu-
 merosissima

merofissima. deinde grauata oppressaq; multitudi-
 natorum à se pendentium, quorum plerique immatur
 abortiuq; sunt, uiribus deficit. parit enim quicquid ad
 formas coloresq; pertinet, per oculorum concupiscen-
 tiam: quicquid ad uoces, per aurium. prægnas fit etiam
 ex uentris & eorum quæ sub uentre sunt desiderijs. itaq;
 grauata natorum ex se pendentium tanto numero, ma-
 nibus præ languore demissis deficit. ad quæ modum uin-
 ci contingit omnibus, qui corruptibiles ipsi gignunt sibi
 corruptibilia. nonnulli uerò non solum uinci, sed & mo-
 ri sustinent, nimis amoris sui dediti. Vt ille Onan, qui sen-
 tiens semen sibi non profuturum, non prius desuit ratio-
 nale genus in rebus præstantissimum corrumpere, quàm
 ipse totus perijt. & merito. Nam si omnes omnia sui cau-
 sa facturi sunt, nihil parentum honorem, liberorum di-
 sciplinam, patriæ salutem, legum incolumitatem, gen-
 tium constitutionem, non ullum priuatum publicumue
 officium, non sacrorum ceremonias, non pietatem erga
 deum curando, erunt infortunatissimi. nam unumquodq;
 ex his quæ diximus, uel periculo uitæ redimendum est.
 at isti hæc cuncta expetenda tantopere, faciliè contem-
 nunt, si nihil uoluptatis afferant. Quapropter deus iu-
 stus iudex hanc immanem opinionem quæ nominatur
 Onan tollit è medio. nec minus abominandi sunt omnes
 qui sibipsis generant, id est qui propriam tantum utili-
 tatem captant contemptis cæteris, tanquam sibi solis na-
 ti, non item innumeris alijs, patri, matri, uxori, liberis,
 humano generi: & hoc amplius, si dicere fas est, calo-
 ræ, uniuerso mundo, scientijs, uirtutibus, patri ac re-
 gni

flori uniuersorum, quorum singulis quantum licet red-
 dendum est debitum officium: & sic cogitandum cuiq;
 nō propter ipsum facta esse cætera, sed ipsum esse aucta-
 rium rerum omnium. Verū de his satis, contexamus se-
 quentia. Vidēs dominus deus quòd multa malitia homi-
 num esset in terra, & omnis eorum intentio prona esset
 ad malum toto uitæ tempore, recogitauit deus quòd ho-
 minem fecisset in terra. dixitq; deus intra se: Delebo ho-
 minem quem creauì à facie terræ.] Non deerunt for-
 tassis nefarij quidam qui suspicabuntur legislatorē sub-
 indicare, pœnituisse opificem creati hominis, uisa tanta
 impietate, uoluisseq; hac de causa uniuersum id genus
 extinguere. Hi sciāt se istiusmodi opinione subleuare ac
 extenuare peccata priscorum hominum, si conferantur
 cum ipsorum impietate. Quod enim potest esse grauius
 erratum contra deum, quā credere mutari eum cum
 sit immutabilis? quamuis quidam opinantur, ne homi-
 nes quidem ueros ambigere incertis sententijs. nam sin-
 ceros philosophos hunc præcipuum ex sua scientia fru-
 ctum decerpere, quod non mutantur unā cum negocijs,
 sed inflexa cōstantia se adaptāt rebus omnibus. Quin
 & legislator probat hoc trāquillitatis studium. dictum
 enim illud ad sapientem ex persona dei: Tu uerò hic sta
 mecum: mentem fixam & à recto nusquā dimotam com-
 mendat. est enim profecto mirandum, si quis lyre in mo-
 dum animam musica arte coaptatam, nō sonis acutis et
 grauibus, sed rerum inter se contrariarum scientia, &
 meliorum ex his delectu, neq; intendat plus æquo, neq;
 remittat, emollita uirtutum rerumq; suapte natura ho-
 nestarum

QVOD DEVS SIT IMMVT. 415

nestarum harmonia, conseruans eam in eodem temperamento concinne pulsandi psallendiq; hoc enim instrumentum natura fecit absolutissimum, quod imitatur manufacta organa. id si quis pulchrè temperauerit, efficiet symphoniam longè optimam, quæ non in sonora uocis fractos tonos desinit, sed in laudata uitæ officia. Ergo cum hominis anima tempestatè, subitis uehementibusq; uitiorum procellis irruentibus excitata, scientiæ sapientiæq; auris componat, sedatisq; tumidis undis ad tranquillitatem reducat: dubitas an ille incorruptibilis, beatus, uirtutis, perfectionis, felicitatisq; potens, non egeat mutatione sententiæ, sed immaneat primis consilijs, non supponens alia? siquidem humana facillè mutantur, uel propter ipsorum hominum, uel propter negotiorum inconstantiam. Verbi gratia: amicos eligimus sæpe, quos post non longam consuetudinem ob nullam ipsorum culpam auersamur, & in loco inimicorum aut certè ignotorum habemus. hoc factum leuissimam facilitatem nostram arguit, qui non possumus perseuerare in pristino proposito. at deus non uertit fauorem in fastidium. interdum tamen statuimus manere in sententiâ: sed familiares non manent sui similes. itaq; necessario noster quoq; animus unâ cum eis mutatur. præuidere enim futuros negotiorum exitus, aut sententias aliorum, nemini mortali est possibile: deo autem, ut in luce purissima, omnia sunt conspicua. penetrans enim sinus intimos animæ, uidet quæ non cernuntur alijs, & pro sua providentiâ præsciëntiaq; quæ uirtutes ei peculiæ res sunt, nihil abuti libertate sinit, et suæ potestati eximi.

quan-

quandoquidem etiam futurorum incertitudo non cadit in ipsum: apud quem nec futurum est quicquam nec incertum. Liquet igitur necessario sequi ut & parenti sua progenies, & opifici suum opificium, & curatori sua quæ ab eo curantur, nota sint. Deus autem reuera pater, artifex, curator est rerum quæ cælo mundoq; continentur omnium. Atqui futura obscurantur à uenturo tempore, nunc breuiore, nunc longiore. Deus uerò & temporis est opifex. est enim pater patris eius: mundus uerò pater temporis, quod motu suo progenerat. itaq; tempus nepotis dei seriem obtinet. mundus enim hic iunior dei filius est, utpote sensibilis. senior enim hoc non traditur, sed intelligitur: qui pro iure primogenituræ apud patrem manet. Ceterum iunior filius sensibilis motu suo naturam temporis fecit existere. itaq; apud deum nihil futurum est, cui subijciuntur etiam termini temporum. Namq; non tempus, sed temporis exemplar æuum, uita superiorum est. in æuo autem nihil præterijt, nihil futurum est, sed præsens tantummodo. Postquam igitur satis declarauimus, non poenitere eum Qui est, restat ut doceamus quid sit illud Recogitauit deus quòd fecisset hominem in terra, dixitq; intra se.] Cogitationem de liberationemq; alteram intus reconditam, alteram iam certo prolatam, duas potentias opifex rerum cum habeat, eisq; utatur, opera sua considerat: quæ ordinem non deserunt, & in officio manet, comprobat: in ea quæ deficiunt, nec seruant ordinem, animaduertit. Corporibus enim alijs habitum, alijs naturam, alijs animam, alijs rationalem animam addidit. Saxa lignaq; à cognatis diuisa

QVOD DEVS SIT IMMVT. 417

uulsa, habitu astrinxit ceu uinculo ualido. hic autem est spiritus reuertens in seipsum. incipiens enim à medio; pertingit ad extrema, moxq; à superficie cursum reflectit, donec in eum locum perueniat, à quo primum profectus est. Hic est ille habitus, cursus recursusq; indefinens; cuius imitationem cursores post tertium quemq; annum in theatris frequentissimis ostentant, tanquam rem egregiam & contentione dignissimam. Naturam autem attribuit stirpibus, temperatam è pluribus potentijs, nutritiua, mutatiua, augmentatiua. Nutriuntur enim, cum alimentis opus habeant. id deprehenditur, quia nisi rigentur, arescunt & pereunt, sicut rigatæ manifestum incrementum accipiunt. Nam quæ prius paululum ab humo se attollebant, euadunt in arbores procerissimas. de mutatione autem harum, quid attinet dicere? brumali tempore folia siccata humi sternuntur: & in palmitibus oculi, sicut rustici uocant, conuiuent, tanquam animalium, & innata ad germinandum ora conprimuntur, natura tunc intus conclusa quiescenteq;: ut post respirationem, quasi athleta lassus certamine, recolligat uires, atq; ita de integro ad labores anniuersarios redeat. id fit uerno æstiuoq; tempore. Tunc enim tanquam expergescens è somno profundissimo, & oculos aperit, & clausa ora patefacit. Quibus autem grauidæ est parit omnia, pampinos, palmites, clauiculos, ramos, fructum deniq;. Quo absoluto, nutrit eum quasi mater liberos, per quosdam latentes meatus, qui respondent māmillis mulierum. Nec prius nutrire desistit quam fructus ad perfectam maturitatem perueniat. Est autem

Philo. 10, 1.

E

maturitas

maturitatis signum, quando defluit etiam attingente ne-
mine, & diuelli ab adnatis properat, utpote iam mater-
nis alimentis non indigens, & idoneus si in agrum bo-
num incidat, ad profeminandas gignendasq; stirpes ma-
tri suæ similes. Animam autem fecit opifex à natura dif-
ferentem tribus his, sensu, imaginatione, impetu. Stirpes
enim sensus, imaginationis, impetusq; omnino expertes
sunt. Animal autem unumquodq; his cunctis est prædi-
tum. Sensus igitur, sicut allusio Græci nominis ad ἴσθαι
σιν indicat, obiecta infert intellectui. in hoc enim capax
amplissimumq; penuarium uisus, auditus & cæteri sen-
sus reponunt omnia. Imaginatio uerò est figurarum in
animam impressio. Nam quicquid important sensus sin-
guli, hæc obsignat suo charactere tanquam anulus. in-
tellectus autem refert ceram, impressum sigillum exci-
piens & seruans apud se, donec id obliuio memoriæ ho-
stis obscuret, aut in totum aboleat. Id autem quod im-
pressit characterem, nunc familiariter, nunc secus afficit
animam: is affectus uocatur impetus, quem definiūt pri-
mum motum animæ. Tanto præstantiora sunt animalia
stirpibus. Videamus quàm re homo antecellat cætera.
Hic eximum munus sortitus est mētem, quæ cunctas na-
turas corporū & rerum solet comprehendere. Quem-
admodum enim corporis regimē est penes oculos, mun-
di uerò penes lucis naturam: eodem modo imperium in
nos mēs obtinet. Hæc est enim oculus animæ, illustratus
splendore proprio, per quem dispelluntur altissimæ tene-
bræ, offusæ à rerum ignorantia. Hæc animæ species, non
ex eisde quibus cæteræ elementis facta est, sed puriorem

Et meliorem est nata essentiam, ex qua nature diuinæ sunt conditæ. Quapropter sola mens in nobis merito immortalis censetur. Solam enim hanc pater iussit esse liberam, exemptam et dimissam à necessitatis uinculis, donatamq; munere decentissimo uoluntatis spontaneæ, quatenus eius capax erat. Nam brutæ animantes, quarum animabus non inest mens donata libertatis priuilegio, sibiugatæ frenatæq; traduntur ad ministerium hominū, tanquam heris mancipia. Homo autem liberam facultatem et sui iuris sententiam sortitus, ex destinato pleraq; faciens, merito uituperium incurrit, si prudens sciensq; peccat, sicut è diuerso laudem, quando sua sponte benefacit. Nam stirpium animaliumq; nec ubertas laudatur, nec si male proueniant, uituperantur: quòd uterq; hic motus, et utraq; mutatio, non est uoluntaria: sed sola hominis anima quæ accepit à deo motum uoluntarium, hactenus illi similis, à molestissima grauißimaq; heræ necessitate, quantum licuit, manumissa, iure accusari posset, si liberatorem suum non coleret, nō euasura poenam quæ animaduertit in libertorum ingratitude. itaq; recogitauit, et intra se dixit deus, nō nunc primum, sed iam dudum firmiter, quòd fecisset hominem, id est, qualem eum condidisset. Condiderat enim liberum, ut relinquitus uoluntati propriæ quicquid placeret, ageret: idq; hanc ob causam, ut sciens quid bonum sit quid malum: et quid intersit inter honesta turpiaq; reputans, quid item inter æqua et iniqua, et in uniuersum uirtutē inter et uitiū, eligeret meliora, deteriora fugeret. In eam sententiam et oraculum extat in Deuter. Ecce posui ante-

faciem tuam uitam & mortem, bonum & malum: tu uitam elige. Ergo utrunq; hinc discimus, quod & insita sit hominibus boni ac mali scientia, & meliora deterioribus anteferre debeant, cum habeant deliberationem tanquam incorruptum iudicem, quæ recte rationis monitis pareat, reiectis contrarijs suggestionibus. Quoniam igitur & de his sufficienter disseruimus, uideamus sequentia. Sunc autem hæc. Delebo hominem quem feci a facie terræ, ab homine usq; pecudem, a reptilibus usq; uolucres cæli: quia recogitaui quod fecissem eum.] Hic quoq; nonnulli de quibus iam dixi, his auditis credunt eum Qui est irasci & furere. At ille nullo unquam affectu corripitur. Hæc enim humanæ infirmitatis sunt uitia. Deus autem & a brutis animæ affectionib. abest plurimum, & a partibus membrisq; corporis. nihilominus inueniuntur hæc apud legislatorem docendi gratia, ut sic moneantur qui non possunt castigari aliter. Nam in præceptis & interdictis legum, quæ propriæ leges sunt, duo summa capita ab earum autore sunt proposita: alterum non esse deum sicut hominem: alterum uerò, esse eum sicut hominem. Prius confirmatur ueritate certissima: alterum adhibetur ad erudiendam uulgarem multitudinem: ad quã dicitur, illum more hominũ castigare suos filios. Quod admonendi causa, non quia suapte naturalis sit, dictum est. Nam hominum pars amici sunt animæ, pars uerò magis fauent corpori. Animæ socij habentes cum incorporeis naturis consuetudinem, cum nulla rerum idea comparāt eum Qui est: sed extollentes eum super omnem qualitatem (hoc enim unum ad beatitudi-

nem

nem summamq; felicitatem pertinet, nudam eius sine omni figura essentiam comprehendere) sola eius essentie imaginatione contenti, nullam formam affingunt. At fœderati corporis, cum non possint exuere indumentum carneum, quales opiniones de seipsis, tales etiam de omnium rerum autore concipiunt, quippe qui non ualent naturam illam solam nullius egentem, simplicem, sinceram, incomparabilem cernere: nec reputant quòd qui constat è potètijs compluribus, eget etiam pluribus partibus ad singularum ministeria. Sed Deus, utpote ingenuitus & creator omnium, non opus habet istis creaturarum accidentibus. Quid enim dicemus de usu instrumentalium partium? pedes ei dabimus progrediendi gratia? at quò ibit, cum impleat omnia? quem accedet, cum neminem honore parem habeat? aut quam tandem obrem, cum humanis curis careat? quid manus ad accipiendum dandumq;? ipse à nemine quicquam accipit, quippe qui non solum non eget, uerumetiam uniuersa possidet. Donat autem uerbo suo munificetiam administrante, per quod mundum condidit. Oculis certè non eget, quibus sine luce sensibili nihil comprehenditur. At sensibilis lux creata est. Deus autem propriæ lucis usu uidebat etiam ante mundum conditum. De nutritionis instrumentis, quid attinet dicere? Nam si hæc habet, nutritur etiam, & satiatu egerit, ac rursum ex interuallo esurit, ceteraq; facit quæ nemo pius diceret. Nam fabule uerbis quidem humanam formam, re autem humanos affectus deo tribuunt. Cur igitur Moses pedes, manus, introitus, exitus, prædicat de illo ingenito? cur ad

arcendos hostes eum armat? cur gladio, sagittis, pestifero igne, fulminibusq; instruit? poetica ista uidentur, autorem summum armari, licet illic diuersa sint nomina. At hic noster addit etiam zelum, furorem, iras, & ceteros humanos affectus similes. Respondebit tamen scitantibus: heus uos, oportet legislatorem unicum habere propositum, ut prosit omnibus ad quos peruenit. Quotquot igitur feliciorē naturam sortiti sunt, & educationem inculpabilem, inuenta hac uita uia publica directaq; , ueritate comite faciunt iter, cuius uerissimis de eo Qui est mysterijs initiati, nihil creatum affingunt ei. His discipulis maximè conuenit capitulum illud sacræ literaturæ. quòd Deus non sit sicut homo, nec sicut cælum, nec sicut mundus. Nam hæ species habent qualitates suas, & percipiuntur sensibus. At ille ne mente quidem comprehenditur, nisi hætenus quòd sit. Est enim essentia quod in eo intelligitur: qua quicquid caret, nihil est. Hebetiores autem tardioresq; , & à pueritia perperam educati, nec ualentes acutè cernere, medicis opus habent legislatoribus, qui ad præsentem morbum debitam curam accommodent. Nam seruis quoq; male educatis & insipientibus herus prodest terribilis. Seuitiem enim eius & minas timendo, uel inuiti continentur in officio. Discant igitur quotquot tales sunt uel falsa, modo utilia, si per ueritatem ad bonam frugem reduci nequeunt. Nam & his qui corporis morbo laborant grauiter, legitimè instituti medici non sinunt uera proloqui, cum sciant eos inde fore deiectione animo, ita ut malum incrudescat: sed adhibent contrarias

trarias consolationes, ut & ægrotus fiat ad tempus sedatior, & ægritudo remissior. Quis enim sanæ mentis eum sic alloqueretur: heus tu, secaberis, ureris, mutilaberis, etiamsi hæc necessario ferenda essent. Nemo prorsus. Alioquin ille collabatur animo, accedente noua grauiore molestia ad morbum corporis, & libenter se curationi subtrahet: quod si falsa expectatione decipiat a curante, patienter sese præbebit ad omnia salubria, quantumuis cruciabilia. Proinde legislator noster cum sit optimus animarum medicus, unicum finem habet propositum, ut radicitus mentis infirmitates excuset, ne ex reliquijs repullulet malū immedicabile. Quod ita se sperauit effecturum, si autorem creaturarum induceret minacem, indignabundum, iniustis seuerè intentantem supplicium, nonnunquam arma corripientem in improborum perniciem. Nec enim aliter emendatur insipiens. Et ideo mihi uidetur duobus iam dictis capitibus, quòd deus sit sicut homo, & non sicut homo, alia duo generis eiusdem contexuisse, timorem atq; dilectionem. Omnes enim legum ad pietatem adhortationes uideo referri uel ad dilectionem uel ad timorē eius Qui est. His igitur qui nec membra, nec affectus humanos deo tribuunt, sed religiose de illo, pieq; sentiunt, dilectio maximè conuenit, timor uerò cæteris. Quæ igitur ante questionem præstruenda fuerant, hæc sunt. Redeundum iam ad cœptam considerationem, qua hæsitabamus quid sibi uelint hæc uerba, Indignatus est, quòd fecisset eos.] Fortasse tale quiddam docere uult, quòd mali apud deū in indignatione sint, boni uerò in gratia.

Nam mox dicit, Noe autem inuenit gratiam.] Ceterum ira quæ passio hominis est propria, figuratè de eo Qui est intelligitur necessario, quando quicquid per iram, metum, dolorem, uoluptatem, aut quamcunq; affectionem agimus, confessione omnium culpabile est ac reprehensibile. Sicut è diuerso laudabile, quicquid cum recta ratione coniunctum est scientia. Vides quàm caute loquatur, Indignatus sum, quia feci, non contrà, Quia feci eos indignatus sum? Nam hoc posterius de poenitente dici poterat, quod non fert natura Dei prouidentissima. Prius autem illud est inducentis dogma generale, iram esse peccatorum fontem, sicut rationem originem bonorum operum. ¶ Minor autem perfectissimæ suæ bonitatis Deus, etiamsi omnes homines, aut maxima eorum multitudo suapte culpa ruat in perniciem, tamen salutarem dextram porrigens, sustentat et erigit, non sinens uniuersum genus deleri. Quapropter nunc ait, Noe inuenisse apud eum gratiam, quia ceteri datum sunt poenam ingratitude, ut salutaris misericordia temperetur peccatorum damnatione, sicut hymnorum cantor dicit alicubi, Misericordiam et iudicium cantabo tibi. Nam si Deus mortalem iudicaret sine misericordia, atrum ferret calculum, cum nemo a natiuitate ad obitum usq; , sine lapsu percurrat uitæ spacium, sed aliquando sponte cadat, aliquando fallente uestigio. Ut igitur genus maneat incolume, etiamsi multæ pessum eant species, admiscet misericordiam, quam interdum etiã indignis exhibet, nunc præuenientem iudicium, nunc sequentem. Antiquior enim apud eum est mise-

miseriordia quàm iustitia, quippe qui poena dignum
 noscit non iudicatum, sed ante iudicium. Quamobrem
 aliubi dicitur: Calix in manu domini, uini meri plenus
 temperamento. Atqui temperatum non est merum, ha-
 bent tamen hæc rationem naturalem, his quæ dixi-
 mus, consentaneam. Deus enim potentijs suis erga sci-
psum meris utitur, temperatis autem erga suas creatu-
ras. Meras enim natura mortalis haudquaquam po-
test capere. [An putas cum non possis meram solis flam-
 mam obtueri: extinguetur enim uisus fulgore radio-
 rum hebetatus, prius quàm perspiciat: quamuis & sol
 unum est ex diuinis operibus, pars cæli, globus æthe-
 reus: posse te intueri potentijs illas increatas, ita ut me-
 re circa ipsum sunt eiaculantes fulgorem splendidissi-
 mum? Quemadmodum igitur solis radios extendit o-
 pifex à cælo usq; terminos terræ, ut uehementia calo-
 ris eius remitteretur, laxareturq; per aerem frigidum:
 nam hoc eos temperauit, ut quod inest lucidum seiun-
 ctum ab igne flammæ, remissisq; urendi uiribus, illu-
 stratiuis autem retentis, cognatæ sibi luci repositæ in o-
 culis occurreret suauiter: ex horum enim congressu ob-
 uio, & quasi consalutatione quadam, perspiciendi uis
 efficitur: ad eundem modum scientiam & sapientiam
 Dei, item prudentiam, iustitiam, cæterasq; uirtutes sin-
 gulas, quis mortalis synceras posset excipere, quod ne
 totum quidem cælum, totusq; mundus potest? Proinde
 cum sciret opifex quàm immensa sint sua bona omnia,
 & creaturæ quantumuis arrogantis naturalem imbez-
 cillitatem, nec in beneficijs nec in pœnis uult totam uim

suam exerere, sed quantam uidet earum capacitati sufficere. Quod si remissam mediocremq; potentiarum eius temperaturam haurire & ea frui contingeret, satis hilaritatis perciperemus, qua perfectiorem non est cur requirat humanum genus. Iam enim ostendimus quæ sincera mera uereq; summa sunt, circa solum cum Qui est existere. Confirmat hanc sententiam quod aliubi dicitur: Semel dominus locutus est, duo hæc audiui. Nam quod dicit semel, mero est simile. Etenim merum est unitas, & unitas merum. Illud autem bis, mixto est simile. Vtrunq; enim non simplex est, cum coniunctionem seiunctionemq; recipiat. Itaq; Dei uox est mera unitas. Nec enim sermo eius percusso fit aere, cum mixtura omni careat, incorporeus, nudus, nihil ab unitate differens. Nos autem audimus binario. Spiritus enim è pectore missus per asperam arteriam, formatur quidem in ore à lingua tanquam ab opifice: prolatus autem foras, & permixtus aeri cognato, cumq; uerberans, concinnam binarij temperaturam efficit. Quod enim è diuersis sonis consonat, binario diuisibili primum conuenit, tonum acutum & grauem habenti. Pulchrè igitur multitudini cogitationum iniustarum unum iustum opposuit, numero quidem inferiorem, sed plus ualentem, ne tanquam in balance prægrauaret deterius, sed cōtrarij uim melioris eleuatum, uires amitteret. Iam quid sit illud, Inuenit Noe gratiam coram domino deo] unā consideremus. Qui aliquid inueniunt, aut prius amissum reperiunt denuò: aut nō quod prius habuerāt, sed nouum lucrū acquirunt. Hanc inuentionem, illam redinuentionem

uocare

uocare solent curiosi uocum propriarum. Prioris exēplum manifestum est in magna illa precatione. Est autē precatio, bonorum à Deo postulatio. Porrò magna precatio est, credere Deum autorem esse bonorum ex seipso, nec egere ad benefaciendum alieno auxilio, non terrę tanquam frugiferę, non pluuię tanquam adiuuantis satorum, plantarumq; incrementum, non aeris tãquam ad alendum idonei, non agriculturę tanquam fertilitatis causę, non medicinę tanquam salubris, non nuptiarum tanquam prolificarũ. Nam hæc omnia uirtute Dei mutantur, uertunturq; , ut sæpe præter morem effectus habeant contrarios. Hunc igitur ait Moses autorē esse, qui nutrit comam capillum capitis, id est in mente incrementum dantem decretis summarijs iuxta præceptorũ capita, quibus illa honestatur ceu cõpto capillitio. Non nunquam tamen has comas amittit, irruente in animam repentino quodam turbine, & abripiēte honestamenta eius omnia. Est autem is turbo mutatio quędam inuoluntaria, mentem repente contaminans, quę mors uocatur. Attamen restituta sibi & purificata recipit eas, & reminiscitur quicquid prorsus oblita fuerat, & quę amiserat inuenit, ita ut prioris mutationis dies in ratione non computentur, uel quia non habet rationem ista mutatio, sicut & à prudentia plurimum discrepat: uel quia non est digna cuius habeatur ulla ratio. Talium enim, ut quidam inquit, nec ratio, nec numerus. Sæpe autem incidimus in ea quę ne in somnis quidem unquam uidimus: sicut de agricola fertur, qui scrobem parans plātę frugiferę, in thesaurum incidit, auctus inasperata
feli=

felicitate. Certe meditator ille, scitante patre de tali modo scientiæ, Quid est quod tam cito inuenisti fili, respōdens inquit: Quod tradidit dominus Deus coram me. Quando enim tradit sue sapientiæ contemplationes sine difficultate ac labore, has repente nacti præter expectationem, thesaurum perfectæ felicitatis inuenimus. Si quidem usu uenit, ut alij magno labore quæsitæ non inueniant: alij sine cura & negotio, de quibus non cogitauerāt reperiant. Nam eorū qui hebetiores tardioresq; habent animas, sicut orbi oculis, labor in contemplandis scientijs est inutilis: qui uero feliciore ingenio sunt præditi, absq; inquisitione multa inueniunt fortuito, dū recte coniecturam faciunt: ut ea uideantur acquirere, non studio, sed rebus ipsis ultro in conspectum eorum properantibus, & in notitiam sese ingerentibus. De his legislator ait, datas eis ciuitates magnas & bonas, quas non ædificauerunt: domos plenas opibus, quas non repleuerunt: cisternas ex saxo excisas, quas non exciderunt: uineta oliuetaq; quæ non plantauerunt. Ciuitates domosq; figurate, generales specialesq; uirtutes subindicat. Nam eiuitati genus est simile, quia patet amplioribus pomœrijs, & commune fit compluribus: species uero domui, quippe contractior, & minus communis. Per cisternas autem paratas intelliguntur alieno labore parata præmia, conceptacula cælestis liquoris potabilis, thesauri ad conferuandas dictas uirtutes cōmodi, ex quibus animæ perfectæ letitia nascitur, uero lumine radians. Proinde per uineta letitiam, per oliueta lumen significat. Felices quibus hoc contigit, qui quasi ex alto somno ex-

perre-

perrecti, mundum repente contemplantur sine labore ac negotio. Miseri uero qui contra suum ingenium contentendentes, intabescunt morbo contentionis difficillimo. Non solum enim frustrantur suo proposito, sed insuper cum non paruo detrimento incurrunt magnam ignominiam, sicut naues in mari luctantes cum aduersis flatibus. Quæ non solum aberrant à portu, quem petebant, uerùm etiam sæpe unà cum uectoribus ac sarcinis merguntur, inimicis gaudium relinquentes, amicis desiderium. Dicitur enim in lege, quòd quidam facto impetu in montem ascenderunt, & egressus est Amorræus montem illum habitans, & quasi apes irritatæ percussit eos, à Seir usq; Erema. Necesse est enim, ut qui non sunt nati percipiendis artibus, si luctentur in contrarium, non solum frustrentur, sed insuper dedecus lucrifaciant. Eos item qui aliquod officium præter animi sui sententiam aggrediuntur, coacti ab alijs, rem male gerere, accusante stimulanteq; ipsorum conscientia. Sicut qui parua de posita reddunt, captantes occasionem auferendi maiora, diceres homines bonæ fidei: qui etiam tum cū ea reddunt, magnam uim inferunt innatæ sibi perfidiæ, cuius sibi conscij lancinantur indefinenter occultis eius morsibus. Pari modo quotquot illum solum sapientem insincere colunt, tanquam in aliqua scena mirificis exornata ceremonijs, hoc uitæ genus haud secus ac in theatro aliquantisper ostentantes spectatoribus imposturam non pietatem in anima circumferunt, se ipsos uelut in rota cruciantes torquentesq;, & cogentes falsam ueritatis formam sumere. Proinde ad breue tempus obubrati super-

stitione

stitutionis insignijs, quæ est sanctitatis iniuria, magnū malum uel eam habentium uel cum his conuersantiū, mox isto habitu exuti asciticio, nudam ostendunt hypocrisim. Atq; ita deprehenduntur esse ciues suppositicij, qui seipso ascripserunt in maximam ciuitatem uirtutē, ius eius nunquam affecuti. Nam quicquid uiolentum idem non diuturnum est: quæ cognatio in rerum harum Græcis nominibus apparet, *βίαιον* & *βαιοῦν*. Sic enim prisci uocabant rem momentaneam. Quid porro sit illud, Inuenit Noe gratiam apud dominum deū, quæritur. Fortasse tale aliquid significat, eum consecutum esse gratiā, aut gratia dignum habitum. Sed prius non uidetur credibile. Quid enim accepit præ cæteris pene omnibus, non concretis solum, uerū & elementaribus naturis simplicibus, quæ Deo charæ sunt? Posterius autem habet quidem rationem non incongruam, iudicare autorem summum dignos suis muneribus, qui diuinum characterem sacrum in mente non polluerunt studijs turpibus: sed forte non ueram. Ingentem enim esse oportebat, uirum diuina gratia dignum, idq; ipse Deo iudicē. Equidem arbitror, uix totum mundum esse parem tanto negotio: qui tamen inter cuncta opera Dei, sicut primus, ita maximus est & perfectissimus. Forsan igitur satius fuerit hoc dictum sic accipere, quod probus hic uir cum esset sagax & ualde doctus, omnia disquirendo comperit quod est uerissimum, gratiam Dei esse omnia, terrā, aquam, aërem, ignem, solem, stellas, cælum, animantes stirpesq; uniuersas. Horum autem nihil Deum sibi largitum, cum his non egeat, sed mundum mundo, & para-

tes eius in usum mutuum, atq; etiam ut uniuersitati com-
modent. Idq; non ut recipiat gratiam, quamuis benignis-
simus & in totum & in partes: sed respectu sempiternæ
sue bonitatis, quod arbitraretur sue beatæ feliciq; natu-
ræ conuenire beneficentiam. Itaq; si quis me roget, quæ
nam sit causa mundi creati, à Mose doctus, respondebo,
eius Qui est bonitas, antiquissima suarum gratiarum om-
nium. Vbi obseruandum quod ait, placuisse Noe poten-
tiji eius Qui est, domino & Deo: Mosen uero ipsi regi
potentiarum, cuius etiam absq; illis sola noscitur essen-
tia. Ad hunc enim ex persona Dei dicitur: Inuenisti gra-
tiam apud me: ostendendo seipsum absq; omni altero.
Adco Mosis summam sapiëntiam gratia dignatur is Qui
est per seipsum solum: expressam autem ex hac imagi-
nem, iam secundariam, & specialiore, per potentias
subditas. Quapropter dominus & Deus, princeps est
& beneficus. Alius uero quispiam corporis & affectuum
fautor intellectus, uenditus principi coquorum uolu-
ptati huius nostri concreti, exectis masculis & genitili-
bus partibus animæ omnibus, & à curis honestis otio-
sis, nec aptus diuino auditorio, eliminatus à sacra con-
cione, quam uirtutis studiosi frequentant, in carcerem
affectionum introducit: ubi apud uinctorum custodem
inuenit gratiam inhonestiorem, quàm ignominiam.
Sunt enim proprie uincti, non qui pro tribunali da-
mnati prætorum sententijs & iudicum calculis abducuntur
ad certum locum destinatum maleficis: sed quos ipsa
natura damnavit ob mores animæ, puta luxuriam, timi-
ditatem, iniustitiam, aliasq; ineffabiles pestes, quibus
refra-

referti sunt. Horum curator, custos & promus est præfectus carceris, conflatus ex omnigenum uitiorum coluue, cui placuisse damnum est maximum. Quod cum non uideant quidam, eligentes pro utilibus noxia, libenter se adiungunt in eius satellitium, ut approbata sua fide fiant subpræfecti & uicarij custodiæ peccatorum uoluntariorum ac inuoluntariorum. Tu uero anima, hanc quoq; potestatem præfecturamq; crede molestiorē seruitute grauissima, & da operā ut libero utaris uitæ proposito. Quod si capta fueris hamo affectus alicuius, sustine uincta esse potius quàm custos carceris. Nam afflicta gemensq; misericordiam inuenies. Quod si ambitio ni teipsam dedideris, magnum malum, licet suaue, custodiam carceris suscipies, cui eris per totam uitam obnoxia. Proinde missas fac omnes familiaritates præfecti custodiarum, & uide ut summo bono te modis omnib. approbes. id si minus potueris, est enim res ualde ardua, rectā contende ad eius potentias, et his supplex esto, donec illæ exorata tuo continuo legitimoq; cultu, te in ordine probatorum statuunt, sicut & illum Noe, cuius meritorumq; dotes enumerantur scriptura sacra dicente: Hæ sunt generationes Noe. Noe homo iustus, perfectus in generatione sua, Deo placuit Noe.] Quæ ex concretis nascuntur, & ipsa concreta sunt. Nam ex equis equi, ex leonibus leones, ex tauris boues, homines item ex hominibus gigni necessum est. At bonæ mentis non talis est propria progenies, sed prædictæ uirtutes, hominem esse, iustum esse, perfectum esse, deo placere, quod ut perfectissimum & summæ felicitatis finis, postremum subiungi-

iungitur. Est autem una generatio, ex nō esse ad esse iter
 & productio. Huius in stirpibus & animantibus usus
 est necessarius. Altera uero est, ex meliore genere in mi-
 norem speciem mutatio, cuius mentio fit his uerbis: Hæ
 sunt generationes Iacob. Ioseph cum septemdecim esset
 annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc
 puer, cum filiis Ballæ, & cum filiis Zelphæ, uxorum pa-
 tris sui. Quando enim hæc meditatoria cupidaq; discen-
 di mens à diuinioribus contemplationibus ad uanas opi-
 niones descendit, corporis & corporearum rerum so-
 dalis Ioseph gignitur, adhuc puer, etiamsi ætate canus
 sit, quippe qui nullam senilem sententiam aut narratio-
 nem audiuit, quam Moysis sodales ut possessionem utilis-
 simam sibi ac suis discipulis acquisiuerunt. Quamobrè
 uidetur mihi, quo effigiem eius & exactissimam formæ
 ideam manifestius describeret, pascentem greges intro-
 ducere, cum legitimo nullo, sed cum spurijis fratribus cō-
 tubinarum filiis, qui denominantur à deteriore mulie-
 bri genere, non à uirili præstāiore. Nam filij Ballæ Zel-
 phæq; non Israelis patris nunc uocantur. Occurrit hic
 quæstio, quam ob causam statim post perfectas Noe uir-
 tutes subiungitur: Corrupta est autem terra coram
 Deo, & repleta est iniquitate. Fortassis tamen non diffi-
 cile fuerit eam soluere, homini præsertim non inerudi-
 to. Dicendum igitur, quòd cum in anima incorruptibi-
 lis species exoritur, mortalis species mox corrumpitur:
 Generatio enim pulchrorum studiorum, est mors tur-
 pium: quando & post lucis exortum euanescent tene-
 bræ. Quamobrè in lege de lepra diserte dicitur: Quòd

si caro uiuens in leproso apparuerit, pollutus iudicabitur. Quod mox confirmans & quasi obsignans, subinfert: Caro enim sana inter sparsa immunda est. id quod præter communem morem dictum est. Omnes enim à uiorbidis sana corrumpi existimant, à mortuis uiua, nō & diuerso, quòd sana uiuāq; putent salutaria. Verum legislator miranda in cunctis rebus sapientia præditus; hoc quoq; habet proprium: docens quòd sana uiuāq;, cum sunt impura, pollutionem inducunt: inter sparsa enim sana uiuāq; caro in anima, est morbi certum indicium. hanc propheta commemoratione peccatorum arguit, obiurgat, pudorē incutit. illa uero agnoscit singula, quibus à recta ratione exorbitauit: & tum demum se imprudentem, luxuriosam, iniquam, plenā inquinamentis deprehendit. quapropter extat lex noua & à uulgo recepta opinione diuersissima, quæ ex parte leprosum pronūciat impurū: cum uero qui à capite ad pedes usq; lepra occupatus est, purum esse ait. Quilibet enim, opinor, probabiliter coniectans, diceret contrarium, leprā quæ ultra paruam aliquam corporis partem nō diffunditur, minus impuram: per totum uero diffusam impuriorem uideri. Equidē puto per ista significari id quod est uerissimum, quòd iniquitates inuoluntariæ uel maxime absoluantur nec inquinant, cum graui accusatore careant conscientia: uoluntariæ uero etiamsi non late pateant, tamen pro animæ tribunali conuictæ, insanabiles pollutæ impuræq; iudicantur. Ergo duplex & duobus coloribus uariata lepra, uoluntarium uitium significat. Cum enim anima in se sanā uitalē rectamq; rationē habeat,

habeat, non utitur eius gubernatione ad bonorum suorum conseruationem: sed permittens seipsam imperitijs nauigandi, totam uitæ nauim quæ in serenitate tranquillitæq; seruari poterat, subuersam demergit pelago. Cum autem uno colore albicat, mutationem præ se fert inuoluntariam, quando mēs in totum ratione priuata, ne scintilla quidem intellectus reliqua, tanquam in tenebrosa densaq; caligine non cernit quid agendum sit, sed more cæcorum passim offensans, lapsus alios post alios inuita dolensq; sustinet. Huic simile est, quod etiam de domo præcipitur, quam aliquando contingit lepra infici. Ait enim: Si domus lepra infecta fuerit, ibit eius dominus, & nuntiabit sacerdoti, dicens, quasi contagium lepræ uidetur mihi in domo mea. Moxq; subdit: Et præcipiet sacerdos ut efferantur uniuersa e domo, priusquā ingrediatur eam, ut uideat, & non erunt immunda quæcunq; in domo sunt. Posthæc intrabit sacerdos, ut conspiceret. Ergo priusquam intrat sacerdos, pura sunt quæ domus continet: illo autem introgresso, impura omnia. Atqui contrarium erat uerisimilius, post introitum uiri purificati, perfecti, soliti pro cunctis ceremonias obire, & uota sacraq; facere, res in meliorem statum mutari, & ex impuris puras fieri. At nunc ne in eadem quædam conditione permanent, sed superueniente sacerdote te deteriores redduntur. Verum ista utrum cum dicta facili solutione consonent, uiderint qui solent delectari talibus. Equidem incunctanter dico, nihil esse tam conueniens, quam ut ad introitum sacerdotis contaminentur quæ in domo sunt. Donec enim diuinum uerbū in animā

nostram, tanquam domum quandam nō ingreditur, nihil quod hæc facit culpatur. Nam curator, siue pater, siue præceptor, siue quid aliud sacerdos uocāndus est, qui solus admonere castigareq; potest, procul remotus est. Nec indigni sunt uenia qui peccant per ignorantiam, ut qui peccata sua parum pensitant: interdum etiam grauius peccando putant se recte facere. quando autē ad nos ingreditur ille sacerdos uerus redargutor, tanquam lux clarissima, tunc produntur animæ nostræ scelestæ consilia per actiones fontes & culpabiles, quib. occupamur ignari rerum utilium. hæc omnia sacra redargutio damans ut polluta, iubet auferri & detrahi, ut consideret ipsam puram domum animæ, & percuret si quid in ea sit morbidum. Simile quiddam facit & in Regnorū libris mulier quæ prophetam accedit. est autem uidua, non ut vulgo uocamus marito destitutā, sed quæ uiduatur affectibus mentem lædentibus & corrumpentibus, qualis Thamar in Mosaicis literis. nam huic orbatæ marito præcipitur, ut maneat in domo patris qui solus seruator est, propter quem relictæ mortalium consuetudine, deferitur uiduaturq; humanis uoluptatibus, sed diuinam genituram excipit, & uirtutis seminibus facta grauidā in utero gerit parturitq; honestas actiones: quas semel enixa, præmiū aufert inuitis aduersarijs, & uictrix pronunciat, præ se ferens palmam insigne uictoriæ. Thamar enim palma interpretatur. Omnis autē anima uitijs uiduāda sic prophetam alloquitur: Homo dei, uenisti in ædes meas, ut me iniquitatis & peccati mei conuonem faceres. Hic enim numine correptus & occupatus cælesti

celesti cupidine, diuiniq; furoris impotenti æstro per-
 citus, quoties subintrat animam, memoriam iniquitatũ
 peccatorumq; ueterum ei suggerit, non ut ad ea redeat,
 sed ut gemens deflensq; mutationem suam pristinam,
 eius partus auerfetur præ odio: sequatur autem monita
 dei uerbi, prophetæ et interpretis. nam prophetæ à pri-
 scis uocabantur aliquando homines dei, aliquando uidē-
 tes, nominibus aptis, & diuinitatem perspicaciãq; pul-
 chre significantibus. conuenienter igitur sacratissimus
 Moyses tunc corruptam terram dixit, quando istius iusti
 Noe uirtutes prolatae sunt in medium. Erat, inquit, cor-
 rupta: eo quod omnis caro corruerat uiam suam super
 terram. ¶ Hic aliquis putabit erratum in una uoce Græ-
 ci contextus, cumq; postulare ut potius legatur αὐτῆς
 quàm αὐτῶν: quod refertur ad præcedentem uocem fœ-
 mininam, cum masculinum relatiuum minus cōueniat.
 Quid si non de sola carne uiam corrumpente sermo fit,
 ut merito erratum in uerbis uideatur: sed de duobus, &
 de carne quæ corrumpitur, & de altero quodam quod
 uiam conatur corrumpere? Itaq; sic construendum est:
 Corrupti omnis caro illius incorrupti æterniq; perfe-
 ctam uiam quæ ducit ad deum. hanc scito esse sapientiã.
 Hac enim deducente, recta nimirum & publica, intelle-
 ctus ad destinatum finem peruenit. est autem finis me-
 taq; huius uiæ, scientia & cognitio dei. hanc semitam
 odit, calumniatur, & corrumpere conatur quisquis
 carnis amicus est. Nam non sunt in rebus duo tam con-
 traria, quàm uoluptas carnalis & scientia. Volēti enim

hanc uiam regiam ingredi consideratiuo generi, quod uocatur Israel, repugnat terrenus Edom: (sic enim hoc nomen interpretatur) propterea occurrens instructis copijs, & minis territans, effecturum se ut ea nunquam teratur à uiatoribus. ad quem missi legati sic loquuntur. Transibimus per terram tuam, non faciemus iter per arua, nec per uineta. non bibemus aquam de cisternis tuis. incedemus uia regia. non deflectemus ad dextram, nec ad sinistram, donec tuos fines superauerimus. Ad hoc Edom respondet: Non transibis per me. alioquin armatus occurram tibi hostiliter. ad quem filij Israel: Præter montem iter faciemus: quod si de aqua tua bibero ego & pecora mea, persoluam tibi precium. nulla erit difficultas, tantummodo transitum petimus. at ille respondet: Non transibis per me. Fertur de quodam è prijs quòd cum spectasset pompam sumptuosissimam, ad familiares uersus dixit: Videte amici quàm multis rebus opus non habeo. Compendio de re maxima uereq; celesti gloriatus est. Quid ais, itane uictor de certaminis Olympici diuitijs coronam adeptus es, intantum superior, ut nihil inde ad usum aut delectationem sumeres? miranda uerba, sed mirabilior sententia, tantum consecuta roboris, ut uel citra pulueris iactum possit uincere. Verum apud Mosem, mysterijs sapientiæ initiatum, non unius tanti uiri hæc est gloriatio, sed totius gentis populosissimæ. id hoc argumento liquet, quòd uniuscuiusq; anima confirmata est ad audaciam contra regem omnium quæ bona uidentur, terrenum Edom.

Reuera

Reuera enim quodlibet in speciem tantum bonum terrarum est. Celeriter, inquit, transibo per terram tuam. ô, promissionem generosam & magnificam. itane obsecro superare, transire, transcurrere, quicquid in terra bonum cēsetur, poteritis? nihilne uestram prooperationem remorari poterit? conspectum diuitiarum congestarum auersabimini deflexa facie? quid maiorum dignitates, paterni materniq; generis, decantatasq; à multis nobilitates despicietis? gloriam quoq; quam homines redimūt ceteris bonis omnibus, prætercurretis tanquam rem uiliissimam? quid sanitatē corporis, integritatem sensuum, pulchritudinem optabilem, robur inuincibile, & cetera quibus animæ domus, siue tumultus, siue quid aliud dicendum est, honestatur, transcurreretis obiter, ut nihil horum referatis in bonorū ordinem? Olympiæ cælestisq; animæ sunt hæc tam ingentia facinora, quæ regione terrestri iam relictæ, ad diuinarum naturarum subductæ, est consuetudinem. repleta enim contemplatione uerorum bonorum & incorruptibilium, merito adulterinæ ista in diem durantia reijcit. Quæ igitur utilitas est præterire omnia mortalium bona mortalia, si hoc non cum recta ratione facias, sed ut nonnulli per segnitiam, aut pigritiam, aut tractandi imperitiam? non enim ubiq; omnia, sed apud alios alia sunt in precio. Quapropter uolens amplius docere, ut cum recta ratio postulat despiciantur quæ modo diximus: ad hoc uerbum transibo, adiicit Per terrā tuam. hoc enim est ualde necessarium, ut in copia rerum quæ uulgo habentur pro bonis, cuitemus casses laqueosq; quos illæ tendunt singulæ: & moro

ignis perrumpamus subinde repetentes nos earum impetus. Hæc se pertransituros aiunt, arbuta uerò & uineta non item. mites enim plantas insitas in anima, feraces dulcium fructuum, hoc est, sermones probos & actiones laudabiles præterire, Ogygiæ simplicitatis fuerit. nam ibi herendum erat, & auide fruendum præsentibus. nihil enim pulchrius quàm in uirtutibus perfectis hilaritas insatiabilis, quæ significatur per modo dictas uineas. nos autem quotquot à deo niues imbresq; è supernis fontibus accipimus, è cisterna bibimus, terrenos latices non admodum requirendo, cum habeamus cælitus largas pluias nectaris & ambrosiæ, alimentū multo præstantius quàm poetici nectaris. & adhuc lacunas arte humana factas haurire sustinemus per diffidētiā, cū paratos habeamus cælestes thesauros quos omnium seruator aperuit? quemadmodum Moses sacrorū interpres precatur, ut aperiat nobis dominus thesaurū suum cælestem, detq; nobis suā pluuiam. cuius preces deo gratæ faciliè exaudiuntur. Quid ille qui nec cælum, nec pluuiam, nec uerbum, nec ullam creaturam putans ad se atendum idoneam, sed superscandēs hæc omnia, affectum suum exprimit dicens: Deus qui nutrit me à iuuentute: annon uidetur tibi omnes quæ sunt in terra collectiones aquarum despicere? is certè nunquam è cisterna biberet, cui deus præbet potus meracos, nunc angelis pincernas agentibus, nunc ipse infundens, non expectato internunciorū officio. proinde sine dilatione ingrediamur uiam regiam, quotquot prætereundas res terrenas ducimus. Est autem uia regia, cuius potestatem nemo priuatus ha-

het

bet, sed solus ille qui solus est uerus rex. hæc est autem, ut paulò ante dixi, sapientia, per quam solam supplicibus animabus ad illum Ingenitum patet refugium. credibile est enim eum qui per uiam regiam sine impedimento iter facit, non sensurum lassitudinem donec ad regem perueniat. quo facto, & illius felicitatem agnoscet, & suam inopiam. nam & Abraham postquam ad deum accessit proxime, mox cognouit se esse terram et cinerem, nec ad dextram autem nec ad sinistram regia uia deflectendum est, sed progrediendum per mediam. nam in utrumuis latus diuerticula ob nimietatem defectumue culpantur. hic enim dextrum nõ minus quàm sinistrum uituperatur. siquidem apud petulantes temeritas dextrum, timiditas sinistrum obtinet. sic apud tractantes pecuniã illiberaliter, dextrum sordida parcitas, sinistrum larga profusio. item apud forensibus causis deditos laudatur uafricies, damnatur simplicitas. sunt qui superstitionem quasi dextram sequuntur, ne in sinistram impietatem incidant. ergo ne deflectentes incurramus in uitia pugnãtia, uotis omnibus omniq; conatu hoc agamus ut recta incedamus per mediam uiam. est autem in medio temeritatis & timiditatis fortitudo, sordes inter & profusionem temperantia, inter uafriciem & stultitiam prudentia memoriaq; , inter superstitionem & impietatem pietas. hæ sunt mediæ uie inter utraq; diuerticula, omnes commeabiles & publicæ, per quas non est fas uestari corporis instrumentis, sed motibus animæ cupientis inambulare in rebus optimis. id molestissime terrenus Edom fert, timet enim suis dogmatibus ne subuertantur

confundaturq;: & ideo bellum internecinum minatur;
 si conemur uiam ui perrumpere, excidēdo arbuſta eius
 animæ frugifera, ex quibus in perniciem prudētiæ plan
 tatis fructum non percepit. Non tranſibis, inquit, per
 me. alioquin armatus occurram tibi hoſtiliter. at nos ſe
 cūri de eius tumultuatione reſpondeamus quod præter
 montem tranſibimus, hoc eſt aſſueti cum ſublimibus uer
 ſari potentijs, & eſt ſpecula res conſiderare, ſcrutariq; ra
 tiones ſingularū, per quas earum eſſentia noſcitur, con
 ſeminimus omnia externa & corporea. abiecta ſunt ex
 nim & humi repentiā, tibi quidem grata, nobis uerò
 exoſa: quapropter nihil ex eis attingemus. quòd ſi uel
 ſummo digito, ut uulguſ loquitur, tetigerimus, perſolu
 uemus tibi precium: poterisq; gloriari, quod nos uirtu
 tis ſtudioſi à uoluptate inſcati ſuerimus. Si, inquit, de
 aqua tua bibero ego & iumēta mea, dabo tibi precium.
 non mercedem, aurum argentūue, qualis inter emen
 tes uendētesq; fit permutatio: ſed precium honorarium
 quod recipiis. nam reuera omnis luxurioſus, aut iniu
 ſtus, aut timidus, cum uidet aliquem tetricum, aut labo
 rem fugere, aut uictum à lucri cupidine, aut captum uo
 luptatis amatorio, letatur & gaudet, id honorem ſuum
 reputans: & efferens ſe apud uulgum iuueniliter ac ge
 ſtiens, incipit philoſophari de ſuis uitijs tanquam ne
 ceſſarijs ac utilibus: dicens quòd alioquin ille uel ille uir
 laudatus nō ſuſtinuiſſet his implicari. Ergo ſic alloqua
 mur omnes iſtos miſeros: ſi aquam tuam bibero, ſiue
 tuum aliquid indiſcreto impetu attigero, perſoluam ti
 bi pro dedecore precium honorificum, dignus enim es.
 dabimus

dabimus. nam ista tibi chara omnino nihil sunt. An putas mortalem rem ullam uere esse ac subsistere, & non tanquam in suggestu quodam ab inani & incerta opinione sustineri non aliter quam somniorum ludicra? quod si non libet singulorum fortunas perquirere, uide regionum integrarum & gentium mutationes in melius ac deterius. Floruit quondam Græcia, sed Macedones abstulerunt ei potentiam. postea Macedonia uiguit opibus, sed diuisa in plures portiones debilitata est, donec omnino interijt. ante res Macedonum incluta fuerat Persarum felicitas: sed una dies tam ingenti regno finem attulit: & nunc Persæ penes quos paulo ante fuerat imperium, sunt Parthorum prouincia. Fuit & Aegypti olim perampla magnificaq; potentia, sed nubis in morem præterijt eius felicitas. Quid Aethiopes, quid Carthago in Africa? quid Põtici reges, quid Europa Asiaq; & ut compendio dicam, totus orbis habitabilis? nõne more nauius suisq; deq; iactatæ marinis fluctibus, nunc secundis uentis, nunc aduersis utitur? nam uerbum diuinum choreas in orbem ducit, quod uulgus hominum fortunam nominat. & cum perpetuo feratur per ciuitates, gentes, regionesq;, res aliorum alijs omnium omnibus tribuit, subinde uariantibus apud singulos temporibus: ut totius terrarum orbis tanquam una ciuitas optimo reipublicæ genere administretur, populari regimine. Nihil igitur est in humanis rebus ac negocijs præter umbrā auramq; leuissimam, sine mora præteruolātem. eunt enim ultro citroq; tanquam æstuaria. nam & marini æstus nunc cum magno impetu sonituq; accedunt,

&

& longè lateq; per littora diffunduntur undis stagnan-
 tibus: nunc refluunt retro, magnamq; maris partem in
 formam continentis redigunt. Simile quiddam accidit,
 quando fortuna postquam populosum aliquam gentem
 inundauit magnis felicitatibus, fluxu auerso ne guttam
 quidem sinit reliquam, deletis etiam uestigijs opulentiæ
 pristinæ. Verum hæc reputatio non omnes tangit, sed so-
 los rectæ constantisq; rationis affeclas. Ipsorum enim
 sunt ambæ hæ sententiæ: Cum rebus creatis cōmercium
 est nihili, præter montem iter faciemus. Non est enim
 possibile nisi sublimi ac montano itinere, uitatis rebus
 mortalibus euadere ad immortalia. Quapropter Edom
 terrenus, cælestem regiamq; uirtutis uiam interscpire
 uult: sicut diuinū uerbum uiam illius & sectam eandem
 sequentium, inter quos & Balaam referendus est. nam
 & hic est terræ progenies, nō cæleste germen, argumen-
 to certissimo, quod auguria falsasq; diuinationes sequēs,
 ne animæ quidem oculo recluso uidit resistentem sibi an-
 gelum dei, ut cōuersus retrorsum abstineret ab iniuria:
 sed ita se commisit imprudentiæ fluctibus inundatibus,
 ut obrueretur ab eis. tunc enim dubio procul nec cura-
 bilibus nec sanabilibus morbis laborat anima, quando
 accedente redargutione (is est sermo dei nuncius, præ-
 uius & impedimēta submouens, ut inoffensi gradiamur
 per regiam uiam) sine iudicio nostras sententias præfe-
 rimus illius monitis, quæ ad castigationem correctio-
 nemq; totius uitæ nostræ adhibere non desinit. quamob-
 rem quisquis non paret, nec reueretur talem redarguto-
 rem, cum saucijs interibit, confectis afflictisq; per affe-
 ctionum

tionum uulnera. quorum calamitas exemplo esse poterit nondum deploratis quantum ad purificationem attinet, ut conentur placare in suo pectore situm iudicem. & facient, si eius rectissimis decretis nõ opponent suametipsum iudicia.

PHILONIS IV

DAEI, DE CONFVSIO-

ne linguarum, Liber.



Actenus de his dixisse sufficiat. deinceps nõ obiter consideranda sunt quæ de confusione linguarũ philosophatur. Sic enim loquitur. Erat autem terra labij unius, & sermonum eorundem. Cumq; proficisceretur de oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar; & habitauerunt in eo. & dixit quisq; ad proximum suum: Venite faciamus lateres, & coquamus eos igni. habueruntq; lateres pro saxis, & bitumen pro luto, & dixerunt: Venite ædificemus nobis ciuitatem & turrim, cuius fastigium pertingat ad cælum, & celebre faciamus nomen nostrum antequam diuidamur in uniuersam terrã. Descendit autem dominus ut uideret ciuitatem & turrim, quam ædificabãt filij hominum, & dixit dominus: Ecce unus est populus, & unum est labium omnibus: cœperuntq;

runtq; hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, do-
nec eas opere compleant. Venite igitur & confundamus
ibi linguam eorum, ut nō audiat unusquisq; uocem pro-
ximi sui. Atq; ita diuisit eos dominus in omnes terras, et
desuerunt edificare ciuitatem & turrim. Idcirco uoca-
tum est nomen eius Babel, id est confusio: quia ibi confu-
sum est labium uniuerse terræ: et inde dispersit eos deus
super faciem cunctarum regionum.] Quibus maiorum
instituta displicent, homines impij, & tantum ad accu-
sandas leges diferti, arreptis impietatis ansis talibus, sic
cauillantur: Etiam nunc extollitis præcepta uestra ut ue-
ritatis regulas? Ecce sacri quos uocatis libri fabulas con-
tinent, quales alijs referentibus irridere soletis. nec opus
est eas legibus interspersas per ocium colligere, quasi ca-
lumnandi studio, satis erit huius præsentis uos cōmone
facere. hæc una certè simillima est illi de Aloadis, quos
optimus poetarum Homerus conatos narrat fuisse tres
maximos montes alium super alium aggerere, sperantes
se hoc modo facile sibi uia munituros, qua ad ætheream
sublimitatem euaderent. de quibus extant hi uersus:

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet atq; Ossæ frondosum inuoluere Olympum.
Olympus, Ossæ, Pelion, montium sunt nomina, pro qui-
bus legislator inducit turrim extructam ab eius seculi
hominibus, qui propter dementiam & uastum animum
conati sunt cælum attingere, consilio longè stultissimo.
nam etiam si uniuerse terræ partes superstrueretur fun-
damento modico, ut in unius columnæ formam attolle-
rentur, tamen longissimo intervallo abessent à sphaeræ
æthe-

etherea, præsertim iuxta opinionem philosophorū qui scrutantur talia, terram centrum esse mundi asseuerantium. Præterea quiddam aliud huic simile de animalium una lingua proditur à fabularum scriptoribus. narratur enim olim animantium omnium terrestrium, aquaticorum, uolucrum eādem uocem fuisse: & quemadmodum, nunc homines Græci cum Græcis, barbari cum suæ linguae barbaris habent sermonis cōmercium, ita tum illas omnes cum omnib. collocutas de suis rebus ac negocijs, ita ut & conquererentur inter se, & uicissim condolerent de calamitatibus, ediuersoq; rebus letis gratularentur. nam uelut in una republica putabant ad se pertinere alienas quoq; prosperitates ac aduersitates, et eos affectus etiam in sermone quotidiano nō obscure præ se ferebant, donec lasciuiantes præ bonorum præsentium copia, ut sæpe fieri solet, ultra decorū proruperunt rerum, non concupiscendarum amore, ut per legatos immortalitatem, à senectute immunitatē, perpetuamq; iuuentam sibi poscerent, æquum se postulare dicentes, quando hoc munus iam uni ex eorū numero serpenti cōtigisset. hunc enim exuta senectute denuo repubescere. iniquū autem esse ut præstantiora deteriori cedant hac parte, & multa uni. quam audaciam mox sua pœna sequula est. nam confestim uariatae sunt animalium linguae, ut ex illo tempore non possent se inuicē intelligere, impediētē uocum diuersitate, in quas loquela quæ prius cōmunis fuerat, diuisa est postea. Ceterū alia uero propior narratio disingit à brutis homines. & hos solos ait habuisse unicam linguā cōmunē oībus. tamē hæc quoq; fabulosa putatur.

atque

atqui hæc uocis in plurimas diuersas loquelæ species
 dissectio, quæ linguæ confusio uocatur, in remediū pec-
 catorum adhibita dicitur, ne communicato consilio cri-
 men fieret publicū: utq; si conferrēt in unum operas, al-
 teri muti essent alteris. attamen nihil hoc, quantum ap-
 paret, profuit. Nam etiam post diuisam linguam, dedu-
 ctasq; in diuersa loca tot gentium colonias, nihilominus
 terræ mariaq; repleta sunt malis ineffabilibus. nam non
 lingua, sed similis animarum ad peccādum procliuitas;
 cōmunicatæ iniquitatis causa est, siquidem etiam lin-
 gua mutilati, nutibus, aspectibus, alijsq; corporis gesti-
 bus ac motibus, non minus quàm uerbis prolatis, uolun-
 tatem suam significant. huc accedit, quod sæpe una gēs;
 non lingua solum eadem, uerum etiam eisdem utens le-
 gibus ac moribus, ad tantam peruenit maliciam, ut pec-
 catis conferri possit cum reliquis omnibus hominibus:
 Ob imperitiā linguarum multi ab insidiatorib. ex
 improviso sunt oppressi, ediuerso harum scientia mul-
 tos exemit imminentibus periculis. itaq; prodest magis
 quàm nocet linguæ communicatio: quando nunc quoq;
 per singulas regiones, præsertim indigenarum, nihil æ-
 quie incolumitati confert ac lingua omnium eadem. tum
 si quis plures linguas ediscat, mox probatur ab earum
 peritis, & pro amico agnoscitur, non leue argumētum
 societatis asserens loquelam familiarem, unde mox acce-
 dit securitas à periculis. Cur igitur quasi malorum cau-
 sa esset lingua communis ex hominibus sublata est, quæ
 debuerat confirmari ut perutilis. has hominum malicio-
 rum cauillationes seorsum redarguent quibus prom-
 ptum

ptum est ad tales quæstiones ex aperta legum scriptura sine contentione respondere, qui non sophismatibus repellunt sophismata, sed sequuntur ueritatis seriem nusquam sinentem offendere, & impedimenta dimouentem facile, ut sermo ex his possit euadere. Dicimus igitur istis uerbis, Erat uniuersæ terræ labium unum & uox una, significari magnorū ineffabiliūq; malorum consonantiam, quibus ciuitates à ciuitatibus, gentes à gentibus, regiones à regionibus impetuntur uicissim, & quibus homines non solum in se inuicem iniusti fiunt, uerum etiam in deum impij. & hæc quidem populorum sunt crimina. consideremus & uirum inenarrabilem uitiorum multitudinē. præsertim si accedat ille inamœnus, ineptus, & male modulatus cōcentus: Fortuita quis nescit, cum in paupertatem, obscuritatē, corporis morbos aut mutilationes incidunt, item in infirmitates animæ, desipientis præ atra bile aut longo senio, aut alio quocūq; grauiore infortunio. nam unumquoduis è iam dictis abunde sufficit ad subuertendum & deiscendum hominem, etiam fastu magno tumidū. quod si plura eum uelut ex composito aggrediantur eodem tempore, animæ, corporis, et externa, quid cogitari potest miseri? cadentibus enim stipatoribus, etiam stipatum necesse est cadere. est autem corporis satellitium hoc, diuitiæ, gloriæ, honores, à quibus elatum in sublime se ostētat: sicut ediuerso à cōtemptu, obscuritate, paupertate oppugnatur tanquam ab hostibus. item satellites animæ sunt, auditus, uisus, odoratus, gustus, & tota cohors sensuum. adhæc sanitas, integritas, robur, potentia. horum enim ualida

lida ope suffultus cōmunitusq; animus incēdit exultabū
 dus, & suauiter degens quicquid libet exequitur, omni-
 bus uijs ei nunquam non patentibus. Verum & his sa-
 tellitibus non desunt aduersarij, sensuum orationes
 morbiq;, ut dixi, qui aliquando mentem agunt in præci-
 pitia. & hæc quidem à fortuna impendent, uehementer
 difficilia miseraq;, leuiora tamen si conferantur cum ma-
 lis uoluntarijs. quis autem sit horum quoq; concentus,
 rursum per se consideremus. Cum anima nostra tripar-
 titā sit, pars eius mens & ratio, pars ira, pars concupi-
 scentia esse dicitur. singulæ suis morbis laborant, atq; e-
 tiam inter se communibus uniuersæ: quoties mens qui-
 dem imprudentiæ, timiditatis, luxuriæ, iniustitiæ segetes
 demetit: ira uerò immanes furiosasq; rabies, & cætera
 quibus grauida est mala parit: concupiscentia quoq; a-
 mores semper iuueniliter leues, & temerè ad quæuis
 corpora & ad quaslibet res aduolantes, quocunq; im-
 mittit. tunc enim tanquam in nauī nautis, uectoribus,
 gubernatoribus, per dementiam in eius perniciem con-
 sonantibus, etiam qui perdūt unā pereunt. grauissimum
 enim malorum est, & penè solum insanabile, omnium
 animæ partium ad peccandum cōsensus, cum tanquam
 in publica pestilentia nihil sani sit reliquum, quod ægro-
 tis mederi possit: sed & medici unā cum uulgo laborant,
 eadem qua cæteri lue correpti. Clades hæc describitur
 apud legislatorem in mentione diluuij: quando & à ca-
 taractis celi magno impetu imbres inuindauerunt: &
 à terra, à corpore inquam, multi magniq; fontes affe-
 ctionum profusi, fluentia sua coniunxerunt miscuerūtq;
 cum

cum aquis prioribus, ut totam animæ regionem occuparent suorum gurgitum uorticibus. Videns, inquit, dominus deus multiplicatam esse malitiam hominum super terram, & uniuscuiusq; cogitationes intentas esse ad malum omni tempore, decreuit in hominem, in hunc inquam reptilibus, uolucris, alijsq; brutis & immitibus bestiis circumdatum, animaduertere, cuius iniquitatem iudicaret esse insanabilem. pœna autē fuit diluuium. Tantum sibi libido peccandi permiserat, cohibente nemine, & affluente unā cum copia rerū fruendi licentia. & merito. non enim una certa pars animæ corrupta fuit, ut ei succurri posset à sanis cæteris, sed nihil integrū incorruptumq; relinquebatur. Videns, inquit, non unius, sed uniuscuiusq; cogitationes, cōuenientem pœnam incorruptus iudex eis inflixit. hi sunt illi confœderati apud uallem saluginis. est enim cauius, asper, angustisq; faucibus strictus locus affectuum, uerè salsos amarusq; dolores afferens: in quo factum fœdus nullis sacris nulloue iurando dignum sciens ille sapiens Abraham, fœderatos profligat. dicitur enim eos omnes cōspirasse in ualle falsa: quæ est mare salinarum. Annon uides illos orbatos sapientia, cæcatosq; mente quæ acutum cernere debuerat, ex re nomē habentes Sodomitas, iuuenes unā cum senioribus, totū simul populū, circū ædes animæ cursare, ut diuersantes in eis sacrosanctos sermones, custodes et præfides, probris afficiant, nemine uel opponente se iniurijs eorū, uel alienate à tãto facinore? Nō enim pars populi, ut legitur, sed uniuersus domū circūdedit, iuuenes unā cum senioribus, cōiurati cōtra diuina uerba & opera,

quæ scriptura suo more uocat angelos. Attamen diuinus uates Moses occurrens, eorum cohibebit impetum; etiamsi ductu sui regis irruant audacissimi. & ad dicendum promptissimi, auctisq; copijs undatim affluant. Ecce, inquit, Aegypti rex ad aquam ueniet. ibi tu oppones ei te stans in labio fluminis. Ergo malus uir exit ad fluenta peccatorum & affectuum, quæ per aquam significantur. at uir sapiens primum accipit à deo semper stante nec unquam mobili munus illi conueniens, ut & ipse firmus consistat. dictum est enim: Tu uerò hic sta mecum: ut exuta omni dubitatione ac ambigentiâ, quæ sunt uitia parum constantis animi, fidem certissimum firmissimumq; habitum induat. Deinde non contentus stare, quod mirandum est, obsistit etiam. dicitur enim ei: Sta ex aduerso. Quorum alterum quidem, uidelicet occursum, in motu: alterum uerò, hoc est, statio, in quiete consideratur. Nulla tamen est in his uerbis pugna, sed egregie cum rerum natura congruunt. Nam cuiuscunq; sententia suo apte ingenio quieta est, nec facile à recto flexibilis, hic solet resistere unda abundis rebus omnibus, tranquillitatem tempestate ultro accita turbantibus. Sed bene habet quòd in labio fluminis occursum factus dicitur. Sunt autem labra oris extremitates & septa lingue, per quæ sermo profluit, quando proferendus est. Sermone autem etiam hostes uirtutis, modo studiosi disciplinarum sint, utuntur ad defendenda improbata dogmata: sicut è diuerso boni ad mendacia tollenda è medio, & ad uerorum bonorum confirmationem inuincibilem. proinde quoties omni rudente moto contentioforū dogmatum

rum assertores oppressi rationibus aduersarijs pereunt, merito uictoriale carmen ille sapiens cum suo sacrato choro modulabitur. Vidit, inquit, Israel Aegyptios, non alibi mortuos quàm ad labium fluminis. Mortem dicens non animæ seijunctionem à corpore, sed impiorum dogmatum prolationem, quæ per os efferebantur, & linguam instrumentaq; uocis cætera. Porro sermonis mors est silentium, non quo bene morati præ se ferunt reuerentiam: nam & hoc facultas quædam est ad eloquentiam pertinens, dispensatrix dicendi temporum: sed quo impotes fandi propter aduersariorum uehementiam inuiti utuntur, nullam inuenientes dicendi occasione. quibus quicquid tentant effluit: quocunq; insistent, nequeunt uestigium figere, ut prius quàm consistant cadant necessario, qualis est aquaria machina quæ helix uocatur. in cuius medio gradus quidam sunt, quos rusticus quoties agros uult rigare scandit, ac mox necessario dilabitur. & ne continue cadat, proximum sulcrum utraq; manu retinet, quo totum corpus sustentat. interim pedes manuum, manus uerò pedum funguntur officio. insistit enim manibus, quarum est agere: operatur pedibus, quorum est stare. Multi autem cum non possint uerisimilia sophistarum commenta fortiter refellere, quod non sint admodum in dissertationibus exercitati ut distenti actionibus, confugiunt ad illius qui solus est sapiens auxilium, & opem eius supplices inuocant. sicut & quidam è Mosis familiaribus in suis hymnis precatur: Muta fiant labia dolosa. Qui autem poterunt hæc silere, nisi ab eo qui solus etiam sermonis est dominus

minus, obturata fuerint? Ergo conuentus qui peccandi
 causa conflunt, cōtinuato cursu fugiendi sunt: cum pru-
 dentiae uerò scientiaeq; socijs fœdus pangendum. quapro-
 pter eorum qui dicunt: Omnes unius uiri sumus filij, pa-
 cāti sumus: miror consensum consonum. quibus libenter
 dicerem: & qui fieri potest ô boni, ut non bellum oderi-
 tis, pace delectemini, cum unum eundemq; patrem pro-
 fiteamini, nō mortalem sed immortalem, hominem dei:
 qui cū sit illius sempiterni sermo, necessario ipse quoq;
 incorruptibilis est. nam quicumq; multa principia suæ
 animæ genitiua faciūt, multorum deorum superstitioni
 nefaria dediti, alij colunt alios, & autores fiunt tam se-
 ditionum ciuiliū quā externorū tumultuum, ab ini-
 tio uitæ finem usq; bellis perpetuis implicati. qui uerò
 gaudent uno genere, & unum parentem rectum sermo-
 nem colunt, miranturq; harmoniam & musicam uirtus-
 tum concinentiam, serenā tranquillamq; uitam exigūt:
 non tamen ociosam ignauamq; , ut quidam existimant,
 sed admodum uirilem, et ualde acrem contra studiorum
 suorum interpellatores, & indefinentes turbatores fœ-
 derum. nam qui suo pte ingenio pacem amant, bellicosi
 debent esse, in statione collocati contra infestantes quie-
 tem animæ. testis est mihi primum cuiusq; uirtutib. de-
 diti animus ad hunc modū dispositus. deinde unus è pro-
 phetico sodalitis, qui numine afflatus exclamat: O ma-
 ter, qualem me peperisti hominem pugnae, & hominem
 iniucundū uniuerse terræ. nec ipse profui, nec mihi pro-
 fuerunt: neq; uires meæ defecerunt ab execrationib. eo-
 rum. An non omnis sapiens omnib. stultis perpetuus ho-
 stis

stis est, oppugnans eos classib. aut machinis aut exerciti-
 bus sed rationibus? Cum cuim in media pace cōtinue ho-
 mines in se inuicem insurgentes priuatim ac publice ui-
 det, nec tantum gentes, regiones, ciuitates, castella, sed et-
 tiam singulas domos, singulos uiros mutuo se bello im-
 petere: quis non præsentes obiurgat, admonet, castigat,
 interdū noctuq; non conquiescens, eo quod ipsius ani-
 ma nullam quietem admittere queat ob innatum odium
 malitiæ. nam eadem quæ in bello, etiam in pace patran-
 tur facinora omnia, spoliant, rapiunt, captiuant, præ-
 dantur, uasant: uim, cruciatum, stuprum, probrum offe-
 runt: aut dolo clam, aut ui palam, quantum possunt in-
 terficiunt. nam cum diuitias aut gloriam singuli finem
 propositum habeant, ad hunc tanquam tela uitæ actio-
 nes omnes dirigunt, æquationē iuris negligunt, inæqua-
 litatem diligunt, societate auersantur, unusquisq; cupit
 occupare aliena omnia, osor hominum & exosus inui-
 cem, simulator beneuolentiæ, adulationis fucatiæ amicus,
 amicitie germanæ hostis, ueritatis inimicus, propugna-
 tor mendacij, tardus ad iuuandum, celer ad nocendum,
 ad calumniam promptus, ad patrocinium cunctator, im-
 postor, periurus, infidus, iræ mancipium, uoluptatis ser-
 uus, malorū colluuius, honorū corruptor. hæc et huius-
 modi sunt illius admirandæ pacis bona desiderabilia, quo-
 rum simulacra in uniuscuiusq; anīna posita coluntur
 & adorantur, id quod merito male habet omnem sapi-
 entem, ut exclamare cogatur ad matrem nutricemq;
 suam sapientiam: O mater, qualem me peperisti, non ui-
 ribus staturaq; magnum, sed improbis infestissimum,

uirum iniucunditatis ac pugne, natura pacis amantem,
 ideoq; infensum pulchritudinem eius dehonestantibus.
 Non ipse profui, nec mihi profuerunt: nec illi bonis meis
 unquam usi sunt, nec ego malis eorum: sed ut est apud
 Moſem, rem concupitam accepi ab illorū nemine: quip
 pe qui omnia quæ isti cōcupiscunt ac reponunt tāquam
 utilissima, pro noxijs habeo. neq; uires meæ defecerunt
 ob execrationes quibus me deuouent. Sed forti potentia
 diuinorum dogmatum protectus, non defeci præ lassitu
 dine, inò tanto uehementius obiurgauī meos execrato
 res. Posuit enim nōs deus in contradictionem uicinis no
 stris, sicut & in sacris hymnis alicubi dictum est de om
 nibus bonæ mentis cupidis. Annō à natura contradicto
 res fuerunt omnes studiosi uirtutis atq; scientiæ, semper
 concertando cum uicinis animæ, redarguendoq; uolu
 ptates finitimas, & unā degentes concupiscencias, igna
 uie quoq; pauori cæterorumq; affectuum ac uitiorū co
 horti resistendo in faciē? adhæc sensus omnes redarguen
 do, de his quæ uiderunt oculos, de his quæ audiuerunt
 aures, nares de exhalationibus, gustū de saporibus, atq;
 etiam tactum de accidentib. ei iuxta corporis potentias
 proprietatibus. inò etiam sermonem mentis interpreta
 tem, de his quæ libenter proloquitur. Scrutandum est e
 nim non obiter, quid, quòue modo, & quam ob rem uel
 sensus sentiat, uel sermo interpretetur, uel affectus affi
 ciat, & erratum suum cuiusq; redarguendum. Qui aut
 tem nulli horum contradicit, sed omnibus deinceps an
 nuit, ignorat quàm seipsum decipiat, potentes uicinos si
 nens munitiones contra animam struere, quos debuerat
 subditos

subditos potius habere quàm dominos. qui si imperent, multa magnaq; damna dabunt, regnante apud ipsos amentia. cum uerò sunt subditi, faciunt imperata, nec iugum excutiunt. atq; ita dum pars obedire discit, pars nō scientiam tantum, sed & facultatem imperandi obtinet, totum animæ satellitium consentiet. accedētesq; ad eum qui inter ipsos est senior, dicent: Pueri tui redegerunt in potestatem summarium uirorum bellatorum, qui nobiscum sunt. ne unus quidem ex eis occisus est. sed quem admodum instrumenta musica adaptata egregie sonis omnibus, ita nos omnibus præceptis cōsoni, nec uerbum ullum inconcinnum & absonum diximus, nec factum fecimus, ut cum nobis collatus chorus ineruditorum uideri possit omnino mutus & exanimis, qualis ridēdus ille corporis nutritor Madian, & progenies huius, nomine coriaceam molem significans, somnolētus Beelphegor. sumus enim genus electum Israelis uidentis deum, inter quos ne unus quidem discrepat, ut uniuersitatis instrumentum totus mundus harmonijs musicis cōsonet. quapropter etiā Moses bellicoso sermone, qui uocatur Phinees, honorem pacis ait se tradere, quod uirtutis annulus, & uitij hostis, totā eius generationem excidit in posterum, modo quis uelit perspicere et scrutari diligēter, & oculis auribusq; suis testib. credere, quod nihil sit certi in rebus mortalibus, sed omnia pendeant ab opinionibus. Miranda igitur cōsonantia de qua modo diximus, sed magis etiam mirifica & omnes harmonias superās, communis totius populi, qui introducitur uno ore dicere: Omnia quaecunq; dixit deus faciemus & audiemus.

nam hi iam non rationis ductum sequuntur, sed ipsum deum ducem omnium, ideoq; ad facta magis quam ad uerba properant. Cum enim alij audita faciant, isti quod mirandum est, præ diuino quodam impetu aiunt facturos se prius, deinde audituros: ut non propter doctrinã & admonitionem, sed ultro & suapte sponte uideantur ad bona opera occurrere. Post factum autem audituros se aiunt, ut quæ fecerunt dijudicent, an cum sacris præceptis consonent. Cæterum coniuratos illos ab oriente profectos ait inuenisse campum in terra Senaar, & ibi sedes posuisse.] Id iuxta naturam dictum est. Sunt enim in anima duæ species orientis, altera melior, altera deterior. melior, quando solarium radiorum more splendor uirtutum exoritur. deterior, quando his obscuratis lucent alia. Prioris exemplum est hoc: Et plātauit deus paradysum in Edem contra orientem, non stirpium terrestrium, sed cælestium uirtutū, quas è suo incorporeo lumine nunquam extinguendas plantator ille accedit. Ex Mosis quoq; socio quodam audiuius dictum hoc, Ecce homo cui nomē Oriens. Noua appellatio si intelligatur de homine qui constat ex anima & corpore. sin autem de illa incorporea deum referente imagine, fateberis ei nomen hoc inditū aptissime. Hunc enim antiquissimū filium rerum pater exoriri uoluit, quem alibi primogenitum nominat: qui genitus mox patrē imitatus est, et qualia uidit apud eum exēplaria, tales formauit species. Deterioris aut orientis exemplum extat de illo, qui uolebat à deo benedictum execrari. nam & ille ad orientē habitare dicitur. sed hic oriēs quamuis cōmune cum priore nomen

nomen habet, re tamen est diuersissimus. E Mesopotamia, inquit, acciuit me Balac, è montibus orientalibus, dicens: Veni, ut execreris quem deus non execratur. Interpretatur autem Balac amens: nec immerito, qui sperabat se posse decipere illum Qui est, & certã eius sententiã humanis argutationibus irritam facere. Ideo Mesopotamiam habitat, mentem habens quasi submersam in medijs fluminibus, nec enatare ualentem, nec emergere. Talis autem affectus ut exortus insipientiæ, sic occasus bonæ mentis est. proinde isti quorum narratur dissona consonantia, profecti ab oriente dicuntur. Vtrum ab oriente uitiorum? Nam eos qui à uirtutis oriente proficiscuntur, disiungi legimus, uitijis pariter obnoxiorum unitus motus est: sicut cum manus non seorsum suis artibus, sed quæ cum toto corpore coherent, unà mouetur. Nam insipientia malis dux est ad opera non naturalia, quæ uitiorum est regio. Quicumq; autem à uirtute demigrantes sequuntur insipientiam, conuenientem sibi natæ locum inhabitant, qui Hebraica lingua Sēnaar, Græcā uerò excusio uocatur. Conuellitur enim & concutitur, quassaturq; tota malorum hominū uita, semper confusa turbataq; ne uestigium quidem germani boni in se retinens. nam sicut ea quæ excutiuntur nihil nisi concretum retinent, sic & cuiusq; cum iniquis cōfœderati anima mihi uidetur excuti. omnes enim uirtutis species abijcit, ut nec umbra nec imago eius ulla fiat reliqua. certe gens Aegyptiorum amantissima corporis, non ab aqua, sed sub aquam fugere inducitur: quæ ubi semel subiecit se affectibus, quassatur ac miscetur, in locum bene con-

stituta=

stuitate pacataq; uirtutis tumultibus uitiorum succeden-
tibus. Legimus enim excussos Aegyptios dum per me-
dias marinas undas fugiunt. Hi sunt qui ne Iosephū qui-
dem norunt, fastum uitæ uarium, sed propalam peccan-
tes, ne uestigium quidem, aut umbram, aut simulacrum
ullum honestatis sibi reseruant. Exortus est, inquit, rex
alius super Aegyptum, qui ne infimum quidem & no-
uissimum bonorum Iosephum nouerat: qui non modo
perfectiones, sed & profectus ignorabat: & tantū à ui-
sione perfecta aberat, ut ne auditu quidem quicquā per-
ceperit, dicens: Adestum, execrare mihi posteritatem
Iacob, & maledic nepotibus Israel. ac si diceret: Veni, ex-
tingue uisum auditumq; animæ, nequid uere bonum ho-
nestumq; uel uideat uel audiat. uisum enim Israel, audi-
tum Iacob significat. Talium mens omnem boni naturā
abijcit, excussa quodammodo: sicut proborum ediuer-
so meras sincerāsq; ideas bonorum consecretans, excutit
reijcitq; cætera tanquam folia. Contemplare illum medi-
tatoreū quid loquatur: Tollite deos alienos quos habe-
tis è medio uestrum, & purificamini mutateq; uestes,
& facto agmine ascendamus in Bethel: ut etiam si Labā
postulauerit potestatem inquirendi in totam familiam,
non inueniat simulacra, essentias ueras insculptas in mē-
te sapientis, quæ ad Isaac familiam à seipsa doctam perti-
nent iure hæreditario. nam hic solus accipit paternam
substantiam. Hic observa quod non ait eos uenisse in cā-
pum in quo manserunt, sed quæsitum inuenisse, utique
postquam discesserunt ubinam esset locus ad insaniam
commo disimus. Ita est profecto, inspiens non aliunde
accipit,

Accipit, sed ipse sibi querendo mala inuenit, non contē-
 tus his per quæ misera natura ultro incedit, sed cum u-
 lans ea malis artibus & exercitijs. atq; utinam paulum
 ibi commoratus migraret aliò: nunc habitare ibi postu-
 lat. dicit enim scriptura, quòd inuento cāpo habitarunt
 ibi tanquam in patria, non tanquam inquilini regionis
 exteræ. Leuius enim malum fuisset, si postquam in peccata
 inciderant, pro alienis ea peregrinisq; habuissent,
 non pro cognatis ac domesticis. inquilini enim potuis-
 sent discedere, sedibus uero semel electis immanendum
 erat postea. quapropter apud Mosē sapientes omnes.
 inducuntur inquilini. nam horum animæ in coloniam è
 cælo missæ sunt. solent enim uisendi ac discendi gratia
 peregrinationem in terrenam naturam suscipere. ibi ho-
 spitio corporis usæ, & contēplate sensibilia mortaliaq;
 omnia, retro unde uenerant redeunt, memores cælum si-
 bi ciuitatem esse ac patriam, in his uero terræ finitimis
 uti se tantum hospitio. cæteris enim colonis nouæ sedes
 eximunt desiderium ueteris patriæ: sed hæc reditum suo-
 rū expectat, & ipsi redire desiderant. Itaq; merito Abra-
 ham qui mortuam uitam sepulchrumq; reliquit, mor-
 tuorum custodes & mortalium rerum dispēsatores sic
 alloquitur: Aduena et inquilinus sum ego inter uos. uos
 autem indigenæ, qui cinerem & puluerem pluris faci-
 tis quàm animam, dum uobis præfistis Ephron, quod
 nomen significat puluerem. Merito autem & medita-
 tor ille iacob inquilinum se in corpore queritur dicens:
 Dies annorum uitæ meæ quibus inquilinus sum, pauci-
 maliq; fuerunt: non peruenerunt ad dies patrum meo-
 rum

rum quibus inquilini fuerunt. At illi à seipso docto etiā oraculum redditum est hoc: Ne descendas in affectionē Aegyptum, sed habita in terra quam tibi indicabo, in mansione incorporea inuisibiliq; interim inquilinum age in hac uisibili & sensibili essentia. ut ostenderet, sapientem in sensibili corpore peregre agere, cum patriā habeat uerumq; domicilium in uirtutibus intelligibilibus, quæ ex ore dei procedunt nihil differentes ab eius sermonibus. Moses autem, Aduena, inquit, sum in externa regione. Egregie, ne hoc quidem honore corpus dignatus, ut inquilinum eius se profiteretur, sed alienum se ab hoc existimans. Cæterum malus uir ostendere uolens, unam linguam unumq; labium non in uocabulis situm, sed in societate facinorum, rursum aggreditur negocium, & turrim tanquam arcem tyrāno uitio struit, sodales omnes ad hoc opus conuocans, ut paratam materiem suggerant. Venite, inquit, faciamus lateres, & coquamus eos igni.] Ac si dicat: Nūc permiscuimus & confudimus omnes partes animæ, ut speciei nullius ulla forma iam appareat: consentaneū igitur his cœptis fuerit, ut quando essentiam specie qualitateq; carentem, affectum & uitium assumpsimus, diuidamus eam usq; in extremas & qualitates & species, quo magis eas percipiamus, earumq; usumfructum, qui cognitus maiorem uoluptatem pariturus uidetur. Adeste igitur cogitationes omnes & ratiocinationes, tanquam uocatæ in senatum animæ, quotquot iustitiæ uirtutumq; omnium curatis perniciem, ut collatis consilijs dispiciamus, quomodo assequi possumus optatum exitum. assequemur certe
si

firem gerendam auspiciabimur à fundamento hoc: ut in
 formia formemus figuris additis, circūscribamusq; sin-
 gula, ne uacillent & claudicēt, sed fixa firmaq; maneāt,
 assumpta quadratæ formæ natura. hæc enim cum sit in-
 concussa indeflexaq; laterculi more, etiam quæ super-
 ædificabuntur sustinebit firmiter. talis structuræ quæli-
 bet aduersa deo mens, quem Aegypti, id est, corporis re-
 gem dicimus, inuenitur opifex. hunc enim Moses indu-
 cit delectari latericijs ædificijs. postquam enim aliquis
 aquam terramq;, illam humidam, hanc solidam essen-
 tiam, ne dilaberentur corrumpereanturq; miscuit, & ex
 his duobus tertium quiddam utriq; cognatum effecit,
 quod lutum uocatur, in portiones hoc secare non desi-
 nit, suam cuiq; segmento formā affingens, ut firma fiant
 & ad structuram commoda. sic enim opus absoluitur
 non magno negotio. hoc imitati homines prauo inge-
 nio, postquam brutos & nimios affectionū impetus mi-
 seuerunt cum grauiſſimis uitijs, secant eam temperatu-
 ram in species, quas fingunt formantq; miseri, ex qui-
 bus contra animam arx celsa erigitur: dum sensus diui-
 duntur in uisum, auditum, gustum, odoratum, tactum:
 affectus in gaudium, concupiscentiam, timorem atq; do-
 lorem: uitiorum genus in imprudentiam, luxuriam, ti-
 miditatem, iniustitiam, & his cognata cetera. Nec de-
 sunt his etiam nequiores, qui non contenti hunc conatū
 suscepisse, etiam alios ipsis meliores, ad contemplatiuū
 genus pertinentes, cogūt lateres facere, & ciuitates mu-
 nitas ædificare, suo regi, ut uideri uult, intellectui: &
 hoc agunt, ut declarent bonū seruire malo, affectus plus
 posse

posse quam tranquillitatem animi, prudentiam cum uirtutibus subditam esse imprudentiæ cæterisq; uitijis, ut ne esse habeant dominorum imperata facere. Ecce, aiunt, etiam animæ oculus lucidissimus, purissimus, omnia cernens acutissime, cui soli deum uidere licet, nomine Israel, implicitus aliquando corporeis Aegypti casibus perfert iussa grauissima, ut lateres faciat & alia terrena opera cum ingenti labore ac uexatione: quapropter merito dolet ac gemit, quippe cui hoc unum suppetit, uberes in tantis malis lacrymæ. Nam recte dicitur, quod ingemuerunt filij Israel præ grauitate operum. Et quis sanæ mentis uidens uulgi opera, nimiaq; studia, pecuniæ, gloriæ, uoluptatum, non uehementer doleat, & ad solū seruatorem deum exclamet, ut ille mala subleuet, per solitoq; pro anima precio, in libertatē eam uindictet? Sed quæ tandem est hæc libertas? Illi soli sapienti seruire, sicut testantur oracula in quibus dictum est: Emitte populum, ut mihi seruiat. Est autem proprium seruientium ei Qui est, ut nec pincernarum, nec pistorū, nec coquorum opera, nec alia terrena ulla fingant componantq; corpora in modum laterum: sed ascendant cogitationibus ad ætheream celsitudinem, præeunte Mose amico dei carissimo. tunc enim manifeste contemplabuntur locum in quo deus insistit rectus & immutabilis: & scabellum pedum eius lapidi sapphiro simile & firmamento cæli, uidelicet mundum hunc sensibilem, qui per hæc significatur. decet enim ut fœderati scientiæ talium spectaculorum sint cupidi: & si non amplius, saltem illam imaginem uideant, uerbum sacratissimum, deinde hunc mundum

mundum etiam inter opera sensibilia perfectissimum. nam philosophari nihil est aliud, quàm his perspicendis diligenter studere. sensibilis autem mundus scabellum dei dicitur has ob causas. Primum ut liqueat, quod creaturis non insit causa efficiens. deinde ut discamus, quod totus mundus non suo libero motu mouetur, sed gubernatur à deo rerum dispensatore, qui salutariter clauum moderatur uniuersitatis, idq; sine manibus ac pedibus alijsq; creatis partibus iuxta doctrinam uerissimam. nō est enim deus similis homini, quamuis nonnunquam docendi causa dicantur de eo talia, dum non possumus ultra nosipsos sapere, sed ex nostris accidentibus de Ingenito illo coniecturas quasdam facimus. Illud quoq; perpulchre se habet, quod mundus assimilatur figuræ laterculi. uidetur enim & ipse stare herereq; quantum uisū percipitur, quamuis utatur motu ocysimo, nullam non præuolante creaturam. nam interdum solem, noctu lunam, stare imaginantur oculi corporis: cum tamen nemo nesciat, horum siderum cursum esse concitatissimū, quæ totum cælum intra unam diem obeunt. sic & uniuersum cælum quod stare uidetur in orbem circumuoluitur, qui motus inuisibili diuinoq; mentis oculo comprehenditur. Inducuntur autem hos lateres igni coquere: quod significat, affectus ac uitia calido motuq; sermone confirmari, ne à sapientiæ satellitibus deleri possint, qui semper moluntur eis perniciem. quapropter additū est: Fuerunt eis lateres pro saxis.] Quod enim rarum ac fluidum est in bruto impetu, in naturam solidam resistentemq; constipatum & densatum, mutatum

est rationibus ualidis & demonstrationib. certissimis, postquam contemplationes perceptæ uirilem quandam maturitatem assumpserunt, quæ in tenera ætate diffuissent propter humiditatem animæ, nondum ualentis impressas formas durare conseruareq;. Et bitumen fuit eis pro luto.] Non contra lutum pro bitumine. uidentur enim mali quæ infirma sunt communire contra meliores, & fluxa dissolutaq; compingere, ut ex tuto in uirtutem iaculentur. Sed propicius pater bonorum non sinet illorum substructiones constabili, & non subsistente uano studio reddet eas labiles, tanquam molle lutum & fluidum. quod si lutum factum esset in bitumen, fortasse terrenum istud sensibile quod est in fluxu continuo, soliditatem accepisset perpetuam & durabilem. Sed quoniam uersa uice bitumen in lutum mutatum est, bono si minus animo. est enim certa spes fore, ut firmæ uitiorum munitiones excidantur per dei potentiam. Itaq; iustus ille in magno continuoq; uitæ diluuiio, nondum ualens absq; sensibus animo solo res uere cernere, arcam, corpus inquam, intus & extra bitumine perungit firmitatis gratia. cessante uero & terrore & periculo tempestatis illius iam se remittentis, exhibet adiutus intellectu incorporeo ad percipiendam ueritatem. nam illud elegans ab ipsa natiuitate ingenium quod appellatur Moyses, pro patria mundum habens in cuius ciuitatem ascriptum est, astrictum uni loco bitumine piceq; oblito corpori, putanti se omnes rerum sensibus subiectarum imaginationes capere seruareq;, deplorat se uinctum, incorpoream naturam desiderans: deplorat etiam inflatā &

errantē

errantem mentem vulgi miseri, quæ pendens à falsa opinionone, putat inesse sibi aliquid certum firmumq; , aut in uniuerſum creaturam ullam eſſe immutabilem, cum perpetuæ ſtabilitatis exemplum in uno deo ſit propoſitum. Cæterum illa uerba, Venite & ædificemus nobis ipsis ciuitatem & turrim, cuius faſtigium uſq; ad cælum pertingat, tale quiddam ſubindicant. Ciuitates apud legiſlatorem non tantum uulgares iſte intelliguntur, uerū etiam quas homines in animabus ſuis circumſerunt. hæ uidentur exemplares, ut diuiniorem paraturam ſortitæ. illæ uero harum imagines, cum conſtent ex eſſentia corruptibili. ſunt autem duæ ciuitatis ſpecies, altera melior, altera deterior. melior, in qua ſub populari adminiſtratione reip. ciues æquo iure uiuunt, legibus principatum obimentibus. hæc ad laudem dei pertinet. deterior aut, adulterina, falſæq; moneta, in qua penes uulgum eſt regimen, & inæqualitas eſt in precio, præſidente iniquitate atq; iniuſtitia. in prioris ius probi aſcribuntur, in poſterioris ignauorum multitudo, perturbationem magis quàm ordinem, & conſuſionem magis quàm bonā conſtitutionem diligens. Inſipiens autem ſocios poſtulat, non contentus peccatis proprijs: hortaturq; ad nauandam ſibi operam nunc uiſum, nunc auditum, nunc ſenſus cæteros ut incunſtanter præſto ſint, & pro uiribus ſuum quiſq; miniſterium accommodet. accerſit etiā & concitat cæteras cateruas affectuum ſuapte natura indomitorum, ut prælia meditādo inuiſtus euadat. Hos igitur ſocios mens his uerbis concitat: Aedificemus nobis ciuitatem, ac ſi dicat, partes noſtras communiamus,

circumdemus nobis firma mœnia, ne simus expositi hō-
 stilibus incurſationibus, distribuamur in tribus & cu-
 rias, in quas adſcribantur inſitæ in anima potentiæ, &
 pars brutis contribuatur, pars rationalibus. magiſtra-
 tus autem eligamus nobis commodos, opulentiam, glo-
 riam, honores, uoluptates, per quos adipiſcamur poten-
 tiam, excluſa iuſtitia paupertatem obſcuritatemq; affer-
 re ſecum ſolita. Scribamus leges quæ faueant potentiōri-
 bus, quorum ut reip. utiliorum, præcipua habenda eſt
 ratio. in primis turris extruatur, quæ ultio tyranno ſit
 pro arce regiaq; munitiſſima, cuius pedes in terra nitan-
 tur, caput ad cælum pertingat, magnanimitate ad tantā
 celſitudinem penetrans. nam certum eſt eam non in ſo-
 lis humanis iniquitatibus conſiſtere, ſed properare ad
 celeſtia per impios & deo infeſtos ſermones, dum aut
 celi numen negat, aut prouidentiam eius, aut mundi cō-
 diti principium: uel ſi hunc creatum concedit, tamen &
 cauſas eius incertat putat, & motum ei moderatum adi-
 mit, affirmans eum nunc perperam, nunc contumaciter
 agitari, ſicut naues aut quadrigas circenſium: quæ nun-
 quam ſine gubernatore aurigaq; ſeruntur curſu proſpe-
 ro. at prouidentia non interdum, ſed humana ſæpe, diui-
 na ſemper, bonum habet euentum. nam error conſeſſio-
 ne omnium abeſt à diuina potentia. Proinde hac figura
 ſignificatur, inſanos homines malitiæ rationem tanquā
 turrim ædificare, nihil aliud quærentes niſi ut nomen ſuū
 magnum magis quā bonum transmittant ad poſteros.
 dicunt enim, Faciamus nobis nomen.] O inſignem im-
 pudentiam. quid ait? cum debeatis tenebris ueſtræ ini-
 quia

quitates abdere, & prætextum eis si nõ uerum certe uerisimilem quærere, uel ad ineundam apud honestiores gratiam, uel ut effugiatis pœnas confessorum criminũ: audetis tantum non in clarissima luce uos ostentare, cõtemptis & minis hominum, & supplicijs diuinitus infligendis sine clementia? & insuper circumquaq; rumorres nunciosq; iniquitatum uestrarum dimittendos censetis, ut nemo nesciat, nemo non audiat uestra õ miserã ac scelesti facinora? At quale tandem nomẽ cupitis? certe quale factis uestris conuenit. id uero est ne unum solum? genere fortassis unum, sed in species distinctum innumeras, quas uel silentibus uobis opprobrabunt alij. inest enim uobis petulantia cum impudentia, contẽptus cum uiolentia, uis cum cæde, stupra cum adulterijs, cum immoderatis uoluptatibus immensa concupiscentia, cõtemeritate insolentia, cum calliditate iniustitia, cum furacitate rapacitas, cum mendacijs periuria, cum iniquitatibus impietas. hæc sunt ista nomina, et his similia. bella uerò gloriatio, captare celebritatem nominis ex his quæ cælari debuerant. Sunt tamen qui ualde sibi rebus talibus placent, putantes inde se lucrificere præclaram existimationem apud homines, qui ultrices tam immanis audaciæ diras non effugient, non solum præsagientes, sed & præuidentes suum interitum. quos libet sic alloqueri: Scitis fore ut dissipemini. Cur igitur peccatis? Sed fortasse morem insipientium proponit, qui etiã maximis pœnis non obscure sed manifeste impendentibus, ab iniurijs non temperant. sunt autem notissimæ artes malæ, quas solet ferire diuina ultio. & pessimi quoq;

cogitant deum non ignorare ipsorum maleficia, nec se posse illius animadversionem depellere. alioquin unde sciunt se dissipandos? attamen dicunt. Priusquam dissipergamur.] Profecto conscientia redarguit in pectore, & quanquam contemptores dei stimulat, ut uel inuiti cogantur intelligere, humanas res administrari à natura prestantiore, & esse iustitiam quæ implacabiliter scelera uindictet, insensam iniustis impiorum facinoribus, & eis etiam qui his patrocinantur. Verum isti oēs sunt semper morientis, & nunquam emortuæ miseriæ posteritas, illius quæ Cain nominatur. Annon & Cain post natum sibi filium, quem nomine idem quod ipsius significante appellarat Enoch, inducitur ciuitatem condere, et quodammodo creaturas mortales edificare, ad subuersionem rerum diuiniorem apparatus sortitarū? Nam Enoch interpretatur gratia tua. At impius quisq; opinatur quod cogitat & intelligit esse intellectus sui gratiam: quod uidet, oculorum: quod audit, aurium: quod olfacit, narium: itidemq; cætera officia fert accepta suis sensibus, sicut & sermonem uocis instrumentis. deū autem causam esse negat, aut contendit non esse primariā. ideo primitias agriculturæ suæ sibi reponit, contentus obtulisse deo de fructibus, quamuis exemplum salubre haberet in proximo. nam frater eius primogenita, non secundarios gregis partus sacrificat, confitens antiquissimas causas esse penes autorem antiquissimū. at impius opinionem tuetur contrariam: intellectum habere suæ uoluntatis potestatem liberam, & sensum sentire quicquid uult. iudicare enim uere libereq;, hunc de corporibus,

ribus, illum de omnibus. atqui adeo sunt reprehensibiles, & à ueritate conuincibiles, ut nihil supra. nōne intellectus sæpe in rebus innumeris delirij coargutus est? nōne sensus omnes deprehensi in falso testimonio? non pro tribunali rationis, quæ & ipsa falli potest, sed ipsa natura iudice, cuius incorruptissimum est iudicium. pro inde cum & intellectus noster & sensus sit in lubrico, necessario fatendum est deum nobis impluere & cogitationem & uim percipiendi. & hanc gratiam nobis conferri non à nostris partibus, sed ab illo cui totum debemus quicquid sumus. At arrogantes filij hæreditatem à patre acceptam cupiunt ad cælum exstruere, donec iustitia uirtutis amica, uitiorū hostis, aggressa ciuitates communitas contra miseram animam, & has demolitur & turrin, cuius nomen in Iudicum libro scriptum extat. id Hebraice dicitur Phanuel, interpretatur autem Auersio dei. nam quæuis munitio quæ per ratiocinationes probabiles adstruitur, ad nihil aliud ædificatur, quam ut mentem diuertat & defleat à cultu dei, quo conatu quid esse possit iniquius? uerum contra hanc turrin prædator & hostis iniustitiæ suscipit expeditionem, qui Hebraicè uocatur Gedeon, et interpretatur prædonum receptaculum. Iurauit, inquit, Gedeon Phanuelitis dices: Cū uictor in pace reuertar diruā turrin istam. Egregia comminatio, decens animam hostiliter affectam erga malos & impios, fore ut subruantur omnes rationes quæ ducunt ad impietatem, & solet ita fieri. Cum enim mens conuertitur, destruitur quod auersum fuerat. & quod iure mireris, huius demolitionis tempus ait esse nō

bellum sed pacem, mētis enim stabilitate quieteq; quam pietas solet parere, subuertitur omnis ratiocinatio quā struxit impietas. Sunt etiam multi qui sensus in modum turris extollunt tantopere, ut ad celi fines pertingant, per cælum autem noster intellectus significatur, in quo præstantes diuinæq; naturæ uersantur. Hæc qui audent, sensum intellectui præferunt, uolentes expugnare intelligibilia per sensibilia, facereq; seruos è dominis, & uice uersa è seruis dominos. Cæterum illa uerba: Descendit dominus ut uideret ciuitatem & turrim,] figuratè accipienda sunt. nam credere quòd deus accedat aut recedat, aut descendat ascendatq; , uel in totum sicut animalia mouentur stet moueaturue, impietatis est deportandæ in extremas, ut uulgius loquitur, insulas Oceani. Sed ista humano more legislator de deo dicit, quamuis haudquaquam humana forma prædito, ad utilitatem discientium, ut iam antè non semel admonuimus. Quis enim ignorat quòd descendens alio loco relicto alium occupat? Deus autem implet omnia, nō contentus sed continens, qui solus ubiq; simul & nusquam est. nusquam, quia ipse locum & regionem creauit unà cum corporibus, nec fas est autorem intra ullam suam creaturam includi. Vbiq; autem, quia potentijs suis per terram, aquā, aerem, cælum extensis, nullam partem mundi destituit, sed omnia inter se inuicem astringit inuisibilibus uinculis, ne unquam soluantur, plurimum laudandus hoc nomine. quod enim celsius est omnibus potentijs, intelligitur eas excedere, cum eas in potestate habeat. uirtus autem illa omnipotens quæ condidit & gubernat omnia,

uere

vere deus dicitur, omnia continens in gremio, & omnia penetrans uel minima. id inuisibile incomprehensibileq; numen cum sit ubiq; , nusquam tamen uerè cernitur aut percipitur. & cum dicit: Sto ante te, uidetur quidem se ostendere, sed maior est quàm ut uel indicari possit uel uideri ab ulla creatura. Ergo migratorij motus nomina nequaquam deo conueniunt, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, prorsum, retrorsum: nec tale quicquam intelligitur de illo qui locum non mutat, nihilominus dicitur descendens uisere, qui omnia prius etiàm quàm fiât præuidet manifestissime: ut doceamur moneamurq; , nequis homo de absentibus rebus & incertis putet se posse certam coniecturam facere, sed propius introspecto negotio diligenter cuncta perlustret. uisus enim certus potius quàm fallax auditus, testis adhibendus est. quapropter in optime constituta rep. lege cautum est, nequis audita dicat pro testimonio, quia iudiciū auditus naturaliter facile est corruptoribus. Apud Mosem quoq; inter uetita legitur: Non admittes auditionem uanā. ubi nō tantum interdicit, nequis falsum sermonem aut stultum accipiat auribus: sed docet quod ad manifestam ueritatis perceptionē longè minus quàm uisus idoneus habeatur auditus, cum sit refertus uanitatibus. Hæc censemus esse causam cur descendisse dicatur deus ut ciuitatē ac turrim uiseret. nec temerè additum est, Quam ædificarant filij hominum.] Fortassis enim profanus aliquis cauillabitur: Nouam uerò rem nos docet legislator, turres atq; ciuitates non ab alijs ædificari quàm filijs hominum. quis adcò demens est, ut hæc tam manifest-

sta nesciat? Verum non ista obuia protritaq; consideran-
 da sunt in sacris oraculis, sed uestiganda quæ teguntur
 sub his apertis uocabulis. Quid igitur hoc est? Qui re-
 bus multos quasi patres tribuunt, et multorum decorum
 cateruam introducunt, negocia confundentes per impe-
 ritiam, & animæ finem uoluptati assignantes, opifices
 dictæ urbis eiusq; arcis, si uerum fatendum est, facti sunt:
 quas ad finem illum deducunt extruendo tanquam ædi-
 ficia, ipsi non absimiles opinor natis è scorto, qui à diui-
 na concione arcentur legē dicente, Non intrabit natus è
 meretrice in ecclesiam domini. Isti enim quasi passim ia-
 culantes sagittarij, qui in nullam scopum præstitutum
 tela dirigunt, innumera principia causasq; rerum crea-
 tarum supponunt, falsas omnes, cum unum factorem pa-
 tremq; uniuersitatis nesciant. sed qui scientiam habent,
 unius dei soli appellantur merito, sicut & Moses fate-
 tur dicens, Filij estis domini dei. & alibi, Deum qui te ge-
 nuit. &, Nōne hic ipse pater tuus est? Qui sic affecti
 sunt, solum honestum bonum existimant, quæ est arx ab
 huius belli peritis contra finem uoluptatem sectantium
 opposita, ut illum expugnatum tollant è medio. quod si
 nondum quisquam est dignus ut dei filius appelletur, tu
 tamen da operam ut ornatus sis sicut uerbum eius pri-
 mogenitum, angelus antiquissimus, & quidam uaria-
 rum appellationum archangelus: uidelicet principium,
 nomen dei uerbumq; dictus, & homo factus ad imagi-
 nem, & uidens ille Israel. Quamobrē superius adductus
 sum ut laudare eos qui sui generis initia referunt ad unū
 arium communem parentem. nam si nondum idonei su-
 mus

mus ut nominemur dei filij, simus saltem sermonis illius
sacratissimi, qui eius sempiterna imago est. imago enim
dei est uerbum illud antiquissimum. hoc genus multis in
locis lex filios Israel etiam nominat, uidentis illius audi-
tores, quandoquidem post uisum auditus secundum ho-
norem meretur, & qui discunt, posthabendi sunt eis qui
absq; præceptore manifestas subiectorum formas perci-
piunt. Proinde ueneror in Regum libris sacras literas,
ubi qui post multas ætates flagitiose uixerunt, tamen ad
stirpis autorem Dauid hymnorum diuinorum poetam
referuntur, qui uiuus uidensq; ne proauos quidem eor-
um agnouisset pro suis posteris. animarum enim quas
uirtus immortalitati consecrat, non corruptibilium cor-
porum soboles, in posteritate bonorum uirorum cense-
tur. cæterum de his qui se iactant ob iniusta facinora, di-
cit dominus: Ecce genus unū & labium unum omnium:
ac si dicat, Ecce una familia cognatioq; pariter omnū,
nemine mutante sententiam, nec discrepante, quemad-
modum & musicæ imperiti consonant. nam & horum
uocis instrumenta interdum modis omnibus inconcin-
na sunt & dissona, ut nihil inter eos conueniat, nisi
quod pariter discrepant. Idem & in febribus usu uenit
ut uidemus. nam & quotidiani & tertiani & quarta-
ni ut medicorum filij uocant circuitus, statas horas ha-
bent nocturnas diurnasq;, & eundem semper seruant
ordinem. Porro illud: Cæperuntq; hoc facere, non sine
indignatione dictum est: quod malefici non contenti hu-
manæ societatis iura uiolasse, ad cælum sint ausi scande-
re, iniquitatem seminantes, & metentes impietatem. sed
nihil

nihil proficiēt miseri. nā qui se mutuis iniurijs afficiunt, sepe consilia quamuis ab ipsis damnata, perducunt tamen ad effectum, impij uerò non item. Numen quod impetunt, illesum manet, ipsi maculam contrahunt ineluibilem. & ordiuntur quidem iniuriam, sed nihil efficiūt. Propterea sic dictum est: Cœperūt facere. Homines inexplebilit̃er peccandi auidi, non contenti facinorib. terra mariq; patratis & in aere, quæ sunt elementa corruptibilia, decreuerūt naturæ cœlesti ac diuinæ inferre manus impias: quæ cum inter creaturas non censetur, est extra omnem aleam iniuriæ. quæ etiamsi maledictis appetatur, nihilo habet deterius, nec à sempiterna sua natura dimouetur, sed maledicis calamitates infert haud unquam medicabiles. siquidem etiamsi cœptis frustratis non potuerunt ad destinatum impietatis suæ finem peruenire, nihilo minus ac si cogitatum facinus perpetrassent, damnandi sunt. & hoc est quod ait absolutam turrim ab eis, quamuis pēderet adhuc, dicens: Dominus descendit ut uiseret ciuitatem ac turrim, non quam ædificaturi erant, sed quam ædificauerant. & quod argumentum est imperfectæ structuræ? Primum ipsa res satis liquet. nulla enim terræ pars ualet cælum attingere, ob causam supradictam, quia nullum centrum tangit suam circumferētiam. deinde, quoniam æther sacratus ignis, flamma est inextinguibilis, iuxta Græcam nominis etymologiam, *ωαρά τὸ αἰθερ*, quod urere significat. testis est sol ignium pars cœlestium, qui ex tanto intervallo intima terræ penetrat suis radijs: nec tantum hanc, sed & aerem, qui ad cœlestem usq; orbem ab ea pertinet

ket, licet suapte natura frigidum, partim tepescit, partim exurit. nam quæcunq; aut multum distat ab eius orbita, aut ad latus alterutrum declinant, tepescit tantummodo. quæ uerò aut propinqua sunt aut directe opposita, maiore ui caloris exurit. quæ cum ita se habeat, non erat opus ullis fulminibus contra conantes ascendere, cum alioquin ausus illi magnifici euanesceret. Quod subindicatur per ea quæ mox sequuntur: Desiuerunt, inquit, edificare ciuitatem & turrin.] Dubio procul non quia perfecerant eam, sed quia confusio secuta prohibuit quominus perficerent. nec tamen effugerunt crimen perpetrati facinoris, qui cōsiliū tam immane non dubitarunt aggredi. certē augurē illum & prodigiorum procuratorem, uanis coniecturis studentem (uanus enim interpretatur Balaam) lex ait populo uidenti maledixisse, quamuis in uerbis eius erat fausta precatio: mirum ni non respectu dictorum eius quæ diuina providentia recudebat in quandā meliorem monetam, sed mentis ipsius, cui noxia magis obuersabantur quàm utilia. pugnam autem hæc inter se suo pte ingenio, coniectura cum ueritate, uanitas cum scientia, diuino furore carens diuinitas cum sapientia: & quamuis aliquis conatus per insidias alterum interimere frustratus est, nihilominus homicidij reus est, sicut decernit super hoc casu scripta lex. Siquis, inquit, conatus fuerit proximum suum dolo perdere, & ad altare confugerit, abstractum afficies supplicio. Atqui conatus tantum, non interemit. at par est maleficium, patrasse eadem, & decrescere. quamobrem ne supplici quidem uenia datur, sed

è sacrario duci iubetur qui concepit tam nefarium consi-
 lium. profanus est autē & nefastus non solum quoniam
 animæ per uirtutis usum fructum ualenti perpetuo uiue-
 re, per uitiorum assultū cædem molitus est: uerum etiam
 quia deum facit fautorem ausus impij. nam refugium id
 significat: quoniam multi uolentes euadere propria cri-
 mina, & debitis pœnis eripi, facinus suum reſerunt in
 deum, nullius mali autorem, sed bonorū omnium. proin-
 de pium habetur tales uel ab ipsis delubris abſtrahere.
Extat autē insignis pœna cōtra impietatis assertores,
quam fortasse quidam insipientes non damnum sed lu-
crum arbitrabuntur. Non deficient, inquit, ab eis omnia
quæcunq; aggressi fuerint facere. o infinitam & immen-
sam miseriam: omnia quæcunq; aggredietur mēs demen-
tissima, succedunt ex sententia: nec magnus nec paruus
conatus frustrabitur ullus, ultro negocijs animæ occur-
rentibus & sese præbentibus. hæc sunt animæ uiduæ
iudicia, peccātis absq; impedimētis omnibus. nam quis-
quis est nō prorsum insanabilis, optarit se consilio men-
tis destituit, ut cum furtum aut adulterium aut homici-
dium aut sacrilegium aut aliquid simile tentat committe-
re, successu careat, & innumera inueniat obstacula. nam
cohibitio maximum morbum arcet iniustitiam: quod si
adsit licentia, ille uitari non poterit. Et adhuc tyranno-
 rū fortunas o beati suspicitis, quibus procliuē est quid-
 uis efficere, quod rabido effëratoq; animo concipiunt?
 inō gemenda est illorū conditio. siquidem inopia & in-
 firmitas malis prodest, bonis uerò potētia cū opibus.
 Certe quidam ex insipientum numero postquam sensit
 ad

ad quantam infelicitatē perducit libertas peccandi, ait, Maior est culpa mea quā ut remittatur. Est enim ualde graue animā sine freno sinere per se indomitam, quæ habenis egrē coercetur et scutica. quamobrē oraculum propitiꝝ dei plenum bonitate spem egregiam ostentat diſciplinæ amatoribus, quod sic est redditum: Non dimittam te neq; deseram. nam laxatis animæ uinculis, quibus continebatur, maxima ſequitur calamitas, à deo deſeri, qui ſuas ipſius potentias circumdedit rebus omnibus tanquam fortiſſima uincula, & his eas indiffolubiler adſtriſtas eſſe uoluit. quin & aliubi dicit, quicquid ligatur uinculo purum eſſe, quando impuritatis cauſa eſt diſſolutio. Cauet igitur quoties uidet aliquem quidlibet expedite facere, mireris tanquam fortunatum: ſed potius ut infelicem miſerare, cui uirtutum ſterilitas, uitiſſimorum ubertas perpetua contigit. Nec illud in tranſcurre ſu & leuiter expendendum eſt, quid ſibi uelit quod ibidem ex perſona dei dicitur: Venite deſcendamus & confundamus linguam eorum.] uidetur enim quosdam alioqui tanquam operationis ſocios. idem & antea de hominis creatione dictum legitur. Dixit, inquit, dominus deus: faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: ubi uox Faciamus pluralitatem ſignificat. & rurſum dixit deus: Ecce Adam factus eſt ſicut unus è nobis, ut noſcat bonum & malum. nam illud, unus è nobis, non de uno, ſed de pluribus ponitur. Dicendum igitur illud primū, nihil in rebus equiparari deo, ſed hunc eſſe unum regem ducem principem, à quo ſolo ſas eſt ad miniſtrari ac diſpenſari uniuerſa. nam illud,

Multos

Multos imperitare malum est, rex unicus esto, non ad ciuitates & homines magis pertinet, quàm ad mundum & deum. Vnum enim unius factorem, patrem, dominum esse, necessum est, quo concessso, attexeda sunt quæ inde consequenter dependent. quænam illa? deus cum sit unus, dici nō potest quàm multas habeat socias potentias, quæ salutem rerum procurāt, quædam etiam plectunt noxios. ea uerò pœna nō est damnosa, cum peccata castiget ac coerceat. per has item potentias ille incorporeus intelligibilisq; mundus compactus est, exemplar huius mundi uisibilis: quod constat ex ideis inuisibilibus, sicut hic noster ex corporibus uisibilibus. Vtriusq; pulcritudinem admirati quidam, non solum ipsos totos consecrauerunt, uerum & partes eorum præcipuas, solem, lunam, cælum, non ueriti eas deos appellare, quorū cogitationem Moses intelligens, inquit, Domine domine, rex deorū: ut indicaret eum esse præstantiorē quàm subditos. Est & in aere animarum incorporearum sacratus chorus, affecla illarum cælestium. nam has solent angelos nominare diuina oracula. hic uniuersus exercitus in suos digestus ordines, imperatoris summi iussa exequitur, & huic uni moderatori suo sicut fas est obsequitur: in quibus copijs nō licet reperire desertorem ordinis. Rex ipse his ministerijs stipatus, utitur eis duntaxat ad ea negocia, quæ decet non à solo deo tractari. quamuis enim nullius ope indigeat pater omnium, quæ subleuetur quoties uult aliquid facere: tamen uidet quid se, quid creaturas deceat. & quædam potentijs subditis efficienda permittit, ne his quidem concessa facultate in
totum

totum libera, ut ne quod erratum in generatione admit-
tatur. Hæc igitur necessario primum dicenda habui;
nunc dicam quid inde colligitur. Animalium naturæ pri-
ma diuisio fit in partes brutam rationalemq; , rationalis
pars subdividitur in mortalem speciem & immortalē
alteram, mortalem hominum, immortalē animarum
incorporearum, quæ uersantur in cælo & in aere. hæ-
c uitiorum expertes sunt, sortem adeptæ felicem nullisq;
calamitatibus obnoxiam, quippe quæ non alligantur cor-
pori miseriarum domicilio. bruta quoq; carent uitijs;
sicut & mente, proinde non fiunt rea peccati uolunta-
rij, quando nulla præcedit deliberatio. solus propemodū
dum ex omnib. homo habens bonorum malorumq; sci-
entiam, sæpenumero eligit contemnenda, fugit sectanda
magno studio, quæ propter merito peccati sponte ad-
missi reus peragitur. conuenienter igitur huius creatio-
nem deus cum subpræfctis suis communicat dicens: Fa-
ciamus hominem: ut & benefacta eius ad ipsum auto-
rem solum referantur, et peccata ad cæteros socios. nam
ipsi omnipotenti non erat conueniens, in rationali ani-
ma uiam ad uitia sternere: quam ob rem ministris eam
partem faciendam commisit. nam complementum totius
operis postulabat ut uoluntario contrarium iungere-
tur inuoluntarium. & hæc quidem hætenus dicta sint.
superest & illud considerandum, deum bonorum tan-
tummodo causam esse, mali autem prorsus nullius: quan-
doquidem ipse bonum omnium antiquissimum est &
perfectissimum. Decet autem suæ naturæ propria ope-
rari optimum optima: improborum autem pœnas per-

Philo. 10. 1.

i. eius

eius ministros sanciri. attestantur meis dictis illa uerba perfecti meditatoris: Deus qui nutrit me à iuuentute mea, angelus qui eripit me ex malis omnibus. hic quoque nunc fatetur germana bona, quæ studiosas uirtutis animas nutriunt, ad solum deum autorem referenda: malorum autem portionem commissam angelis, ac ne his quidem liberam puniendi facultatem habentibus, ne cui ad perniciem tendenti salutaris illa natura occasionem præbeat. quapropter dicit: Venite descendamus & confundamus. hæc enim censuram merentur impij, ut beneficæ alioquin, benignæ propitiæque potentie poenas ab eis exigant: quas deus sciens humano generi utiles, per alios statuit. oportebat enim castigationem adhiberi, sic tamen ut perennes gratiarum fontes nullis malis miscerentur, non solum his quæ uerè mala sunt, sed etiam quæ esse uidentur. Nunc querendum quæ sit illa confusio. at quomodo querendum? sic opinor. Sæpe ignotos ex similium & eiusdem generis collatione cognoscimus. ad eundem modum etiam res quæ per se non facile noscuntur, manifeste apparebunt per cognatarum similitudinem. Quid est igitur confusioni simile? mixtura, sicut à maioribus traditur, & temperatura. mixtura in aridis rebus, temperatura in humidis. est igitur mixtura, corporum diuersorum perturbata coniunctio: quasi quis hordeum, triticum, pisum, ceterasque frugum species in unum aceruum congerat. temperatura uerò non est coniunctio, sed dissimilium partium mutua penetratio, quarum semel temperatarum qualitates arte quadam secerni queunt, quod dicunt in uino & aqua contingere. nam hæc duo si uniantur

tur, temperaturam conficere, quæ nihilominus redire possit ad qualitates pristinas. si enim spongiam imbuas oleo, aquam ea colligi, uinū relinqui. fortasse quia sponsa ex aquis genita cognatum liquorē ex temperamento attrahit, uinum uerò ut alienum respuit. at cōfusio fit cum penetrātibus seinuicem partibus qualitates earum pereunt, ut corruptis rebus quæ prius fuerant: unius nouæ, & à prioribus diuersæ, existat generatio: quod accidit in medicorum compositione quam uocāt tetrapharmacum: quæ constat opinor è cera, pice, resina, & adipē: quæ semel composita non possunt arte ulla separari, ut redeant ad qualitatē pristinas. sed cum singulæ nusquam appareant, ex omnibus corruptis una egregia facultas conficitur. Quoties autem deus minatur confusionem cogitationibus impijs, ea non singulis tantum uitiorum speciebus earumq; uiribus intentatur, sed & operibus eorum quæ fiunt de communi sententia: ne uel singula, uel communicatis consilijs, uires colligant ad delendam partem præstantiorem. quapropter ait: Confundamus ibi linguam eorum, ne audiant uocem quisq; sui proximi.] ac si diceret, muta surdaq; faciamus uitia singula, ut nec loquendo nec assentiendo damnum dent. Hæc est nostra super hoc textu sententia. Qui uerò aperta solum & obuia sectantur, putant hic describi oriū linguarum Græcarū ac barbararum. quos equidē nō accuso: fortassis enim & ipsi rectē sentiūt: attamē admonitos cupio, ne hactenus processisse cōtenti sint, sed transcant ad tropologiam, sic existimando, diuina oracula esse umbras quasdam corporū: ceterū quæ per has significantur,

esse res uerissimas. id si quis animo cæcutiens parum intelligit, occasionem ab ipso legislatore porrectam non negligat, uel hoc ipso in loco. Confusionem enim rem hanc appellat: qui si uoluisset solum ortum linguarum indicare, aptius diuisionem appellasset quàm confusio-
nem. non confunduntur enim quæ in partes distribuuntur, sed discernuntur potius: ut non minor pugna sit inter hæc uocabula, quàm inter res ipsas. est enim confusio, sicut iam dixi, facultatum simplicium corruptio, quæ simul congestæ unam quampiam generant. separatio uerò est unius in plura sectio: sicut cum genus ali-
quod in plures diuiditur species. Itaq; si ille solus sapiens uoluisset unam loquelam in plures partes diuidi, alijs aptioribus & magis proprijs usus fuisset appellationibus: puta diuisionem dicendo, aut distributionem, aut separationem, aut aliquid huiusmodi, non confusionem, quæ planè contrarium significat. Verùm hoc nunc est propositum, discere uitiorum constipatum cuneum, irritare horum fœdera, societatem conuellere, copias fundere fugareq; imperium ui euertere, quod erat communitum iniquitatibus maximis. Viden ut opifex ille noluit conspirare partes animæ? non oculi possunt audire, non aures cernere, non olfacere labia, non gustare nares, non ratio fungi officio sensuum, sicut nec sensus ualent in uocem crumpere. norat enim ille artifex, non expedit ut hæc se inuicem exaudiant: satius esse, ut singulæ animæ partes intra suas functiones consistant, & inconfuse maneant: idq; non minus conferre animantium generi, quàm priuatum ipsis potentijs. ediuerso uitia de-
ducta

ducta sunt in confuſionem & extremam perniciem: ut nec collatis uiribus, nec priuatis conatibus, detrimētum aſſerant partibus melioribus. & hoc eſt quod dicit: Diſperſit eos dominus illinc: ac ſi diceret, diſſipauit, eiecit, proſtigauit. nam ſpargere aliquando ad incrementum & augmentum pertinet, aliquando ad interitum & perniciem. Vult autem ille rerum plantator deus, honeſtatem eſſe omnibus inſitam, diſpergi uerò & exulare extra mundi terminos impietatem execrabilem, ut tādē tollatur è medio ciuitas uitiorū, cum inſenſis uirtuti moribus, impietatis turrim ſubſtruentibus. his enim diſſipatis, quotquot per inſipientiæ tyrannidem coacti ſunt ſolum uertere, uno edicto reuocantur in patriam: quod ipſe deus promulgat, diſertè dicente oraculo: Etiamſi diſperſus fueris à ſummo cælo ad extremitatem eius aduerſam, ſic quoq; te colligam. Itaq; concentum uirtutum à deo foueri decet, uitia uerò diſpergi & proſtigari. nec eſt aliud nomen quod uitio magis conueniat quàm confuſio. id quod euidens eſt in quouis inſipiente, qui uerbis, conſilijs, factis improbat ſiſ conſiſq; utitur.

PHILONIS IV

DAEI, DE VITA SAPIEN-

tis per doctrinam perfecti, sive De

legibus non scriptis, hoc est,

De Abrahamo, Liber.



Acra legis quinq; uoluminum
 primum uocatur & intitulatur
 Genesis, ob mundi generatio-
 nem sic nominatū, quā in prin-
 cipio continet: quamuis in eius
 reliquo res innumerae insertae
 sunt bello paceq; gestae, item ster-
 rilitates fertilitatesq; penuriae copiaeq;, adhuc maximae
 clades terrarum, incendium & diluuium, & diuerso
 reparatio felixq; prouentus animalium pariter atq; stir-
 piū: prout ferebant uel aeris temporūq; quotannis al-
 ternantium temperaturae, uel mores hominum aliās uir-
 tuti deditorum, aliās uitij. Sed quoniam ista uel partes
 mundi sunt uel accidentia, mundus autem ipse opus per-
 fectissimum ac plenissimū, ab eius generatione liber de-
 nominatus est. de quo opificio quantum potui diligēter
 tractaui in superiore uolumine. Nūc quoniam ordo po-
 stulat ut leges scrutemur, dilatis ad tempus particulari-
 bus earum ceu imaginibus, generaliores & quasi exem-
 plares primū disquiremus. Haec sunt uiri qui rectē ac sine
 culpa uixerunt, quorū uirtutes publicatae sunt in sacra-
 rum

rum literarum tabulis, non tantum ad laudem illorum, uerum etiam ad lectores in æmulationem prouocandos. fuerunt enim illi animatæ rationalesq; leges, duabus de causis ueritabiles. altera, quoniam ostendunt quòd præcepta legis a natura non discrepant. altera, quod hinc liquet non esse opus magno labore ad exigendam uitam iuxta legum regulam, quando illi prisci ante leges singillatim proditas non scripto iure usi pari facilitate atq; felicitate uixerunt: ut merito quis dicere possit, leges scriptas nihil aliud esse quàm uitarũ patrum cõmentarios, in quibus eorum dicta factaq; narrantur. nam illi scholæ nullas frequentauerant, nullis præceptoribus usi fuerant, sed à seipsis instituti doctiq; ordinem naturæ secuti sunt, quæ lex est dubio procul antiquissima omnium: quã ipsi ius summum fasq; rati esse, totam uitã suam ultro ei subdiderunt: fortuitas autem res precibus et supplicationibus cõmendantes deo propitio, hac quoq; parte uixerunt feliciter, accedente ad promptam recte agendi uoluntatẽ diuinã quoq; prouidẽtia. Quoniam igitur principium parandorum bonorum spes est, etiam hanc tantum publicam uiam ostendit et aperit anima ueri boni studiosa, quæ primum amicum spei nominat hominem, uocabulum totius generis cõmune tribuens ei per excellentiam: nam Chaldæi hominem Enos uocant: ac si solus uerẽ homo sit, qui res bonas expectat, et bona spe se sustinet. Vnde manifestum est, quòd spe carentẽ non hominem existimat, sed bestia humana forma præditã, cui desit spes proprium ornamẽtum humanæ animæ. Quamobrem cum uellet egregie laudare hunc bene sperãtem,

I 4 postquam

postquam dixit: hic sperauit in patrem & in factorem omnium subiecit, Hic est liber generationis hominum, quamuis iam & patres & aui quidam erant. Sed illos mixti generis autores censebat, hunc autem puri putiq; quod rationale uerè dicitur. nam sicut Homerus inter ceteros innumeros poeta per excellentiam uocatur, & atramētum quo scribimus, quamuis atrum sit quicquid albo opponitur, & ἀρχὴν Athenis è nouem magistratibus præcipuus, cuius nomen in fastis distinguit tempora: eodem modo bene sperantem hominem per excellentiam nominat, secretum à uulgo ignobili, et indigno tali appellatione. Nec minus rectè librum generationis uerè hominis dixit, non extra propositū, quandoquidem hic bene sperans celebratione memoriaq; dignus est, non in chartulis corrumpendis à tineis, sed in immortalibus natu-
ra, penes quam sunt commentarij uirtutum omnium. quod si quis initium numerandi faciat à primo illo ter-
rigena, hunc à Chaldeis Enos, à Latinis nominatum hominem, quartum inueniet. Quaternarius autem inter numeros honoratur apud alios quoq; philosophos, qui incorporeis & intelligibilibus essentijs delectantur, sed præcipuè apud Mosē illum sapientissimum, qui extol-
lens quartum numerum ait eum sanctum & laudabi-
lem, sicut in præcedente opere dictum est. Sanctus au-
tem & laudabilis est qui bene sperat, sicut ediuerso pro-
fanus & uituperabilis qui non sperat, timore semper u-
tēs malo consiliario. negant enim ullas duas res tam in-
festas esse inuicem, quàm spem & timorem. & merito.
nam utraq; est expectatio, altera bonarum rerum, alte-

ra contrà malarum, inter quas naturas nulla possunt intercedere fœdera. Hactenus de spe dixisse sufficiat, quā in foribus ceu iantricem natura collocauit, intus uerò ceteras uirtutes regis, quas adire licet nemini qui non prius hanc unam demeruit. proinde legislatores & leges passim promulgatæ pro magno negotio habent replevere bonâ spe animos ingenuos. qui uerò absq; alieno hortatu bene sperat, non à scripta, sed ab innata sibi lege discit hanc uirtutem, cuius ipsa natura autor est. post spem secundum ordinem tenet pœnitentia peccatorum & correctio. ideò deinceps memorat in melius mutatus hominem Enoch dictum Hebræis, id est, gratiosum, de quo sic legimus, quòd placuit Enoch deo, & non est inuentus, quoniam transtulit eum deus.] nam hæc translatio uersionem & mutationem significat. fit autem in melius, quandoquidem fit per dei prouidentiam. quicquid enim deo fauente agitur, omnino bonum est ac utile: sicut inutile quicquid citra opem numinis. Recte uerò & illud dicitur, Non est inuentus, de translato: eo quòd prior uita culpabilis euauerat, ut non inueniretur amplius, ac si ne fuisset quidem unquam antea. uel quòd non facile inueniatur qui ad potiorem ordinem transeat: quia uitium suapte natura latè patet, ideò uulgo notissimum: uirtus rara est, ut uix paucis contingat. & alioquin etiam uir improbus per fora, theatra, tribunalia, curias, conciones, omnesq; cœtus atq; sodalitates hominum cursitat, quippe curiositati assuetus, linguam habens sine ullo fine modoq; & iudicio uolubilem, commiscens confundensq; omnia, ueris mendacia, dicendis

celanda, priuatis publica, sacris profana, serijs ridicula, ignorans silentium rem esse pro tempore ac loco pulcherrimā. promide arrectis auribus, quo satisfaciat suae curiositati, bonos malos rumores captat, ut mox aut gaudeat, aut inuideat, est enim quiuis malus ingenio malitioso, inuido, honestati aduerso: ediuerso probus quiete uitae amator secessum & solitudinem diligit, latere ignotus cupiens, non societatis humanae odio, est enim cum primis amans hominum: sed quia fugitat uitia quibus uulgus delectatur, letum rebus dolendis, gaudio dignas agre ferre solitum. Quapropter inclusus domi se plerunq; continet, uix unquam limen transcendens: aut quo salutatores crebros deuitet, abdens se in aliquod rusticulum solitarium, suauius uicturus cum uiris praestantissimis, quorum tempus aboleuit corpora, solis uirtutibus eorum superstitibus, quae in literis prorsa uorsaq; oratione proditae ad posteritatis memoriam, in meliorem frugem reducant animas. Quāmobrem dictum est, quod translatus non inueniebatur, uidelicet uestigatus & inuentu haud facilis. Traiicit igitur in eruditionem ex ignorantia, in prudentiam ex imprudentia, in fortitudinem e timiditate, in pietatem ex impietate, ex uoluptatum amore in temperantiam, ex ambitione in modestiam, cui mutationi non opes, non regnum, non imperium conferendum est. Nam si uerum fateri uolumus, diuitiae, non illae caecae, sed acute cernentes, sunt uirtutum possessio: quae cum sit uera & legitima, longè praestantior censenda est, quàm isti adulterini & falso nominati principatus. Sed meminisse debemus poenitentiam

secundo

secundo post integritatem gradu consistere, sicut post
sanitatem corporis reualescentiam. Ergo perpetua per
fectio stat proxima diuinæ potentie: ceterum processu
temporis ad meliora transitus, est propria dos bene na-
tæ animæ, quæ contemptis puerilibus studijs, per soli-
ditora & magis uirilia contendit ad tranquillam consti-
tutionem, discurrentem per cogitationes honestissimas.
ideo merito post pœnitentem subsequitur deo charus uir-
tutis amator, qui Hebraice Noe, Latine quies, siue iu-
stus, uocatur, nominibus sapienti conuenientissimis. id
quod de iusto manifestū est. Nihil enim iusticia melius,
quæ principatum inter uirtutes tenens, ornat earū cho-
rum maxime. Nec minus quies, cum ediuerso præter na-
turam motus excitare tumultus, turbas, seditiones, atq;
bella soleat, quæ improborum sunt negotia. At honesta-
tis amatores quietam, immotam pacatamq; uitam præ-
ferunt. & hoc est quod à seipso non dissentientes uates sab-
batum Hebræorum septimum quenq; diem, quietem no-
minat: non, ut quidam putant, quia post sex dierum spa-
cium populus abstinebat à consuetis operibus, sed quia
septenarius numerus, tam in mundo quàm in nobis con-
fessione omnium habetur pacatissimus, & à seditione,
bello, contentione alienissimus. Attestatur mihi quæ no-
bis insunt potentie. Harum enim sex indefinenter bella
terra mariq; concitant, quinq; sensus & sermo qui pro-
fertur: illi desiderio sensibiliū, quibus se non potiri ægre
ferunt: hic per os infrenæ, multa silenda effutens. At se-
ptima potentia, nempe mens cæterarum dux, quādo in-
potestate illas sex retinet, & perdomitis eis in secessum
sc

se recipit, amans solitudinis & contenta secum ipsa colloqui, nullius externi confabulatoris indiga: tum demum à curis ac negotijs mortalibus liberata, uitam serenam tranquillamq; complectitur. In tantum autem scriptura magnificat hunc uirtutis amatorem, ut in stemmate eius non more aliorum auos, proauos, maioresq; ceteros, retenseat, siue paternos siue maternos, sed uirtutes quasdam, tantum non diserte clamitans, nullam aliam familiam, cognationem, patriam, sapientis esse præter uirtutes et harum actiones. Hæ sunt, inquit, generationes Noe. Noe homo iustus, perfectus in generatione sua, deo placuit. Vbi sciendum, quod hominem non uulgari loquendi forma, rationale mortale animal uocat, sed per excellentiam cum qui uere suo respondet nomini, eiectis ex animo immanis, rabidis ferinisq; uitiorum affectibus. Argumento est, quod post hominem addit iustum, dicens, homo iustus: quia nemo iniustus est homo, sed potius bestia humana forma prædita: in solum autem iustitiae sectatorem nomen hoc competit. Hunc etiam perfectum fuisse ait, per hoc docens, non unam cum uirtutem, sed omnes habuisse, singulis usum pro tempore. Post hæc tanquam in sacro certamine uictorem ornat amplissimo præconio, eum deo placuisse pronuncians: quod quid esse potest in rerum natura potius? cum sit manifestissimum honestatis ac probitatis indicium. Si enim qui deo displicent sunt miseri, quibus placere contigit, proculdubio felices erunt. Nec alienum uidetur à proposito, quod post laudatas tantas uirtutes in homine, adiecit perfectum fuisse in sua generatione: indicans eum non

absol-

absolute, sed collatum ad eius ætatis ceteros bonū fuisse. Nam non multo post memorabit sapientes alios, uirtute incomparabiles, qui non cum malis collati meliores & illis anteferendi iudicati sunt: sed quia felicem naturam adepti, seruauerunt eam incorruptam: nec effugerunt scelerata studia, sed ab initio manserunt ab eis integri: cumq; potissimum bene dicendi faciendiq; habere studium, uitam exegerunt ornatissimam. Admirandi sane homines, qui liberales ingenuosq; appetitus secuti, nec imitabatur ceteros, nec per contentionem quicquid agebant, nihil nisi iustum ac honestum sibi optado. Mirandus tamen & ille qui ætatis suæ præstantissimus, nullis rebus est implicatus, quas uulgus diligebat tantopere. huic secundæ partes laudis debentur, illorū uero primam palmam natura esse uoluit. Magnum tamen fuerit uel in secundo loco consistere: quid enim nisi magnum & ambiendum uel dat deus uel accipit? argumento est gratiarum excellentia, quas hic uir consecutus est. Quoniam enim uberrimus prouentus iniquitatum ac impietatum fuerat illo tempore, adeo ut omnis regio, gens, ciuitas, domus, & unusquisq; priuatim repletur malis studijs, certatimq; de primatu in uitijs contenderent, diuisq; proximum conatur præcurrere, nihil sibi ad extremam malitiam reliquum faciens: ea propter deus merito indignatus, quod animal omnium, ut uidebatur, optimum, & cognatione cælesti dignatum propter communicatam rationem, pro uirtute quam exercere debuerat, complexum esset malitiam, nec ullam eius omisisset speciem, poenam decreuit conuenientem, ut omnes eius seculi

seculi homines deleret uno diluuio : nec tantum incolentes campestria loca & humilia, uerum etiam in celsissimis sitos montibus. Nam oceanus elatus aestu quanto nūquam antea, per fauces ualido impetu irrupit in nostra maria: quæ mox insulas ac continentem subitis inundarunt fluctibus. Accesserunt & fontium perrennium, & amnium indigenarum torrentiumq; alij super alios affluxus, qui coniuncti & diffusi etiam in altū creuerunt. Nec aer cessabat interim, oblecto cælo toto cōtinuis nubibus, procellis quoq; furentibus: simul tonitrum crepitus, mications fulgurum, ictusq; subminum intermixti largissimis imbribus faciebant ut uideretur totus mundus abire in naturam aquarum: donec è supernis catartis infernisq; fluentis tanta moles undarum succreuit, ut non campi tantum & depressa loca operirentur, sed & altissimorum montium cacumina. Omnes enim terræ partes submersæ sunt, ut illa oppressa mūdus magnæ sui portione mutilaretur, & qui prius integer fuerat, mancus, quod cogitatu dictūq; nefas est, esse uideretur. Quin & aer, nisi quā lunari circulo uicinus est, penè totus absumptus erat, pulsus aquarum uiolentia, quæ regionem eius inuasferant. Secuta est satorum arbustorūq; perniciēs, quæ sicut ariditatem, ita nimiam humiditatem non ferunt. Interibant & innumeri greges animalium, mansuictorum simul & ferorum. Nec mirum si præstantissimo genere humano pereunte, nullum superesse sinebatur è deterioribus, quæ in usum dominorum seruituti addictæ fuerant. In hoc tot tantorum malorum confluxu, quæ tempus illud afferebat (omniū enim mundi par-

tium

tium præter cælestes natura luxata fuerat, quasi morbo quodam correpta grauissimo ac pestifero) unica familia iam dicti uiri iusti deoq; chari seruata est, qui accepit summa duo munera. Alterum quod dixi, non interisse cum cæteris omnibus. Alterũ, ut nouus auctor haberetur instaurati humani generis. Concessit enim ei deus, ut & finis & initium generis nostri fieret: finis ante diluuium, post diluuium uero principium. Talis fuit uir ætatis suæ optimus, & tale præmium sortitus est, sicut docet sacra scriptura. Dictarum porrò trium animarum, siue uitæ rationum, ordo miram habet harmoniã. perfecta enim, ab initio est integra. mutata uero, semiperfecta, cuius priora tempora uitij dicata, posteriora uirtutibus, ad quas translato domicilio migratum est. Illa autem sperabunda, sicut nomen ipsum indicat, defectum habet, semper quidem boni cupida, non dum tamẽ eius compos, sed nauigantibus similis, qui properantes in portum appellere, adhuc marina iactatione distinentur. Hic est prior ternio uirtutem desiderantium, nunc superest, ut de potiore altero dicamus. Nam ille uidetur similis disciplinis puerilibus, hic uero uirorum athletarum exercitijs, parantium se ad sacra certamina, qui neglecta corporis habitudine animæ prospiciunt, cupientes uictoriam de aduersarijs affectibus. Cæterum qua in re quisq; præcellat, omnibus ad unum eundemq; finem contendentibus, aliàs dicemus diligentius: nunc quæ simul de tribus dicenda sunt non silebimus. Eiusdẽ omnes sunt generis, eiusdemq; familiæ. Nã ultimus filijs est medij, nepos uero primi, omnes amici chariq; deo, amâtes

HERUM

uerum deam; & redamati ab eo: qui dignatus est, sicut indicat oracula, propter uitam ipsorum probatissimā, communem cum eis appellationem habere. Suum enim coaptauit cum illorum nominibus, è tribus compositū uocabulum sibi uindicans. Hoc, inquit, meum nomē est æternum, deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob, relatiuum pro absoluto, & merito. Deus enim non habet opus nomine. Attamen humano generi suum nomen largitus est, ut habentes refugium ad preces & supplicationes, à spe bona non excluderentur. Hæc uidentur quidem de sanctis uiris dicta: significant tamen naturā à nostra notitia remotiorem, & præstantiorem quam sunt ista sensibilia. Est enim probabile sacro eloquio de scribi modos animæ bonos omnes: quarum alia per doctrinam, alia per naturam, alia per meditationē ad uirtutem aspirat. Nam primus nomine Abraham, uirtutē doctrinæ quæsitam significat: medius Isaac genuinā naturamq;: tertius Iacob usu ac meditatione paratam. non ignorandum tamen: horum singulos præditos fuisse tribus his potentijs, sed nominatos ab ea qua magis quisq; pollebat. Nam nec doctrina sine natura meditationeq; potest perfici: nec natura ad optatam metam peruenire absq; disciplina & exercitatione: nec meditatio, nisi fundata in natura doctrinaq;. Conueniēter igitur triū, uerbo quidem uirorum, re autem uirtutum, nomina iuncta sunt, Natura, Disciplina, Meditatio. quas alio nomine totidem Gratias homines uocant: uel quod gratuito largitus sit deus nostro generi hæc tres potentias ad uitæ perfectionem: uel quia seipsæ donant rationali animæ

trianus

thunus elegantissimum: ut etiam sempiternum illud nomen indicatum in oraculis, non magis de tribus uiris intelligi queat, quàm de tribus dictis modo potētis. Nam hominum natura mortalis, uirtutum immortalis est. Videtur autem rationi consentaneum, ut æternus ab æternis rebus denominetur potius quàm à mortalibus, quando æternitati cognata est immortalitas, mors uero inimicissima. Illud quoque non ignorandum, quòd primus ille homo terrigena, pater ante diluuium natorum inducitur: instaurati uero humani generis iustus hic, qui solus ex uniuersali clade fuerat ereptus cum sua familia, propter iustitiam uirtutesque ceteras. Hunc autem uenerandum ternionem et probatissimum sub uno genere comprehendunt diuina oracula, dum gentem sanctam uocant, et regale sacerdotium. gentis autem uim nomen indicat. nominatur enim Hebraice Israel, quod interpretatur uidēs deum. at uisus, oculorum quidem inter omnes sensus, est præcipuus, quo solo percipimus res pulcherrimas, solem, lunam, cælum, mundum uniuersum. mentis autem, excellit inter omnes potentias animæ. uisus enim mentis nihil aliud est quàm prudentia. quod si cui contigit non solum rerum naturæ notitia, uerum etiam patris factorisque omnium, is se sciat summum felicitatis attingisse fastigium. nihil enim est deo superius, ad quem si quis peruenit obtutu animæ, precandum est ei ut possit ibi consistere. Nam arduæ uia laboriosæ tardæque sunt: descensus autem per procliuias, qui tractum magis sit quàm gradatim, et uelox est et facilis. et sunt multa quæ deorsum deprimunt, quæ nihil possunt efficere, quando

Philo. to. i,

K

deus

deus animam temperatam suis potentijs, uehementiore momento ad seipsum attrahit. Hæc in commune de tribus necessario præfati, deinceps dicendū habemus, quibus in rebus excellentiores fuerint singuli, & à primò exordiemur. qui pietatis & summæ uirtutis sectator factus, deum sequi studuit, & præceptis eius obedire: ratus non ea tantum præcipi, quæ ipsi soli uel uerbo aliquo uel facto indicabantur: sed & illa quæ natura multo clarius docet per uisum inter ceteros sensus ueracissimum, multo certiorē quàm auditus est. Quisquis enim naturæ ordinem contemplatur, & eximiam quandam huius mundi rempublicam, uel silentibus præceptoribus discit sub legibus & in pace uiuere, componēs se ad exemplar pulcherrimum. Sunt autem manifestissima pietatis argumenta, quæ scripturis continentur. Quorum ordinem sequendo, à primo incipiemus. Oraculo percussus, quo iuebatur migrare deserta patria, cognitione, paternaq; familia, haud secus quàm si è peregrinatione domum redire iussus esset, iter accelerauit in regionem exteram, rem factam se habere putans, si mandatum exequeretur celeriter. Quis alius putas tam constans fuisse ac pertinax, ut non flecteretur affectu cognitionis & patriæ, quarum innatum & coalitum est cuiq; desiderium, magis, aut certe non minus, quàm membrum corporis. testes sunt legislatores, qui secundam ab extrema capitali pœna atrocissimorum criminum conuictis statuerunt exilium: profecto non secundam, quantum equidem uere iudicare possum, sed aliquanto grauiorem: siquidem mors calamitatum finis est, exilium

uero

vero non finis, sed nouorum malorum initium, dum eu-
 tata una sensu carente, innumerae mortes sentiuntur. Alij
 negotiationis augendæq; rei familiaris causa nauigant,
 alij legationis: nonnulli amore uiscendi regiones exteras,
 aut eruditionis parandæ, ad peregrinationem tracti lu-
 cri cupidine, aut iuuandæ patriæ temporibus difficili-
 bus, aut cognoscendi quæ prius nesciuerant, delectandi
 & adiuuandi animi gratia. Quantum enim cæci cedūt
 uidentibus, tantum præstant peregrinati nunquā egres-
 sis patriam. Omnes tamen ad patrium solum propera-
 bundi, uidere id & salutare gestiunt, complecti familia-
 res, frui gentiliū & amicorum mutuo conspectu lōge
 iucundissimo: adeo ut aliquoties remorantibus se nego-
 tijs, propter quæ reliquerunt domesticos, abrumpāt ea
 nō ferentes gratissimarum necessitudinum desiderium.
 At hic noster cū exiguo, uel penè nullo comitatu, quā-
 primum iussus est, demigrauit, animo prius in nouam
 coloniam profectus quā corpore, mortalium rerum
 desiderio cedente amorī cælestium. Seposita igitur cura
 popularium, tribulium, familiarium, amicorum, cognā-
 torum paterno maternoq; sanguine, ad hæc patriæ, niq-
 rum consuetorum, simul educatorum & uitæ sociorū,
 quæ singula magnam uim habent ad retrahendum à
 proposito, libero expeditoq; conatu quamprimum po-
 test demigrat, primum è Chaldæa, regione illo tempo-
 re admodum fortunata, in Charrensem agrum: deinde
 non multo post hinc quoq; in locum alium, de quo dia-
 cturi sumus, sed prius lectore præmonito: quòd dictæ
 migrationes, iuxta seriē scripturæ, uiri sapientis fuerūt
 K 2 sed

sed iuxta leges allegoriæ, animæ uirtutis studiosæ, uerū deum querentis. Nam Chaldæi cum primis exercitati siderali scientia, omnia tribuentes stellarum motibus, à quibus credebant dispensari mundi potentias, quæ constant ex numeris eorumq; proportionibus, uenerabantur istas res uisibiles, non percipientes inuisibilia & intelligibilia, scrutantes illarum tantum ordinem: atq; ita è solis, lunæ, stellarum erraticarum fixarumq; circuitibus, & anni in quatuor tempora distincti uicibus, consensuq; rerum cælestium ac terrestrium, mūdum ipsum existimabant esse deum, profana opinione creaturam faciētes creatori similem. huic innutritus dogmati, & per tempus longum chaldaico imbutus delirio, tanquā post altum sonnum aperto mentis oculo, postquam puram lucē pro densis tenebris cœpit intueri, secutus eius splendorem, animaduertit quod prius non uiderat: præesse mundo quendam aurigam gubernatoremq; qui operis sui salutē prouideat, curator tutorq; partium eius etiā, quæ diuina cura dignæ sunt. Ergo ut confirmaretur mentis eius uisio, sic admonetur diuinitus. Heus tu, magna plerunq; cognoscuntur signis exiguis, quæ intuitus aliquis, imaginationum infinitarum mole premitur. proinde uale dicto Chaldæis quorum professio est scrutari cælestia, demigra è magna mundi ciuitate aliquantisper in minorem aliam. sic enim facilius uidebis mundi præsidem. & hoc est cur prima migratio fit in agrum Charrensem, quia Charran specus dicuntur: per quos significantur regiones nostrorum sensuum, per quas tāquā cauernas unusquisq; illorum solet prospicere ad subiecta

ita sua percipienda. sed dicat aliquis, nullum esse horum
usum, nisi mēs inuisibilis, ceu latens quidam histrio suas
uires intus exerceat, modo cōtractis modo remissis ner
uis, mouens sistensq; sua ludicra. Hoc igitur exemplum
cum habeas domesticum, facile quod scire cupis, pote
ris discere. Nisi forte putas, in te quidem mentis impera
ta totum corpus omnesq; sensus unanimiter facere: mū
dum autem opus omnium maximum atq; pulcherrimū,
à quo ceu partes dependent reliqua cuncta, destitutum
esse sui regis prouidentia. per quam sit incolumis, & ad
ministretur legitime. Nec mirandum est, si cum non cō
spicis, quandoquidem nec tuum cernis animum. Hæc si
quis secum ipse reputet, non è lōginquo, sed è proximo
documenta capiens, uidelicet ex seipso rebusq; ad se per
tinentibus, cognoscet manifeste, quòd mundus non sit
ille primus deus, sed opus prīmi dei patris uniuersorū:
qui cum ipse sit inuisibilis, ostendit omnia, paruorum
ac magnorum naturas indicans. corporeis enim oculis
non dignatur aspici: uel quia sempiternum à mortali cō
trectari nefas est, uel propter nostri uisus infirmitatem.
Nec enim potuisset capere profusos ab eo Qui est ra
dios, quando ne solis quidem splendorem ualet aspice
re. Habemus autem argumentum euidentius huius migra
tionis, qua mens astronomiam & chaldaicam opinio
nem reliquit. memoratur enim quam prīmū profectus
est ille sapiens, deum apparuisse Abrahamo: cui uideli
cet prius non fuerat conspicuus, quando more Chal
daeorum intentus erat siderum cursibus, extra mundum
& sensibilem essentiam nullam prorsus naturam intel

ligibilem percipiens. at postquam solum uertit, necessario cognouit mundum esse subditum non dominum, nec regere, sed regi ab autore suo: quod mens tunc primum apertis oculis didicit. nam prius sensibilia magnam ei caliginem offuderant, quam ubi discussit calidis & ignitis dogmatibus, uix tandem potuit uelut in serenitate pura cum qui prius latuerat cernere. ille uero pro sua humanitate uenientem ad se animam non auersatus, sed obuiam progressus, ostendit suam naturam, quatenus uideri poterat: quam ob rem non dicitur, uidit sapiens deum: sed Deus apparuit sapienti. non enim erat possibile, ut aliquis per seipsum comprehenderet cum Qui uere est, nisi ille se ultro uidendum præbuisset. Testatur hoc etiam mutatio nominis. prius enim Abram uocatus, mox coepit appellari Abraham, unius tantum duplicatione literæ, uidelicet A, sed quæ magnum quiddam significabatur. Abram enim interpretatur pater sublimis: Abraham uero pater electus uocis. Prius indicat uirum astrologicum & meteorologicum, Chaldæorum placitis tanta cura deditum, quantam solent parentes impendere suis filiis. posterius uero, sapientem. nam per uocem sermo qui proferatur subindicatur: per patrem, mens cuius principatus est. nam sermo qui concipitur intus, naturaliter pater est, ut antiquior, serēs quæ dicēda uidentur. ceterum quod additur electus, bonitatem declarat. Quicquid enim malum, confusum & indigestum est: bonum eligitur, ut præcipuum inter omnia. Itaque meteorologico uiro nihil omnino maius mundo uidetur, quem etiam rerum autorem existimat. At sapiens certioribus oculis uidens illum perfectiorem intel-

intelligibilem rectorem & principem, cuius dominium agnoscunt cetera, & imperata faciunt, sæpe antea tantam suam uitam incusat, in qua cæcus tenebras palps nitebatur rebus sensibilib. suapte natura infirmis & instabilibus. ac rursum in secundâ profectionem uir bonus oraculo monitus mittitur, non iam ex altera ciuitate in alteram, sed in regionem desertam, in qua uagus degat, non ægrè ferens errorem & sedes incertas ac inconstantes. Quod tamen quis alius tulisset æquo animo, si derelictis proprijs ædibus, insuper ab omni urbe prohibitus, protraheretur in loca inaccessa & deuia? quis non uerso itinere domum repetisset propere, neglecta spe proposita, cupiens præsentem egestatem effugere, & stultitiam reputans propter incerta bona inuolui malis certissimis? Solus hic afficiebatur aliter, iucundissimam uitam existimans secessum à multitudine. Sic enim natura comparatum est, ut qui deum inuenire cupiunt, amicam ei solitudinem diligant, hoc primum modo imitati beatam illam ac felicem essentiam. Atq; ita demonstrata utraq; sententia, tum ea quæ tanquam de uiro loquitur, tum ea quæ tanquam de anima intelligitur, ostendimus & uirum & mentem amabilem: illum quòd oraculis obseques passus sit se distrahi à rebus charissimis: hanc uerò, quia tandem resipiscens ualedixerit rebus sensibilibus, iam non credens ut antea, sensibilem hunc mundum esse primum deum et maximum: sed cogitatione ascendens altius ad contemplandam alteram naturam intelligibilem, simulq; rectorem ambarum & opificem. Hæc sunt rudimenta deo chari hominis, sequuntur mox non contemnenda facinora,

sed eorum magnitudo non cuius apparet, solis his conspicua, qui uirtutem degustauerunt, & res vulgo mirabiles fastidiunt libenter præ bonis animæ potioribus. Approbans igitur deus factum quod diximus, mox bonum uirū egregiè remunerat, coniugiū eius à potēte et immoderato quodā in periculū adductū, intactū seruās & incolume. Cuius periculi hæc fuit occasio. Cū diu laboratū esset frugū penuria, iam propter squalores, iā propter imbres nimios, urbes Syriæ continua fame pressæ desertæ fuerant ab habitatoribus, alijs aliò dispersis quærendi uictus gratia. Abraham quoq; audita Aegypti felicitate abundantiaq; , cuius campi solenni stagnatione fluminis rigati, copiosas segetes proferunt, auris tempestiuis nutritas ac maturatas, illuc se cum tota familia contulit. Erat ei uxor animi corporisq; dotibus ornatissima. Hac uisa quidam Aegyptiorū optimates, admirati pulchritudinem (nihil enim eximium latere potest) rem ad regem suum deferunt. Is accersit mulierem, & forma eius captus, semota hospitalis iuris reuerentia, morem gesturus suæ cupiditati, uoluit ea prætextu nuptiarum potiri. At illa in aliena regione apud impotētem & crudelem principem destituta auxilio, quando ne maritus quidem malum impendens depellere ualebat, potentiorē rem metuens, ad eam quæ supererat opem diuinam confugit. tum deus propitijs miseratus hospites, & protector factus iniuriam patientium, graues pœnas & cruciatus magnos inflixit regi, ita ut animo corporeq; laboraret morbo non simplici, & amorum uoluptatumq; oblitus, longè diuersas curas agitarēt, quoniam modo euadere

evadere posset è tormentis presentibus, quibus continuis interdium noctuq; molestabatur. Quà cius poenam sensit & tota regia, eo quòd nemo se tantæ iniquitati opposuerat, sed uno consensu omnium tantum non manus extrema sceleri fuerat imposita. In hunc modum pudicitie mulieris consultum est, mariti uerò pietatem ac probitatem deus illustriorem facere dignatus est, exhibens ei maximum uirtutis præmium, illæsam intactamq; uxorem, quæ minimùm à constupratione absuerat, mater mox futura non filiorum filiarumq; sed gentis integræ, & quidem deo gratissimæ, quippe cui contigerunt uates ac sacerdotes in publicum usum totius humani generis. Audiui tamen & naturæ interpretes non ineptam afferentes allegoriam, qui hunc maritum aiebant significare bonum intellectum, ex nominis interpretatione coniicientes hæc dici de bona anima. Huius uxorem esse uirtutem, quæ Chaldaicè nominatur Sarra, Latine princeps, eo quòd nihil æquè principes & magistratus deceat. Coniugium uerò, corporum quidem, uoluptas conciliat: cogitationum autem purificationis cupidarum copulam, qua perfectis uirtutibus iunguntur, curat sequens sapientia. Quæ duo connubia sunt diuersissima & planè contraria. Nam in genere corporeo mas genitricem profeminat, quam excipit foemina. Contrà in congressu pertinente ad animam, uirtus quæ censetur foemina, suapte natura profeminat consilia bona rationesq; probatas, & dogmata uitæ utilissima. Intellectus autem qui mariti tenere ordinem uidetur, illa sacra diuinæq; semina suscipit. nisi forsitan error est in nominibus, dum in

uocabulis masculinam formam intellectus habet, uirtus
 foemininam. Quod si quis res exutas nominum amictu
nudas purasq; inspiciat, sciet uirtutem suapte ingenio
 masculam esse, ut quæ mouet ac afficit, & honestos con-
 ceptus honestarum actionum atq; orationum suggerit :
 ediuerso intellectum rem foemineam, quæ mouetur, eru-
 ditur, adiuuatur, & in totum æstimatur ex affectione,
quæ quidem ei sola est salutifera. Siquidem etiam pesti-
 mus quisq; uirtutem uerbis honorat, & extollit in spe-
 ciem: sed monita eius nemo nisi probus recipit. Quam-
 obrem Aegypti rex, per quem significatur intellectus
 amator corporis, minum agens tanquam in theatro,
 fingit amorem temperantiæ cum sit ipse intemperans,
 & sobrietatis ipse luxu perditus, & iniustus iustitiæ,
 accersens ad se uirtutem, ut apud uulgum existimatio-
 nem præclaram sibi comparet. Quod ubi uidet ille su-
 pernus spectator omnium deus, qui solus animi secreta
 perspicit, pertæsus fucatam improbitatem arguit in cle-
 mentibus cruciatibus. At quibus ad hoc instrumentis
 utitur? nimirum quibusdam uirtutis partibus, quæ quo-
 ties subintrant, acerbos dolores excitant. Tormentum
 enim est insatiabilis cupiditatis frugalitas, & lasciuiæ
 continentia. Sic gloriosus cruciatur felicitate modestiæ,
 & iniustus dum iustitiæ habetur in precio. incommodè
 enim in una anima habitant duæ contrariæ naturæ, uir-
 tus & uitium. Quapropter quoties congregiuntur, at-
 troces seditiones & pugnas concient. Quamuis uirtus
 fedatissimo est ingenio: quam aiunt solere quoties impa-
 rem se ueretur aduersario, prius uirium suarum pericu-
 lum

lum facere, ut conflagat si qua se ostendat spes uictoriae: sin minus, ne descendat quidem in certaminis aleam. Vitium enim uinci se turpe nō putat, assuetum ignominiae. At uirtus hoc probum fugitat, cui maximè gloria competit, cuius innato amore aut uincere uult, aut certè inuicta permanere. Hæc est igitur de qua dixi Aegypti libido & inhospitalitas. ediuerso libet admirari hospitalitatem hæc passi, qui meridie conspiciatus tres quasi uia- tores, quorum diuiniorē naturam ignorabat, accur-rens suppliciter petijt ne transirent eius tabernaculum, sed introgressi paterentur se tractari ciuilit̃er. Hi cum non magis ex uerbis quàm ex mente intelligerēt eum se-rio agere, incunctanter annuerunt. quo impetrato præ-
latitia gestiēs, approperauit omnia quæ postulabat ex-
temporalis tractatio. Vxorem appellat, Sine mora fac ē
tribus mensuris subcinericios. ipse ad armentum conten-
dit, & ablatum inde tenerum opimumq; uitulum tradit
famulo. Maest̃at ille & apparat celeriter. Nemo ad huius
manitatis officia segnis est in sapiētis familia. tam mulie-
res quàm uiri, tam serui quàm ingenui, promptè mimi-
strant hospitibus. Qui recreati magis animo quàm ap-
paratu hospit̃is, eiusq; insigni honorificentia, maiorem
spe referūt ei gratiam, per unum ē tribus præcipuum ei
polliciti nasciturum breui germanū filium. Omnes enim
finiul loqui parum decorum fuisset: ciuilius erat unius
uerbis ceteros annuere. Sed ne promittēdo quidem rei
tam incredibilis fidem faciebāt. Iam enim ambo coniu-
ges effæti senio sperare liberos desierant. Ferunt mulie-
rem quàm primū hoc audiuit risisse: moxq; admonitā,
num

num putaret quicquam apud deum impossibile, risum reuerēter negasse. Norat enim deum posse omnia, quod penē ab incunabulis didicerat. ac tum demum mihi uidetur augustiorem quā ante agnouisse hospitum imaginem, aut uates quosdam, aut angelicos spiritus humana forma uelatos uisa sibi uidere. Hec uiri hospitalitas maioris uirtutis fuit auctarium: ipsa uerō uirtus erat pietas, de qua superius diximus, cuius certissimū indicium est quod de hospitibus nunc memorauimus. Quod si fortunata domus uisa est quibusdam, in quam uiros sapientes diuertisse contigit, non facturos id, ac ne introspecturos quidem, si uidissent intus aliquod animæ uitium insanabile: equidem dicere nō possum quid huic domui defuerit ad summam felicitatem, in qua apud homines hospites excipi sustinuerūt angeli, sacræ diuinæq; naturæ ministri ac subpræfecti dei optimi maximi, per quos ille ceu legatos & nuncios quicquid libet humanum genus præmonet. Qui poterant enim uel intra primum limen subsistere, ni sciuisent totam domum ad nutum patrisfamilias paratam: ceu naualem turmam bene constitutam, ad unum celestis sui gubernatoris: qui poterant conuiuarum & hospitum speciem sumere, ni pro cognato conseruoq; suum conuiuatore habuissent? Certè sic existimandum est, ad eorum introitum partes omnes domus profecisse in melius, afflatas aura quadam uirtutis absolutissimæ. Conuiuium autem exactum per significationem gratæ uoluntatis erga hospitem, & per simplicitatem morum, colloquiaq; apta tempori. Sed prodigio simile, non esurientes esurire uisos, & non edentes edere.

Verum

Verum hæc per consequentiam. illud longè maximum fuit miraculum, hos carentes corpore assumpsisse figuras hominum in boni uiri huius gratiam. Alioquin quid opus erat his miraculis, nisi ut exhiberent se uiro sapienti uidendos clarius, quem summus ille parens talem esse nouerat? Hactenus de textu huius scripturæ, superest ut dicamus de sensu eius latentiore. Signa uocalia conceptum mentis significant. Cum igitur anima illustratur à deo tanquam in meridie, & tota quanta est repleta luce intelligibili, eiusq; splendore circumfusa ex umbris eximitur, tres imagines unius subiecti percipit, unam ipsius rei, duas reliquas tanquam umbras ab ea redditas: quale quiddam accidit & in luce ista sensibili uersantibus, in qua stantium aut mouentium se duplex aliquando umbra existit. Caue tamen putes de deo dici umbras propriè: abusus est hic nominis, in hoc tantum adhibiti, ut res fiat euidentior. Veritas enim aliter se habet. Sed ut quàm proximè ad ueritatem sermo accedat, medius est ille pater omnium, propriè nominatus in sacris literis Qui est: utrumq; latus claudunt antiquissimæ & proximæ eius Qui est potentia: quarum altera opifex, altera regia uocatur. illa deus, per quam condita dispositaq; sunt omnia. hæc uerò dominus. Fas est enim ut creatura à creatore suo regatur. Atq; ita medius ille utrinq; stipatus suis potentijs, perspicaci menti nunc unam, nunc tres imagines exhibet. Vnam, quando exactissimè purgata anima, nec solum cæteram numerorum multitudinem, sed & uicinum unitati binarium supergressa, ad illam simplicem, sinceram, nullius omnino indigam ideam pro-

perat

perat. tres uerò, quando nondum magnis initiata myste-
rijs, adhuc minorib. operatur, nec potest cum Qui est,
sine alio per se solum comprehendere, sed per ipsius æ-
tæ, aut conditorem aut regem omnium. Est autem hæc
secundaria, iuxta prouerbium, nauigatio, non aliena ta-
men à pia sententia. At prior ille modus, nō tantum affi-
nis est opinioni piæ, sed ipsa opinio, uel magis omni opi-
nionē antiquior, omni existimatione potior ueritas. Ex-
plicabimus rem clarius. Tres sunt in moribus humanis
ordines, quorum quisq; sortitus est unam ex dictis ima-
ginationibus. Optimus mediam, scilicet eius Qui uerè
est. Sequens uerò dextram, scilicet beneficam, cui no-
men deus. Tertius in altero latere sitam, scilicet regiam,
quæ uocatur dominus. Proinde optimi mores ipsum
qui per se est, colunt, non distracti à quoquam alio, ut
qui ad unum tendunt unius honorem. ceteri partim per
beneficam potentiam commendantur, & innotescunt
summo patri, partim per regiam. Quod dico tale quid-
dam est. Homines quando sentiunt prætextu amicitie
quosdam ad se accedere lucri captatores, suspectos auer-
santur, adulationem ueriti & fucatam mansuetudinem,
ut ualde damnosam. At deus ut tutus ab iniuria, omnes
quocunq; modo uolentes illum colere libenter admittit,
neminem omnino repellens, tantum non coram appel-
lans animam aures habentem hoc oraculo. Prima præ-
mia ferent, qui me colunt propter me ipsum. secunda,
qui sic sperant se consecuturos bona, mala euasuros.
quamuis enim istorum mercenaria sit religio, & insin-
cera captatrix, tamē intra diuini templi sacra septa uer-
satur

fatur, non foris oberrat. Proinde me propter me colen-
tibus propono quæ amicis debetur præmia: cæteris qui
propter usus proprios, nequaquam ut amicis, nec alie-
nis tamen. Nam eos quoque accipio qui potentia mea be-
nefica frui cupiunt, imò et eos qui metu regis potesta-
tis placant eam ut pœnas effugiant. noui enim quòd hi
nec deteriores fient, et insuper in melius proficient, con-
tinue in religione pura et sincera pietate sese exercen-
do. Quamuis enim modis omnibus ea differat, unde or-
si placere cupiunt, nō sunt tamen accusandi, cum unum
scopium et finem colendi me propositū habeant. Quòd
autem unius subiecti triplex sit imaginatio, liquet non
solum ex contemplatione allegorica, uerum etiam ex i-
psius scripturæ narratione. Cum enim ille sapiens sup-
pliciter orat tres uiatoribus similes, ut suo uelint uti ho-
spitio, alloquitur nō tanquam tres, sed tanquam unum,
dicens: Domine si inueni gratiam coram te, ne præte-
reas seruum tuum.] Nam hæc uerba, domine, apud te,
ne prætereas, similiaque, ad unum, non ad plures, dici con-
uenit. Iam uerò in hospitio inter cætera comitatus offi-
cia, rursum conuiuatori suo pollicetur unus, ac si a des-
set solus, legitimi filij natiuitatem, dicens: Reuertenti-
do ueniam ad te iterum hoc eodem tempore, et habebit
filium Sarra uxore tua.] Sed apertissimè ac certissimè si-
gnificatur idè in sequentibus. Sodomitarū regio pars
Chananeæ terræ, quam nunc Syri Palestinam nomināt,
infinite iniquitatib. referta, præcipuè propter uentris,
libidinum, cæterarumque uoluptatum studia, iam diuino
calculo iudicata fuerat. immodici autem ciuium luxus
è sua

ē superflua rerum copia habuerat originem, accedente enim ad bonitatem agri, aquarum commoditate, omnis generis fructuum quotannis prouentus erat maximus. est autem ingens malorum initium, ut quidam, non male coniectans, dixit, nimia bonarum rerum copia. quarum satietatem quidam non ferentes, tanquam iumenta, lasciuiunt à ceruice excussis naturæ legibus, uersi ad meracas potationes, cibos opiparos, & nefarios concubitus. Non solum enim in fœminas insaniendo corrumpēbant alienos thalamos, sed & cum masculis rem habebant masculi, nil reueriti naturam communem patrantibus & patientibus, & irritam genituram ferentes nulla secutura progenie. Nec quicquam proficiebat reprehensio, uiolentis concupiscentijs coacta cedere. Atq; ita paulatim assuefacti uiri pati muliebria, effœminatum morbum sibi conciliauerunt insanabilem. Recepta enim in corpus fœminea mollitie, animos etiam reddiderunt ignauissimos, quantum in ipsis erat totum corrumpentes genus hominū. Nam si Græci unà cum barbaris hos imitati conspirassent in tales coitus, desertæ fuissent omnes deinceps ciuitates, tanquam exhaustæ pestilentia. Tum Deus seruator & amator hominum, miseratione tactus, naturales quidem uirorum ac mulierū propter gignendam sobolem conuentus, auxit ut cum maximè. Inmanes autem illos, & nefarios coitus exosus, aboleuit, & rabidos eorum patratores aggressus, non uulgar aliquo, sed nouo mirandoq; affecit supplicio. Inductis enim subito nubibus, iussit eas imbrem, non aquæ, sed ignium pluerē. Cumq; in morem niuis densissimæ indesinenter

sinenter flamma deorsum ferretur magno impetu, ardébant arua cum pratis, et cōdensa saltuū, palustris quoq; materies & intima nemorum. urebantur eodem incēdio campestria, segetes cum suis frugibus conflagrabant & arbuta montium, trunci unā cum suis radicibus, urbana quoq; & rustica aedificia; moenia ceteraq; opera publica non minus quā priuati parietes: atq; ita unus dies frequentissimas ciuitates uertit in busta suorum ciuium, structuras uerò lapideas & ligneas in cinerem et minutissimum puluerem. Vbi uerò supra terram flāmis absumpta fuerunt omnia, terram ipsam uorabat incēdium, ita ut exustis penitus uitalibus nihil superesset unde uel fructus uel herba germīnaret; in hodiernum usq; malò durante. Nam fulmineus ignis nunquam extinguitur, aut serpit aut uaporat: quod oculis ipsis creditur: extant enim argumenta cladis ueteris, fumus exhalans perpetuo, & sulfur quod ibi foditur. Felicitatis autem pristinae signum euidentis reliquum est una ciuitas cum agro suo, ipsa frequenter habitata, agrum uerò colens pabulo frumentoq; uberem & ualde frugiferum, ut uim dictae diuinæ iudicium maneat. Quae nō ideo dicta sunt; ut magnitudinem eius nouae mirandaeq; calamitatis ostenderem, sed ut illud docerem, quod cum illi sapienti oblata sit uirorum trium species, duos tantum ad excisam regionem eloquia diuina dicunt uenisse, ut delerent eius incolas, cum tertius indignos aduentu suo duceret. is, quantū equidem intelligo, erat ille Qui uerè est; æquum iudicans ut bona per seipsum largiretur, contraria uerò exsequenda suis potentijs relinqueret, & sic sō-

lorum bonorum autor præcipuus, mali uerò nullius existimaretur. id quod mihi uidentur & reges ad imitationem naturæ diuinæ facere, dum per seipsos gratias porrigunt, pœnas per alios sanciunt. Quoniam autem è duabus potentijs altera benefica est, ultrix altera, merito utraq; ad regionem Sodomitarum uenit, cuius præcipuæ ciuitates quatuor perdendæ erant incendio, una uerò seruanda illeſa & incolumis. oportebat enim per ultricem administrari perniciem, salutem uerò per beneficam. Sed quoniam etiam seruata pars nec integras nec perfectas uirtutes habebat, à potentia quidam eius Qui est adiuta fuit, tamen præſentis conſpectu nequaquam digna habita. Hæc est aperta & uulgaris narratio. occultior autem & paucis nota, his qui mores animarum perquirunt non formas corporum, mox dicetur. Iſta pentapolis figura eſt quinque noſtrorum ſenſuum, qui ut inſtrumenta uoluptatum, omnes eas tam magnas quàm paruas conſciant. Aut enim ad aſpectum rerum formarumq; uariarum, tum inanimatarum tum animatarum, uoluptatem capimus, aut ad auditum uocum modulatarum, aut ad guſtum cibi potusq; aut ad odoratum uaporum ſuaueolentium, aut ad tactum rerum mollium, calidarum, & leuium. ex his quinque ſenſibus tres maximè belluini ſeruilesq; ſunt, guſtus, odoratus, tactus: quibus pecudes & feræ uentri atque inguini. deditæ maxime trahuntur attonitæ. totos enim dies noctesq; aut alimenta inſatiabiliter in ſe ingerunt, aut ad coitum rapiuntur. Duo reliqui philoſophantur & regunt cæteros, uiſus & auditus. tardiores autem

autem & quodāmodo magis facinoræ sunt aures quàm oculi, qui ad uisibilia properant fortiter, & non expectato motu illorum, ultro in occursum festinant, ut ea percipiant. At auditus ut tardior & deterioris sexus, secundum teneat ordinem, & prerogatiuam quandam concedat uisui. Hunc enim deus regem cæterorum constituit, omnium editissimum: & tanquam in arce collocatum, perquam familiarem fecit animæ, id certò potest colligi ex communi utriusq; mutatione. dolorem enim illius moestitia suffusi oculi non dissimulant: ediuerso gaudente illa subridet hilares. metu inualecente turbantur, agitanturq; indecoris motibus. Quod si occupetur ab ira, exasperatur & rubescit oculus. in cogitatione ac cura quiescit, eodem obtutu hærens, & quasi cum mente simul intentus, sicut in animi deliquio simul & luxatur & remittitur. idem accedente amico beneuolum affectum sereno tranquilloq; affectu nunciat. Quoties autem in inimicum incidit, statim offensionem præse fert. in audacia prosiliunt & procurrunt oculi, in reuerentia quieti stant: & ut copendio dicam, ad effigiem animæ factus est uisus, ostendens eius imaginē expressissimam, tāquam in speculo naturam eius, aliās inuisibilem referens. Nec hac solum parte sensus cæteros antecellunt oculi, sed etiam quia reliquorum inter uigilandum (nam de quiete quæ in somnis fit non dubitandum est) usus non continuatur. nisi enim externè laceffantur, quieti manent. at oculi quantisper patenti, indefinenter agunt aliquid, nec unquā satiantur, sic quoq; ostendentes cognationē quā habent cū anima. nisi quod illa perpetuo mobilis

noctu æquè ac interdiu uigilat: hi maxima ex parte carnei, præclare suum agi putant, quod dimidium uitæ in operationibus sibi conuenientibus exigunt. his addo præcipuam oculorum utilitatem. In unius ex omnibus sensibus gratiam lucem excitam à deo, rerum pulcherrimam, quæ prima in sacris libris bona nominatur. eius natura duplex est. nam altera ab hoc igne corruptibili effulget ipsa quoq; corruptibilis & extinguiibilis. altera nec corruptibilis nec extinguiibilis supernè è cælo ad nos defertur, à sideribus singulis tanquam à perenni fonte defluens. utraq; uisui familiaris, qui per utramq; se applicat ad uisibilia. & quid opus est oculos amplioribus celebrare laudibus, quorum ueras laudes deus ipse cælestibus signis insculpsit? cur enim solis, lunæ, cæterorum uel erraticorum uel fixorum siderum splendor factus est, nisi in ministerium oculorum, ut uideant? quo munere omnium optimo adiuti spectant quicquid mundo continetur, terram, stirpes, animalia, fructus, maria, annuum fluentia perennium & torrentium, fontium uarietates aliubi frigidos, aliubi calidos latices profundentium, quorum species nullus sermo ualet comprehendere. Quibus omnibus accedit cælum, de quo uerissimè dici potest, mundum in mundo factum esse ab opifice, & diuina eius ornamenta cælestes illæ imagines. Et quis tandem sensus iactabit se tam longè progressum esse? Sed præstat opinor, relictis ad sua præsepia cognatis nobis pecudibus concupiscentias suas saginantibus, examinare uirtutem rationis participem, cui continuum perfectumq; curriculum assignatum est in isto uicino terris ære

aere: quando procellæ uentorum, & murmura tonitruum per tractum longū cient magnos molestosq; strepitus: oculi uerò à terra uno momento euadunt ad cælum, mundiꝑ; fines ortum atq; occasum, septemtriones & meridiem collustrantes, ad contemplationem eorum quæ uidentur, mentem attrahunt. At illa tali motu attonita non conquiescit, cum sit perpetuo mobilis & semper uigilans: acceptaq; à uisu occasione contemplandi res intelligibiles, amplius considerat: num ea quæ cernuntur sint ingenita, an generationis habuerint initium: infinita sint an finita: uniusne mundus an plures: utrum quatuor sint elementa rerum omnium, an cælum et quæ hoc continentur eximiam quandam naturam habeant. Quod si factus est mundus, à quo factus sit, quis eius opifex, quam expolierit materiam, in quem usum, quid nunc agat, qualem uitam uiuat, & quicquid aliud curiosa mens cogitando solet querere. Hæc enim & similia exercent philosophos. unde satis constat sapientiam & philosophiam nō aliud in nobis habuisse initium quàm ex uisu sensuum omnium principe, quem solum ex corporea regione seruauit deus, deletis quatuor: quod hi seruiuerint carni eiusq; affectibus: ille uerò elata ceruice quasiuerit sibi delicias meliores corporeis, ex contemplatione mundi & rerum in eo comprehensarum. itaq; pereunte hac sensuum ceu pentapoli solum uisum honoris causa ereptum, quod non tantum uoluetur circa mortalia ut reliqui, sed exspacietur etiam in naturas incorruptibiles uisendi gratia. ideo rectè hanc ciuitatem paruum & non paruum uocant oracula, quod de

visu intelligitur. Est enim parua, utpote nostri pars ex-
 gua. magna uerò quia res magnas concupiscit, cælum
 uniuersum ac mundum spectandi auida. Haftenus de
 illa celebrata uisione, relataq; cumulatè hospitij gratia,
 quàm diligenter potuimus, diximus: superest quiddam
 haudquaquam silendum, quod mihi uidetur inter om-
 nes narrationes penè maximum. id dicetur compendio.
 Nascitur illi sapienti ex uxore filius legitimus, dilectus,
 unicus, elegantissimo corpore, animo optimo. iam e-
 nim maturioris ætatis dabat specimen, ut à parente non
 tam ob naturalem affectum, quàm ob probatos mores
 uehementer diligeretur. Huic repentè oraculum in spe-
 ratum redditur, ut mactaret filium in quodam editissi-
 mo tumulo, qui trium dierum itinere aberat. Ille quam-
 uis maiore quàm dici potest teneretur filij desiderio,
 nec colorem mutauit, nec animum flexit, sed constan-
 tissimè perstitit in eadem sententia: quippe qui amore
 dei subactus, fortiter uincebat omnes cognitionis affe-
 ctus, & omnia nomina: & cum nemine domesticorum
 communicato oraculo, duos è tam numeroso famuli-
 tio natu maximos, sibiq; fidißimos assumpsit, quasi sa-
 cra ex more facturus, atq; ita quartus profectus est cum
 filio. cumq; locum destinatum procul conspexisset tan-
 quam è specula, famulis ibi manere iussis; ignem si-
 mul atq; ligna ferenda dedit filio, æquum censens, ut i-
 psa uictima deportaret res quas postulabat sacrificium;
 leuissimam sarcinam. Nihil enim est pietate gnauius;
 nihil magis industrium. ibi pari gradu, unoq; consen-
 su celeriter peracto qua proximum erat itinere, cuius
 finis

finis erat sanctitas, ad montem oraculo indicatum per-
 ueniunt. pater lapides congerit, ut aram exstruat.
 tum filius uidens cætera parata sacrificio, nullum uerò
 animal, uersus ad patrem, Ecce ignis, inquit, & ligna
 pater. sed ubi uictima? Hic alius arcani consilij sibi con-
 scijs, offusa menti caligine, ad hæc uerba turbatus &
 lachrymans aperuisset propositum, affectum contine-
 re non ualens. At ille nihil mutatus uel corpore uel ani-
 mo, constanti uultu, ratione constantiore, ad interro-
 gationem respondet. Fili, inquit, Deus sibi providebit
 de uictima, & si nihil præsto sit, quod te fortasse facit an-
 xium. Sed deo posibilia sunt omnia, etiam quæ nõ pos-
 sunt expediri ab hominibus. Et cum dicto celeriter cor-
 reptum filium aræ imponit, simul strictum librat gla-
 dium. Tum Deus ex acre increpans, facinus impedit, iu-
 bens iniuriam abstinere à puero, & bis patrem incla-
 mans nomine, ut auersus & retractus cædem omitte-
 ret. Atq; ita puer seruatus est, Deo remunerante pie-
 tatem, & certante cum amico mutuis officijs. Facinus
 tamen hoc quamuis effectu caruit, nihilominus pro in-
 tegro absolutoq; , non modo in sacris refertur uolu-
 minibus, sed & in lectorum insculptum est mentibus.
 Verum malitiosis calumniatoribus nostra damnare po-
 tius quàm laudare solitis hoc imperatum non uidebi-
 tur tam magnum & mirificum quàm nobis uidetur.
 Aiunt enim & alios multos suis affectibus deuinctos, et
 amantes liberorum, immolandos exhibuisse filios; uel
 pro incolumitate patriæ, uel ut auerterent bella, sicci-
 tates, inundationes, pestilentias. alios item domesticæ

quātumuis falsæ religionis gratia. Græcorum certè clarissimos, non solum priuatos ciues, sed & reges, non magna ratione ex se natorum habita, his mactatis maximas delcuisse hostium copias primo impetu, sociorum uerò seruasse maximos exercitus. Barbaras quoq; gentes per multas ætates litasse mactatis filijs, cuius sceleris etiam sacrosanctum Mosem meminisse, dum accusans eos ut pollutos ait, Filios & filias dijs suis adolent. Indorum quoq; gymnosophistas & hodie sub initium senectutis morbi longi & incunabilis, prius quàm inualescat, accenso rogo, seipso exurere, quamuis possent ad tempus fortasse diuturnum resistere. Imò & mulierculas eorum defunctis maritis in rogos eorum cum gaudio se mittere, atq; ita uiuas concremari cum adamatis cadaueribus. Harum, inquiunt, merito mireris audaciam, quæ mortem contemnunt tantopere, ut ad eam tanquam ad immortalitatē cursu cōtendant. Istum uerò laudare quorsum attinet, quasi nouum aliquod facinus aggreßum, quod non semel fādo auditum est, de priuatis ciuibus, de regibus, de integris gentibus. Ad hanc inuidorum insectationem sic respondeo. Qui liberos mactant, partim ex more id faciunt, ut fertur de nonnullis barbaris, partim quia magna mala & aduersus humanam opem contumacia à suis ciuitatibus aliter arcere nequeunt. Ex his quidam inuiti suos exhibent, coacti à potentioribus. Alij compulsi metu hominum, alij cupidine gloriæ famæq; in præsens gloriæ, famæ uerò ad posteros. Ergo qui ex more mactant, nihil magnum uidentur facere. Nam inueterata consuetudo plerunq; tan-

tum

tum potest, quantum natura, ita ut grauissima quæque reddat toleratu facilia, omni terrore semoto. Qui uerò cedunt timori, laudem nullam merentur. Laudantur enim facta uoluntaria, inuoluntaria referuntur ad necessitatem rerum aut casuum aut temporum. Quod si quis amore gloriæ uel filium prodit uel filiam, uituperio magis quam laude dignus est, morte charissimorum parās sibi honorem, quem etiamsi antea habuisset, pro incolumitate filiorum abijcere debuerat. Proinde considerandum est, an ille aliqua modo dicta necessitate coactus sit mactare filium, uel more, uel honore, uel timore. Mos certè imolandi liberos, nec Babylone, nec in Mesopotamia, nec à Chaldeis receptus est, apud quos educatus magnam uitæ partem cum eis exegit, ne quis putet præassuetudine leuiorem uisam mali eius imaginationem. Sed neq; metus ullus imminebat ab hominibus, neq; oculi iussu quisquam norat alius. Nulla publica premebat calamitas, cui morte probatissimi filij remedium quæreret. At laudis apud uulgum parandæ cupidine ad hoc facinus concitatus est. At quæ laus captabatur in solitudine, ubi nemo erat applausurus, data opera longè à tergo relictis etiam duobus famulis, ne se coram testibus ostentare uideretur? Quapropter obturato infreni ore moderentur accusatores suam inuidiam, nec lacerent honesta uita defunctos, quos potius prædicare deberent cum alijs. Siquidem apud omnes qui rectè sapiunt nihil honestius habetur, nihil optabilius, quam deo parere, quod hic in primis studuit, ita ut nullum unquam mandatum negligeret, quantumuis refr-

tum molestijs & ignominijs, atq; etiam laboribus ac doloribus. Quamobrem & id quod oraculo iussus est de filio, fortiter constanterq; pertulit. Deinde cum nulla consuetudo esset in ea regione, sicut fortasse apud quosdam, imolandi liberos, ipse primus autor futurus erat noui & inusitati exempli, quod mihi uidetur nemo laturus fuisse, etiamsi ferreum aut adamantinum haberet animum. Cum natura enim, ut quidam ait, pugnare est difficile. pater erat factus unicus huius legitimi filij, quem mox singulari amore prosequabatur, supra modum vulgaris beneuolentiæ, imò etiam fama celebratæ. adebat & aliud uehemens amoris incitamentum, quod in senecta ei puer natus fuerat. Nam sero natos impotentius parentes adamiāt, uel quia diu desideratos, uel quia nullam prolem sperant postea, natura iam effocta, quippe quæ extremum attingit terminum. Siquidem è numerosa sobole unum quempiam offerre deo, tanquam liberorum primitias, nihil mirandum fuerit, cum præsto sit è superstitibus laud mediocre solatium, & doloris ob mactatum cōcepti remedium. Cum uerò unicus dilectus offertur, res est sermone nullo explicabilis, nullum respectum habens consuetudinis domesticæ, sed tota prona ad pietatis officium, eximia sanè, & uix cuiquam alteri tentata. Nam alij tametsi pro salute patriarum aut exercituum concedunt suos mactandos, tamen aut dominant interea, aut procul absistunt ab altariibus: aut si contingat eos sacris interesse, auertunt oculos ne spectare quidem sustinentes uel alienum necis ministerium. Hic uerò tanquam sacerdos, ipse pater

amantissimus

amantissimus aggreditur mactationem egregij filij, quē
fortassis etiam sacrifico ritu mēbratim concisurus erat
adolendū altaris ignibus. adeo cauerat ne pietate erga fi-
lium distraheretur à pietate deo debita, & totū quantus
erat animum sanctitati deuouerat, parum curans cogna-
tum sanguinē. Quid horum quæ diximus cū cæteris cō-
mune est? quid non eximium, quod nulla possit æquari
facundia? ut merito quoduis ingenium non malum nec in-
uidum obstupefaciat immēse pietatis miraculo, uel uno
ex multis, necdum confertis omnibus. satis enim est uel
unius cuiuslibet reputatio ad exprimendam paruā quā-
dam imaginem ingentis auini, quamuis nullum sapiētis
opus est exiguum. Verum non intra uerba textus aperta
consistunt quæ modo diximus: mihi certe uidentur natu-
ram quandam obscuriorem subindicare, quā agnoscūt
quotquot intelligibilibus magis delectantur quā sensi-
bilibus, & possunt ea cernere. est autem talis. qui addu-
citur pro uictima, Chaldaice Isaac, Latine risu uocatur.
qui risus non intelligitur nunc pro petulanti uultus ha-
bitu, sed pro mentis bene affectæ gaudio. hanc letitiam
uir sapiens meritò sacrificare deo dicitur, per istam fi-
guram docens, quod gaudium soli deo sit propriū. nam
humanum genus mœrori timorīq; est obnoxium, propter
mala uel præsentia uel imminētia, ut uel horum poeni-
teat, uel illa metu terreant ac concutiant. diuina uero na-
tura expers est mœroris, timoris, passionumq; omnium,
felicitatis beatitudinisq; perfectæ sola particeps. hanc con-
fessionem quicumq; uere cōfitetur, ei deus cum sit bonus
& amator hominum, alienus ab inuidia, conueniens
munus

munus reponit quantum homo potest capere, tantum non tali alloquens eum oraculo. Gaudium ac lætitiã non esse cuiusquam, præter me omnium patrem, propriam possessionem scio, quam tamen ipsa dignis nõ in uideo. Quis autem dignus esse potest, nisi qui me meãq; uoluntatem sequitur? huic enim minimum doloris, minimum timoris obuient, modo incedat per uiam, quæ affectibus ac uitij inaccessa, per uirtutes his contrarias teritur. non est tamen cur aliquis putet meram & nullo dolore mixtam lætitiã cælitus in terram descendere, sed temperata est ex utroq; ita ut de meliore plus admixtum sit: sicut lux in cælo sincera semper est & pura à tenebris, in sublunari autem aere miscetur caligine. & hoc est opinor, cur & antea uirtutis cognomen habens Sarra, cum risisset, roganti risus causam, se risisse negauit, uerita ne forte gaudium quod nulli creaturæ conuenit, solius dei rem usurpasse uideretur. Quapropter cõfirmans eam diuinum eloquium ait: Ne timeas: risisti uere, & particeps es lætitiæ. non permisit enim pater humanum genus exagitari tristitijs, doloribus, & molestijs insanabilibus, sed admiscuit eis etiam de meliore natura nonnihil, æquum censens serenam interdum ac tranquillam esse animam: præcipue uero sapientum maiore uitæ parte gaudere letariq; mundi huius contemplationib. uoluit. Hactenus de pietate huius uiri pauca è multis dicta sũt, nunc scrutanda est eius etiam erga homines dexteritas. ad eandem enim naturam pertinent pietas & humanitas: & utrumq; in uno spectari solet, sanctitas erga deum, erga homines iustitia. Longum esset
narrare

narrare facta eius omnia. Nos contenti duobus uel tribus erimus. Cum auro argentoq; et numerosis pecudum gregibus diues esset adeo, ut cum ditissimo quoq; indigena conferri posset opibus, et beatior esset quam pro inquilini conditione, nunquam tamen accusatus est ab his, quorum utebatur hospitio, sed cum quibuscunq; negotium habuit, ab eis perpetuam laudem reportauit. Quod si quando, ut fit, per occasionem famulicij comitatusq; suboriebatur contentionis nonnihil, mox eam sopire conabatur, quippe qui præ grauitate morum nihil turbulentum, seditiosum, litigiosumq; admittebat in suam animam. Nec mirandum si erga alienos talis erat, qui potuisset icto inter se facere uim maiore ui repellere, quando etiam erga genere coniunctos, sed uoluntate disiectos, desertos et solos, multo inferiores quod ad opes attinet, modestus erat, ultro cedens qui plus iuris usurpare sibi potuerat. habebat enim fratris filium, cum quo patriam reliquerat, non satis firmum amicum, sed nutum et suspectæ fidei: à quo interdum salutabatur familiaribus blanditijs, interdum contemnebatur strenue, propter ipsius iuuenis morum inæqualitatem. Quapropter etiam serui huius contentiosi erant ac morosi, quod castigatorem non haberent, præsertim pastores longius semoti à suo domino. itaq; seruitutis immemores præ licentia semper rixabantur cum sapientis nostri magistris pecorum, plerunq; cedentibus propter sui heri mansuetudinem: qua modestia sic auxerunt insolentiam et impudentem audaciam aduersariorum, ut accensis inutuis odijs necesse habuerint qui ladebantur iniuriam armis repellere.

repellere. itaq; graui rixa coorta, uir bonus postquam partes concitatas cognouit, sciens suos præualere numero ac uiribus, non permisit rem ad manus deuenire, ne fratris filium cladem suorum ægre laturum cōtristaret: sed in medium progressus pacificis uerbis finiuit contro uersiam, non in præsens tantum, sed & in posterum. Sciens enim discordes fore si cohabitare & unà degere pergeret, nec unquam lites ac rixas inter eos de fore, ad tollendas harum occasiones admonendum exorandūq; duxit socium, ut posthac seorsum habitaret. accersitoq; fratris filio, liberam optionem ei proposuit agri melioris, pollicitus se libenter accepturum partem, quam ille fecerit reliquam. pacem enim sibi quouis lucro chariorem esse. & quis alius potentior infirmiori concessisset uel minimum de iure suo? quis uinci mallet quàm uincere, & uti sua potentia? solus hic non in uiribus aut opibus summam felicitatis collocabat, sed in tranquilla uita, & quantum in ipso erat quieta, atq; ita existimationem sibi parauit mirificam. His in laudem hominis dictis, non alienum à nostro proposito fuerit, à simplici uerborum contextu ad latentem in eis sensum transire querendi gratia. Varij sunt modi negotiorum, sicut diuersæ horum occasiones. Nos duos modos seligemus, alterum seniore, iuniorem alterum. Senior est, qui principalem naturæ partem honorat: iunior, qui res subditas, & in extremis reputandas. Principales enim & seniores sunt, prudentia, temperantia, iustitia, fortitudo, & quicquid ad uirtutem attinet, aut ad uirtutis actiones. Iuniores autē, diuitiæ, honores, gloria, nobilitas, nō illa

illa uera, sed quā uulgus nominat, & quæcūq; præterea
tertiū post animæ res atq; corporis ordinē tenent, extre-
mū omnium. Vterq; modus seu mos, habet tanquā quos-
dam greges armentaꝝ. iste qui externa amat, aurū, ar-
gentum, & reliquū apparatus diuitiarum: item arma,
triremes, machinas, equestres pedestres naualesq; co-
pias, principatus præsidia, per quæ confirmatur poten-
tia. At ille honestatis amator singularū uirtutū placita,
& sapientū contemplationes. Vtrisq; gregibus præposi-
ti sunt quidā magistri, sicut pastores pecorib. externis
quidem auari, ambitiosi, præfecturarū cupidi, & qui-
cūq; gaudēt cum potestate præesse multitudini. At anī-
mæ bonis studiosi uirtutis ac honestatis, qui non adulte-
rina germanis, sed germana bona adulterinis præferūt.
Inter hos naturalis quædam intercedit contentio, nō di-
scernētes quæ sua sunt, sed digladiantes de pertinentissi-
mo ad uitā negotio. Hoc autē est uerorū bonorum iudi-
cium. Anima igitur quādiu oppugnabatur huiusmodi
seditionibus, nondū purificata in totum, sed adhuc affe-
ctionib. & morbis præualentibus inferior, perturbabā-
tur. ex quo autē cœpit potentior fieri, & munitiones ad-
uersariorū expugnare maiorib. uiribus, assumptis alis
animosior facta, morem externas materias mirantem in
seipsa intersepit, et tanquā hominē eum alloquēs, negat
ei possibile societatē ac consuetudinē habere cū uirtutis
amatore et sapiētiae. Abi et trāsfer longe aliò domiciliū,
cū nihil commune habeas, nec possis habere. Quicquid
enim tu dextrū putas, ille sinistrū existimat: ediuerso q̄
quid tibi sinistrū, illi dextrū uidetur. Nec tantū pacificus
&

& æquitatis cultor fuit hic uir bonus, sed fortis etiã ac
 bellicosus: non quòd bellum appeteret, à rixis alienissi-
 mus: sed ut certam pacem sibi pararet in posterũ, quam
 turbabant aduersarij. argumento sunt ipsius præclara
 facinora. Orientalem tractũ quatuor magni reges possi-
 debant, quibus parebant orientis gentes quotquot Eu-
 phratem accolunt. hæ omnes in officio manebat, & im-
 perata regum faciebant, pendendo sine omni causatio-
 ne tributum annuum. sola Sodomitarum ditio, prius-
 quam conflagraret, coepit pacem turbare, defectionem
 dudum meditantis. Cum enim esset fortunatissima teneba-
 tur à quinq; regibus, qui ciuitates agrosq; inter se diui-
 serant, amplos admodum & frugum arborumq; fe-
 racissimos. nam Sodomitici agri non magna portio, fer-
 tilitate cum aliorum latifundijs certare poterat. ideo cõ-
 plures principes amatores habuit miratos eius pulchri-
 tudinem. hi temporibus superioribus per exactores tri-
 butorum optimates suos pendere soliti debitam pecu-
 niam prouinciæ rectoribus, metu simul & reuerentia:
 ubi bonis satiati sunt, ut solet è saturitate nasci petulan-
 tia, sumpto maiore quàm pro uiribus animo, primò ex-
 cusserunt iugum. deinde more nequam seruorum, in do-
 minos coorti sunt, freti seditione ac robore. at illi suæ no-
 bilitatis memores, stipati ualida manu, contemptum eos
 aggressi sunt, quasi cõflictu primo profligaturi. ac mox
 collaris signis alios coegerunt terga uertere, alios in ipsa
 fuga cædentes magnam stragem ediderunt: abductamq;
 ingentem captiuorum turbam cum cætera præda inter
 se diuiserunt. in his erat etiam illius sapientis nepos, qui
 iam

iamdudum ad unam pentapolis ciuitatem migrauerat. quod ubi quidam fuga seruatus indicauit, ille grauiter ferens non se continuit, mortuus & uiuentem magis lu- gens quàm si audisset mortuum. Norat enim uitæ finem, sicut ex ipso liquet nomine, abrumpere omnia, præser- tim mala, quæ innumera uulētibus uel inuitis obrepūt. tumq; pararet se ad eripiendum fratris filium, carebat socijs homo inquilinus & hospes, nemine audente for- tissimas tot regum copias uictoria recenti feroces laces- sere. inuenit tamē nouum genus auxilij. expeditur enim aliquando in rebus dubijs consilium, præsertim in cau- sa humanitatis & iustitiæ. collectis enim seruis uernacu- lis, empticijs uero domi manere iussis, quorum timebat transfugium, ex familiaribus confecit aliquot cēturias, atq; ita hostem inuasit tribus agminibus: non his fretus qui multum cedebant regibus numero, sed deo propu- gnatore protectoreq; iustitiæ. itaq; magna contentione properauit nunquam remittens celeritatem, donec poti- tus occasione, noctu superuenit hostibus iā sumpta cœ- na ad somnum se componentibus. in quos irruens alios trucidauit in cubilibus, alios resistere conatos fudit fu- gauitq; atq; ita omnes deuicit, non tam armorum appa- ratu quàm fortitudine animi. Nec prius reuertit quàm hostilibus regum copijs deletis, reduxit fratris filium, ad- eptus egregiam uictoriam auctusq; ingenti equorum et iumentorum numero, prædaq; opulentissima. eum re- deuntem conspiciatus ille magnus pontifex dei maximi, reducentemq; suos omnes ad unum incolumes & uictō- res, attonitus tanti facinoris magnitudine, & id quod

Philo. to. I.

M

uerunt

uerum erat cogitans, præsentem eis opem diuinam ad-
 fuisse, manus ad cælum tēdens fausta illi precatus est: ma-
 ctatisq; uictimis, splendidum epulum socijs omnibus de-
 dit, gratulabundus nec minus letus quàm uictoria pro-
 pria. nec enim aliena fuit, si rem uere æstimes. amicorū
 enim esse omnia communia prouerbio credimus, præ-
 fertim bonorum uirorum, quibus nihil magis cordi est,
 quàm ut deo placeant. Hæc sunt quæ in sacra scriptura
 legimus. cæterum qui possunt res nudas corporibus exu-
 tas cernere, animo magis uiuentes quàm corpore, dicēt
 ex illis nouem regibus quatuor esse nostrarum quatuor
 affectionum potentias, uoluptatis, concupiscentiæ, timo-
 ris, doloris. quinque reliquos esse sensus totidem, uisum,
 auditum, gustum, odoratum, tactum. regnant enim quo-
 dammodo in nobis & potestatem exercent, sed nō sumi-
 liter. nam quinque subiecti sunt illis quatuor, quibus ue-
 ritas pendunt ac tributum necessariū à natura imposi-
 tum. ex his enim quæ uidemus, audimus, olfacimus, gu-
 stamus, tangimus, dolores, uoluptates, timores, concupi-
 scentie nascuntur, cum nullus affectus per se subsistere
 ualeat, ni sensus materiam suggerant. in his enim consi-
 stunt uires illorum, in figuris & coloribus, in eloquijs,
 in saporibus ac uaporibus, in subiectis tactui duris uel
 mollibus, calidis uel frigidis, asperis uel leuibus. nā hæc
 omnia sensus exhibent affectibus. quæ tributa quamdiu
 penduntur, salua manent inter hos reges fœdera. alio-
 quin sublata pensione mox bellum exoritur & defe-
 ctio. id tum accidit maxime, quando senectus odiosa su-
 peruenit, & affectibus non senescentibus, aut etiā pro-
 pter

pter inueteratam consuetudinem inualescentibus, uisus hebetatur, aures ægre audiunt, reliqui etiam sensus se-
 ipsis deteriores facti non æque, ut antea pollent iudicio,
 nec ualent debitum reddere. Non mirū igitur, si exhau-
 sti modis omnibus, & iam ante defecti uiribus, facile ab
 infestis affectibus subuertuntur. Illud uero ualde natu-
 ræ consentaneum est, quod dicitur, duos ē quinq; regi-
 bus incidisse in puteos, reliquos tres fuga seruatos. Ta-
 ctus enim & gustus penetrant intima corporis, quæ sua
 sunt committentes dispētanda uisceribus. Oculi autem,
 aures & odoratus, plerumq; foris obambulant, & sic
 effugiunt seruitutem corporis. Hæc uir bonus ex insi-
 dijs obseruans, ubi uidet qui modo fœderati fuerant in-
 iustino malo laborare, turbata pace & exorto inter no-
 uem regna bello, quatuor contra quinq; de imperio cer-
 tantibus, repente occasionem arripiens eos aggreditur,
 studens populari administrationi. quæ est optima rei-
 publicæ species, ut sublati tyrānidibus & dynastijs ex
 anima, ius & fas uigeat pro iniquitate ac iniustitia. est
 autem quod dicimus non figmentum fabulosum, sed res
 uerissima quam in nobis ipsis experimur. nam sæpe sen-
 sus cum affectibus concordēs ministrant eis sensibilia,
 sæpe interueniēte dissidio nolunt debitum reddere, aut
 non sunt soluendo, ratione cohibente: quæ si quando ar-
 ma sua corripit, scilicet uirtutes & harum placita, his
 subnixa uincit egregie. nefas enim est corruptibilibus in
 eadem cum incorruptilibus sede considere. atqui no-
 uem illi potētatus quatuor affectuum & quinq; sensuum,
 tum corruptibiles sunt, tum corruptionis autores. at ræ

tio sacra & uere diuina, quæ locū habet in denario per
 fecto numero, in certamen descendens, & diuino adiuta
 presidio, dictos potētatus uincit egregie. Aliquāto post
 moritur ei coniux dilectissima & optima, editis pluri-
 bus caritatis erga maritum exemplis: quæ relicta sua co-
 gnatione, peregrinationis comes indiuidua, continuos
 errores alios super alios, famēs, egestates, expeditiones
 unā cum eo pertulerat. nam ubiq; adfuerat, in omni lo-
 co fortunaq; uere consors uitæ ac negotiorum ad uictū
 pertinentiū, prosperæ aduersæq; fortunæ ex æquo par-
 ticeps. Nec enim ut quædam erumnas fugiebat seruans
 se feliciori tempori, sed utramq; sortem, sicut uxore de-
 cet, subibat alacriter. cuius mulieris cum possim multas
 laudes memorare, unam nō silebo, ut sit cæterarum ma-
 nifestarum specimen. cū enim prole careret, quippe ste-
 rilis, uerita ne tam chara deo domus ideo deserta fieret,
 sic maritum allocuta est. Iam dudum unā uiuimus in cha-
 ritate mutua. sed quæ præcipua coniugij nostri causa
 fuit, propter quam natura uirum copulauit mulieri, de-
 sunt nobis liberi. imò ne in posterum quidem spes ulla
 est reliqua, propter ætatem meam iam uergentem. non
 est æquum ut te quoq; tangant meæ sterilitatis incom-
 moda: licet tibi salua nostra charitate patrem fieri. absit
 enim à me zelotypia, quando à te abest bruta concupi-
 scentia, necessitati naturæ satisfacturo. Quamobrē non
 differam nouam nuptam ornare, quæ quod mihi deest
 suppleat. Quod si res pro uoto successerit, tui natiui li-
 beri, mei adoptiui erunt. & ut absit omnis zelotypiæ su-
 spicio, meam, si libet, duc famulam, corpore seruam, sed
 inge=

ingenio liberali ac generoso foeminam, iam dudum mihi expertam examinatamq; ex quo primum ades meas intrauit, genere quidem Aegyptiam, sed Hebraeam religione. Est nobis ampla possessio, et opes maiores quam pro praesenti sorte: iam enim ne locupletissimis quidem indigenis cedimus. Et adhuc haerede caremus, quamuis parare hunc liceat, modo monitis meis pareas. Ille miratus uxoris crescentem usq; charitatem, et de tempore futuro curam ac providentiam, ducit causa liberorum eam quam ipsa commendauerat, ut ferunt qui se aiunt certiora prodere, usurus eius conditione, donec mulier grauidam fieret. Quod ubi non ita multo post contigit, aiunt abstinuisse ab eius complexibus, uel propter innatam sibi continentiam, uel propter honorem quem uxori habebat mutuum. Itaq; mox e famula nascitur filius, et alioquanto post alius legitimus nihil tale iam sperantibus, honestate ac uirtutem eorum benignissimo Deo remunerante, et munus omni spe maius, ultro largiente. Hoc specimen de muliere illa sufficiat. At sapientis illius uiri plures laudes sunt, quarum aliquot paulo ante memoraui. Nunc dicam et de uxoris obitu, quod silendum non uidetur. amissa enim tali uitae socia, qualem superius ostendimus, et qualem scriptura depingit, dolori contra se insurgenti, et animam petenti, tanquam inuictus athleta non succubuit, recolligens se, et confirmans rationis robur, a natura oppositae affectionibus. cuius consilij per totam uitam usus, tunc quoq; paruit egregie, ut bene utiliterq; monentibus. Erant autem haec, ne se plus aequo affligeret, quasi noua calamitate perculsus, nec tamen quasi nihil

molestū passus oēm dolorem pelleret, sed per mediā in-
 ter extrema uiā incedens, casum hūc moderate ferre co-
 naretur, permittendo naturæ suū ius in exigendo debi-
 to, & quod acciderat patiēdo æquanimiter. id testan-
 tur sacra volumina, quæ nefas est falsitatis argui: ubi nar-
 ratur eum modicis lacrymis profusis, celeriter se subdu-
 xisse à cad. uere: quippe qui prolixiorē luctum alienum
 putabat à sapiētia, à qua didicerat mortē existimare nō
 extinctionē animæ, sed separationē disiunctionēq; à cor-
 pore, illa redeūte retro unde uenerat. uenerat autē à deo,
 sicut in opificio mundi declaratū est. Quemadmodū au-
 tē nemo sanus ægre fert à se reposci debitū aut depositū,
 eodē modo natura quod suum est repetente, nō arbitra-
 batur indigne ferendū, sed necessitati consentiendū. ubi
 uero illius regionis optimates conuenerūt ad eū officij
 gratia, cum nihil uiderent eorū quæ apud ipsos ex more
 fieri solebant in funere luctuq; non complorationes, nō
 lamenta, non planctum uirorum ac mulierum, sed to-
 tam familiam sobrie moderateq; mærentem, demirati
 sunt non mediocriter, sicut antē tota uiri uita miraculo
 eis fuerat. moxq; attoniti tantæ uirtutis excellentia, in
 qua nihil inerat non eximium, accedentes uirum in hāc
 uocem eruperunt: Rex à deo tu es inter nos: uerissima di-
 centes. nam alia regna homines sibi parant, armis, ex-
 peditionibus, dictu miris ultro citroq; illatis cladibus,
 quas affert potentiæ cupiditas, dū se pedestribus, eque-
 stribus, naualibus copijs muniunt. sapientis autem re-
 gnum à deo porrigitur, quo assumpto uir bonus male
 mulctat neminem, sed omnibus subditis usum fructum
 bona

bonarum rerum, & iura pacemq; denunciat. Quin & in sacris literis extat huius uiri elogium, testatum reddito Mosi oraculo, quo dicitur quod deo credidit. id ut dictu est breuissimum, ita factu maximum. cui enim præter eum credendum est? principatibusne, an glorijs, honoribus, opibus, diuitijs, nobilitati, sanitati, integritati sensuum, robori pulchritudiniue corporis? Atqui principatus omnis est lubricus, innumeris insidiatoribus obnoxius. quod si quando confirmatur, id fit non sine multis acceptis & illatis calamitatibus. nihilo stabiliiores sunt honores & gloriæ, incertissima possessio, pendens à moribus rumoribusq; leuium & improborum hominum. quæ si quando perseuerat, nihil tamè uerè bonum in se continet. at diuitiæ generisq; nobilitas, etiam deterimis obueniunt. sed fac solis bonis hæc contingere, maiorum & fortunæ ista laus est, non ipsorum qui habent. ac ne corporis quidem dotibus efferræ æquum est, quibus nos alia animalia superât. Quis enim homo fortior aut robustior tauro inter cicures, inter feras leone? quis præditus acutiore uisu quàm accipiter aut aquila? quis auditu tam felix, quàm asinus tardissimus animalium? quis odoratu cane sagacior? quem aiunt rei uenatoriæ periti, uestigantem longinquos lepisculos improuisum in eos irruere. nam hoc genus canum uenaticorum utitur oculorum uice naribus. Sanitatem quoq; plurima bruta tuentur egregie. Quod autem ad pulchritudinis certamen attinet, etiam inanimata quædam mihi uidentur uincere posse formositates uirorum ac mulierum, si mulacra, statuae, picturæ, & in uniuersum fictorum pi-

torumq;

florumq; opera eximia, quæ apud Græcos atq; barbâ-
ros sunt in precio, & dedicantur inter præcipuos orna-
tus urbium. Solum igitur certum firmumq; bonum est fi-
des, quæ deo creditur, uitæ solatium, bonæ spei supple-
mentum, depulsiuum calamitatum, felicitatum concilia-
tiuum, superstitionis ablegatio, pietatis assertio, prospe-
ritatis hæreditas, profectus in bonis omnibus fultus uni-
uersorum autore, qui potest omnia, uult tatum optima.

Quemadmodum enim per lubricum incedentes labun-
tur fallente uestigio: qui uerò per uiam siccam gradiun-
tur, certo gradu iter faciunt: sic qui per corporis exter-
naq; bona ducunt animam, nihil aliud quam cadere illam
assuefaciunt. hæc enim lubrica & parum firma sunt. Sed
qui per uirtutum contemplationem ad deum properat,
tutum inconcussumq; iter dirigunt, ut nihil uerius dici
possit, quam quod quisquis illis rebus credit, deo nõ cre-
dit: contrà qui deo credit, illis non credit. Nec hanc tan-
tum erga eum Qui est fiducia oracula de uiro illo præ-
dicant, reginam uirtutum cæterarum, uerum etiam hunc
primum nominant seniore: quamuis maiores eius tri-
plo & amplius longæuiiores fuerint, quorum neminem
legimus hac appellatione dignum habitum. & merito.
nam reuera senior, non ex longitudine temporis, sed ex
laudata uita spectatur. Siquidem qui multum ætatis in
corpore uixerunt sine probitate, longæui pueri dicendi
sunt, quia nunquam disciplinas attigerunt dignas cani-
cie. Amator autem prudentiæ sapientiæq;, hoc est erga
deum fiduciæ, iuste senior siue primas uocari potest. Nam
reuera primus est sapiens in humano genere, sicut gu-
bernator

bernator in naui, magistratus in ciuitate, imperator in exercitu, anima in corpore, mens in anima. Rursum cælum in mundo, in cælo deus: qui delectatus uiri fiducia, & ipse iureiurando fidem promissorum confirmat, non ut deus hominem, sed ut amicus familiarem alloquens. Ait enim: Per memetipsum iuro: cum uerbum eius uim iurisiurandi habeat, uolens nihilominus persuasionem eius firmiorem stabilioremq; facere. itaq; senior & primus uir bonus dicendus est, omnis autem malus, extremus & nouissimus, ut nouator & tractans res extremi ordinis. De his igitur hæcenus dictum sit, unum modo ceu fastigium addam huius sapientis laudibus, sumptum ex diuinis literis, quæ testantur eum dei legem & mandata fecisse omnia, non scripto ullo edoctum, sed absq; scriptura secutum appetitus ingenij sui sanissimos, quæ autem deus pollicetur, quomodo possunt homines non credere? Hæc est uita primi conditoris suæ gentis, quam aliquis diceret legitimam: ego uero docui quod ipsa lex sit & ius non scriptum.

PHILONIS IV

DAEI, DE MIGRATIONE
Abrahami, Liber.



NT dixit Dominus ad Abraham: Egre-
dere de terra tua, & de co-
gnatione tua, & de domo pa-
tris tui, in terrā quam tibi mon-
strauero, & faciam te in gentem
magnam. Benedicam tibi, & ma-
gnificabo nomē tuum, erisq; be-
nedictus. Benedicam benedicientibus tibi, maledicam ma-
ledicentibus tibi: & benedicentur in te omnes tribus ter-
rę.] Volens deus purificare hominis animam, primū
offert ei perfectę salutis occasionē, migrationem à cor-
pore, sensu, atq; ratione: nam terra corpus, cognatio sen-
sum, patris domus rationem significare intelligitur.
Quamobrem? Quia corpus & ex terra factū est, & in
terrā resoluitur, sicut Moses testatur, dicens: Terra es
& in terrā reuerteris. nam ipse narrat deo formāte fa-
ctum ex terra hominem. & necessum est ut quod solui-
tur, in ea soluatur unde confectum est. Porro sensus co-
gnatus & germanus mētis est, brutus ratione præditus,
quoniam hæc ambo partes sunt unius animę. Ceterum
paterna domus est ratio, quia pater noster intellectus po-
tentias suas in singulas partes seminat, suas cuiq; opera-
tiones attribuens, ipse curam & præfecturā gerens om-
nium. domus autem quam inhabitat, est reliquis celsior
ratio,

ratio. Nam sicut uir ædes, sic intellectus rationem inhabitat. proinde se suosq; cōceptus in ratione tanquam in domo propria dispositos ostendit. Nec mirū si rationem in homine uocat intellectus mentisue domicilium. Nam et deus qui est huius uniuersitatis intellectus, ait sibi suū illum λόγον pro domo esse: quod cernēs ille meditator, propalam fatetur. Nihil aliud est locus hic quā domus dei: ac si diceret: domus dei non est in his quæ cernūtur, aut aliquo sensu possunt percipi, sed inuisibilis, nulla specie circumscripta, anima solum, in quantum est anima, perceptibilis. ergo quæ alia potest esse, nisi sermo ille siue ratio creaturis omnib. antiquior, per quem tanquam clauum gubernator opt. max. cuncta dirigit: quo & in mundi creatione instrumento usus est ad absolucendum opus irreprehensibile. Atq; ita per terrā corpus, per cognitionem sensum, per paternam domum rationem intelligi oportere declaratum est. cæterū illud Egrederi, non est idem quod sciunge te ab eorum essentia: hoc enim mandatum mortem imperaret: sed perinde ac si diceret, Aliena tuum animum, ut à nullo ex his detentus emergas super omnia. Tibi subdita sunt, caue habeas ea pro principibus, cum sis ipse rex: disce tales dominos contemnere, & in perpetuū nosce teipsum, sicut & Moyses non semel docet, dicens: Attende tibiipsi. nam ita senties cui obedire aut imperare debeas. Egrederi igitur, ô bone, è terreno tuo contaminato, & fuge carcerem corporis, simulq; uoluptates et cōcupiscentias custodes eius carceris, quantum potes eas profligans, & minis omnibus absterritās. Egrederi cognitionem quoq; sensuum.


nunc enim singulis familiariter uteris, ipsis deditus, de te parum sollicitus. Atqui scis quod etiam cessantibus alijs rebus, oculi auresq; & huiusmodi cognatio tota in partes suas te pelliciet. Quod si mauis tuis redditib. possessionibusq; contentus nihil ex his amittere, uitam deges fortunatissimam, usum fructum non alienorum bonorum, sed propriorum perpetuo capiens. Sed egrediendum est etiam de sermone rationis indice, quæ paterna domus dicitur; ne deceptus ornatu uerborum ac nominum, missam facias ueram pulchritudinem, quæ in rerum cognitione sita est. absurdum enim fuerit umbram pluris quàm corpus facere, aut rebus præferre imagines. certè umbræ imaginiq; sermo est similis, corporibus autem & exemplaribus ipsæ rerum naturæ de quibus differitur: quas cōsectari debet qui mauult esse q̃ uideri aliquid, omiſſis illis alijs. Quamprimum igitur intellectus incipiet seipsum nosse, & in contemplationibus intelligibilibus uersari, totam illam partem ad sensibilia procliuem ablegabit, quæ Hebræicè Lot uocatur. Quamobrem ille sapiens inducitur dicere apertè: Disce de à me. Nō est enim possibile, ut incorporearum incorruptibiliumq; rerum amator cohabitaret cum prono ad ista sensibilia. Rectè igitur sacer uates unum integrum legis librum Exodum intitulauit, nomine cōueniente contentis in hoc oraculis. cum enim sit ad docendum idoneus & ad castigandum monendumq; promptissimus, totum animæ populum qui se admoneri castigariq; patitur, Aegyptia regione corporis & eius habitatoribus uult eripere, ratus molestissimum grauissimumq; onus perſpectiuam

ſpectiuam mentem opprimi à carnis uoluptatibus, & inſſa eius exequi, quicquid inclementibus concupiſcentijs libuerit. Hos igitur gementes flentesq; in rerum corporearum abundantia & externis opibus (dicitur enim ingemuiffe filios Iſrael propter opera) propitio deo monente de exitu, propheta ipſius eripit. Sunt tamen qui uſq; ad ſuum obitum fœdus fecerunt cum corpore, & tanquam in arca aut tumulto, aut quomodo- cunq; nominandum eſt, in hoc inſepulti ſunt. quorum carnales & affectibus obnoxie partes obliuioni traditæ defodiuntur. quod ſi quid uirtuti amicum ſimul progerminauit, literarum monumentis aſſeruetur, per quæ maiorum honeſta facinora ſolent uindictari ab interitu. Proinde oſſa Ioseph, illa inquam quæ ſola ex tali anima fuerunt reliqua incorrupta, uidelicet memoratu digna geſta, non omittuntur in ſacra ſcriptura, quòd abſurdum uideretur pura coniungi cum impuris. Fuit autem memoratu dignum, credidiſſe illum quòd uiſitabit deus genus Iſraeliticum, non traditurus id in perpetuam ſeruitutem Ignorantiæ cæcæ dominæ. item diſcreuiſſe illum quod mortale eſt animæ ab immortalis eius parte: & quæ ad corporis uoluptates cæterosq; affectus immoderatos pertinent, ut mortalia reliquiſſe in Aegypto: de incorruptibilibus uero ſolicite prouidiſſe, ut cum aſcendentibus in uirtutis ciuitates deportarentur, obligatis iureiurando poſteris. Quæ ſunt igitur illa incorruptibilia? Voluptatis auerſatio dicentis, Cubemus unâ, & fruamur bonis humanis. tolerantia coniuncta ſolertia, per quam bona falſo credita diſcernit ac diſtinguit à ueris.

tanquam

tanquã somnia: dum fatetur ueras & manifestas rerum
 estimationes ex deo esse: incertas autem & obscuras ima-
 ginationes ex erronea, fastuosa, necdũ purgata uita ho-
 minum, quæ delectatur pistorum, coquorum, pincerna-
 rumq; ministerijs. item quod non subditus, sed præfectus
 & censor totius Aegypti corporeæ regionis fuit: quod
 Hebræum se gloriabatur, quorum est à sensibilibus mi-
 grare ad intelligibilia. Hebræus enim migrator inter-
 pretatur. quod iactabat se nihil fecisse. nam non miscere
 se improborũ studijs, & constanter ab his abstinere, non
 mediocris laus est. quod pro ludibrio habebat omnes
 affectus & concupiscentias immodicas, quod deum time-
 bat, etsi nondum ad eum diligendum idoneus. quod in
 Aegypto conabatur uere uiuere. Quæ miratus ille per-
 spicax Israel, ut reuera mirari debuit, ait: Sufficit mihi si
 adhuc filius meus Ioseph uiuit, nec est cum uanis opinio-
 nibus & cadaueroso corpore commortuus. item quod
 fatebatur ex deo, non ex ulla creatura scientiam contin-
 gere hominibus: & mores corporis studiosos agitari ia-
 ctariq; perpetuo, utcunq; putãt se niti certis decretis ani-
 mi. quod aiebat se non ab hominibus missum esse, sed ele-
 ctum à deo, ut administraret legitimam præfecturã cor-
 poris. multa præterea his similia ad meliorem sacratio-
 remq; ordinem pertinentia Aegyptum corporalem do-
 mum inhabitare non sustinent, nec unquam insepeliun-
 tur tumulo: sed egressa regionem mortalium, sequuntur
 sermonem fatidicum Mose præcunte. hic est enim altor
 ac nutritor bonorum operum, dictorum, consiliorum:
 quæ etiamsi misceantur aliquando cõtrarijs propter ua-
 riam

riam confusionem rerum humanarum, nihilominus discernuntur tandem, ne in totum honestatis semina plantæq; dispereant. proinde iubet ut fortiter incunctatèq; deferant istam appellatam matrem improbitatem omnium, summæ celeritate adhibita. ait enim: Cum festinatione immolate pascha, quod interpretatur transitus: quando inhesitanter cum summa alacritate mens ab affectibus cōtinuato cursu transmigrat ad gratiarū actionem pro salute accepta à deo, qui nec opinantem uindicauit in libertatem. Et quid mirum si ui subactū ab irrationali affectu hortatur ne succubat, neue sinat se illius impetu abripi, sed conetur resistere, aut certè aufugere: secundus enim ad salutem aditus est fuga, si repugnare nō datur: quando etiam suapte natura luctantem cum affectibus, necdum perdomitum, sed concertantē cum singulis, non sinit cum eis conflictari perpetuo, ne fortè inde aliquam pestem sibi affricet. Multi enim ex aduersarijs uitij facti sunt imitatores, quod & in uirtute accidit. ideò tale oraculum est redditum: Reuertere in terrā patris tui, & in gentile solū, & ero tecū: ac si diceret: Fuisi tibi athleta perfectus, præmia coronasq; promeritus, uirtute præstidente certamini, & tibi porrigente insignia uictoriæ. Desine iam contendere, ne in totū defatigeris, sed possis frui actis laboribus. quod nunq̃ tibi continget, si hic manear, cum sensibilib. habitās & tempus terēs cum corporeis qualitatibus, quarū Laban princeps est. Est autem qualitatis hoc nomē. Sed migrādū est in terrā patris tui, id est sacri sermonis, qui quodammodo pater est uirtutis studentium, uidelicet sapienciā, probarū animarū optimū domi-



domicilium. in hac regione genus quoq; tuum est quod seipso præceptore utitur, expers infantilis cibi lactei, quod oraculo diuino uetatur in Aegyptum descendere & inescari carnis uoluptatibus, cognomento Isaac: cuius hæreditatem adeptus non opus habebis laborare amplius. nam copia parata bonorum affluentium parit otium. fons autem unde bona promanant, est cum benigno deo familiaritas. ideo quasi obsignans sua beneficia dicit, Ero tecum. Quid igitur boni defuerit præsentem omnipotentem deo cum filiabus suis Gratijs uirginibus, quas incorruptas inuiolatasq; seruat in castitate genitor. Tunc cessant meditationes, labores, exercitia, & naturæ benignitate sine arte proueniunt aceruatim cuncta commoda. qui prouentus spontaneus rerum bonarum, uocatur dimissio: quoniam mens dimittitur à suis operationibus, & quasi ultro manumittitur propter copiam ingentem more imbris depluentem continuè. Sunt autem hæc miratu dignissima ob natiuam pulchritudinē. nam siquid anima ex seipsa parturit, plerunq; abortiuum & immaturum gignitur: ediuerso integrum absolutumq; quicquid in eam diuinitus impluit, non pudebit me fateri, quod mihi ipsi accidit sæpius. Aggressus scribere de receptis uulgo philosophorum dogmatibus, & exactè sciens quid dicendum esset, reperi mentem nolle quicquam parere, atq; ita recessi re infecta, damnatis eius opinionibus, admiratus potentiam eius Qui est, aperientis claudentisq; uulvas animæ. Interdum autem uacuius accedens, plenus repente factus sum, niuis imbrisq; more supernè incidentibus cogitationibus, ut quasi nunc

mine

mine correptus, nec locum agnoscerem, nec presentes.
 nec meipsum & quæ differebam aut scribebam. Certe
 nominis illius interpretatio significat inuentionem &
 usum lucis, uisum acutissimum, euidentiam rerum mani-
 festam, qualis oculis ex clara demonstracione percipitur.
 cæterum quod ostenditur, est illud uisu, spectatu, amore
 dignum bonum perfectũ, quod uim habet animæ quoq;
 amaritudines in dulcedines uertendi, condimentis om-
 nibus & laetitij melius, quo adhibito etiam quæ nutri-
 tiua non sunt, pro salutari cibo in usum ueniunt. Dicit
 enim scriptura, quod ostendit ei dominus lignum, & in-
 iecit in aquam: uidelicet in fluidam, mollem, amarulen-
 tamq; mentē, ut suauior redderetur ac mitior. id lignum
 non modo cibum, sed & immortalitatē pollicetur. Nam
 lignum in medio paradisi plantatũ legimus, bonitatem
 supratam bonis indiuiduis & particularibus, horumq;
 actionibus. nam ipsa medium & potissimum locum in
 anima sortita est. Per uidentem autem sapiens intelligi-
 tur, quandoquidem insipientes aut cæci sunt, aut hebe-
 tes habent oculos. ideo prisci prophetas uocabāt uiden-
 tes. & meditator ille qui aures oculis posthabuerat, au-
 dita cernere cupiens, uisionem consecutus est, quia iam
 auditum transcenderat. iacob enim quod nomen discipuli
 nam significat, mutato charactere in uidentem israelem
 recuditur, atq; ita lucem diuinam aspicit, quæ est scien-
 tia: per quam aperitur oculus animæ, & ad rerum per-
 spicias euidentesq; comprehensiones deducitur. sicut e-
 nim cantus per musicam, & per quamq; artem sua sub-
 iecta concipiuntur, ita per sapientiam sapientes contenti

Philos. to. 1.

N platios

plationes. quæ non solum sicut lux, instrumētum uidendi est, sed seipsam quoq; uidet. hæc in deo solaris splendoris exemplar est, sol uerò imago eius & effigies: ceterum qui indicat omnia, deus solus sapiēs. homines enim quia sapere uidentur, sapientes dicuntur: deus uerò cum sit, minus quàm est prædicatur. maiores enim sunt eius Qui est potētia, quàm ut ullis eloquijs explicari queāt. Commendat autem suam sapientiam nō solum per mundi opificium, sed etiam quia cognitio creaturarum apud ipsum cōsistit certissimè. Legimus enim quod uidit deus omnia quæ fecerat: quod non sic accipitur quasi oculos coniecerit in singula, sed quod cognouerit cuncta, & sua scientia comprehenderit quæcunq; fecerat. Decebat igitur ut ignorantes doceret, commonstraretq; alijs singula, ille solus sapiens, qui nulla iuuatur arte qua homines, sed ipse principium & fons artium sciētiarumq; habetur confessione omnium. Illud uerò cautè dictum apparet, quod in promissione non præsens tempus, sed futurum prædefinitur, dum dicit, non quam ostendo, sed quam ostendam tibi, in testimonium fidei qua hæc anima deo credidit, nō propter representata gratias agēs, sed expectationi futurorum intenta & à spe bona pendens, dubio procul existimans iam facta se habere quæ nondum aderant, potitam perfectō bono, propter fidem pollicentis certissimam. nam iterū dicitur, Credidit Abraham deo. Mosi quoq; cum uniuersam terrā promissam ostendisset, ait: Ostendi quidem oculis tuis, tu tamen non intrabis in eam. Quod haudquaquā intelligendum est de interitu illius sapientissimi, ut quidam inconsiderati

rati suspicantur. Stultum enim fuerit putare seruis po-
 tius quam amicis agros uirtutis diuisos. Sed illud in pri-
 mis docere nos scriptura uult, alium esse locum infan-
 tium, alium maturioris ætatis: quorum alteri nomen est
 meditatio, alteri sapiëntia. deinde res in omni natura pul-
 cherrimas uideri magis quam teneri. teneri enim cum
 sint diuiniore sortis qui possunt? cerni uerò possunt, sed
 non ab omnibus. à solo autem cernuntur purissimo acer-
 rimiq; uisus genere, cui rerum pater ostendēs opera sua,
 maximum hoc largitur beneficium. nam quæ potest esse
 uita præstantior, quam contemplatiua, quæ ratione præ-
 dito conuenientior? Quapropter cum etiam mortalium
 animantium uoces auditus sensu iudicentur, dei uerba
 lucis modo uideri ex diuinis oraculis discimus. dicunt
 enim quòd totus populus uidebat uocem, non audiebat.
 quia nō erat. hic aer plectro lingue percussus, sed splen-
 dor uirtutis lucidissimus, à rationali fonte nihil differēs,
 quod et aliubi significatur hoc modo. Vos uidistis quòd
 ex celo sum locutus ad uos. non dicit audistis, propter
 eandem causam. Interdum tamen à uisis audita, et aspe-
 ctum ab auditu discernit dicens: Vocem uerborum uis
 audistis, nec ullam similitudinem uidistis, nisi uocem. sa-
 tis expresse. Eam enim quæ in nomina, uerba, ceteraq;
 orationis partes secatur, auditam dicit merito. hæc e-
 nim auditu censetur. Eam uerò quæ sine uerbis ac no-
 minibus dei uox est, animæ oculo conspicua, rectè ui-
 sam inducit. Cum enim dixisset, similitudinem non uidi-
 stis, subiicit, nisi uocem quam omnes uidistis. hoc enim
 subauditur. itaq; dei sermones dijudicantur. uisu animæ,

auditu uerò isti qui partiūtur in nominum uerborumq;
 species. cum aut per omnia mirificā scriptor hic præ se
 ferat scientiam, hoc quoq; loco mire nouauit stilum, dis-
 cēs uisam uocem, cum penè nihil sit in nobis aliud quod
 non uideatur, excepta mente. nam quæ ad alios sensus at-
 tinent omnia sunt uisibilia, colores, sapes, uapores, ca-
 lida, frigida, aspera, leuia, dura, molliaq; inquantum sunt
 corpora. Dicam apertius. Sapor uisibilis est, nō inquan-
 tum sapor, sed inquantum corpus. nam inquantum sa-
 por, gustu noscitur. item uapor, inquantum uapor, nari-
 bus examinatur: inquantum corpus, oculis. Idem iudi-
 cium est et de cæteris. Vox autē, nec quatenus auditur,
 nec quatenus corpus est, si tamen est corpus, naturam
 habet uisibilē, sed hæc duo nobis insunt inuisibilia, mens
 & oratio. uerum non est similis noster sonus diuinæ uo-
 cis instrumento. nam noster sermo miscetur aeri, atq; ita
 ad aures locum sibi cognatum refugit. diuinus uerò sin-
 cerus & impermixtus est, effugiens aures propter sub-
 titilitatem, animæ soli repente conspicuus, propter uisum
 ipsius acutissimum. quæ postquam reliquit mortalia,
 primam hanc, sicut iam diximus, à deo gratiam accipit,
 ut res immortales contemplationi suæ subiectas queat
 aspicere. secundam, incrementum uirtutum tam nume-
 ro quàm magnitudine. Dicit enim: Et faciam te in gētem
 magnam: per gentem, multitudinem, per magnam, in-
 crementum in melius significans. Hanc quantitatem u-
 triusq; speciei, tam magnitudine quàm multitudine au-
 ctam, indicat & Aegyptius ille rex: Ecce, inquit, genus
 filiorum Israel, magna multitudo. Vtrumq; adesse testa-
 tur

tur uidenti eum Qui est generi, multitudinem & magnitudinem, habenti uitæ rationisq; bona opera. non enim sicut ordo uerborum poscere uidebatur, multam multitudinem, sed magnam dixit, sciens multam per se imperfectam esse magnitudinem, nisi accedat uis intelligentiæ scientiæq; Quid enim prosunt multæ contemplationes, ni singulæ conueniens incrementum accipiant? nam ne ager quidem probatur, in quo innumeræ plântæ sunt humiles, nulla uerò stirps satis exulta, quæ iam fructum proferre possit. magnitudinis autem multitudinisq; bonorum & initium & finis est indefinens dei memoria, atq; inuocatio superni auxilij contra ciuilem tumultum cum quo semper in hac uita conflictamur. dicit enim: Ecce populus sapiens & sciens, gens & portio hæc. quæ est enim gēs aut portio cui deus sic appropinquat, sicut dominus deus noster quotiescunq; illū inuocauerimus. Ergo liquet esse apud deum potentiam quæ ad opem nobis ferendam excubat, & ipsum rerū principem succurrere his qui digni sunt. Sed qui sunt digni hac gratia? quis dubitet quòd amatores omnes sapientiæ & scientiæ? Hi sunt enim ille sapiens & sciens populus de quo supra dixit, in quo singuli meritò magni sunt, quoniā magna cupiunt, id unum præcipuè, ne unquam disiungātur à deo maximo, sed accessum eius propinantis cōstanter et sine metu suscipiant. hæc est uisio magni dei, cum quis aut illū accedit, aut aduentum eius excipit. Mundus sanè et mundi ciuis sapiens, multis ac magnis bonis plenus est. cetera uerò turba hominum sæpius malis quàm bonis utitur, rarum enim bonum est in uita confusa & tumultu-

tharia, quapropter in oraculis canitur: Non quia gentes omnes superatis multitudine, sed quia dominus uos diligit. nam si cui libeat turbam unius animæ tanquam gentes distribuere, multos inueniet turbatos ordines, quibus præ sunt uoluptates, concupiscentiæ, dolores, timores, item insipientiæ, iniquitates, & harum cognatæ germanæq; ceteræ: unum uerò solum bene instructum, qui à ratione ducitur. Et apud homines quidem iniusta multitudo pluris quàm unus iustus æstimatur, apud deum uerò bonitas rara præfertur iniquis innumeris, idcò denunciat ne quis unquam faucat tali multitudi-
 ni. Non eris, inquit, socius multorum in malitia. Quid si paucorum? imò ne unius quidem mali. nam malus uel unus, multiplex est uitij, cuius societas damnum affert maximum: præstat resistere talibus, & fortiter cum eis bellum gerere. Si, inquit, profectus in militiam contra hostes tuos uideris equum, superbum, petulantem effrenumq; affectum, & ascensorem insidentem ei mentem affectibus deditam: & populum numerosiore te, sectatores modo dictorum condensatæ phalangis more in te ruentes: caue timeas tibi ab eis. nam unus cum sis, auxiliarium habebis unum illum rectorem uniuersorum, quoniam dominus deus tuus tecum est. huius enim accessio bella profligat, pacem instaurat, multa iniueterata mala subuertit, rarum & deo carum genus conseruat: quem dominum quisquis agnoscit, odit exaceraturq; cateruas terrenorum hominum. Præceptum est enim, quæcunq; multos pedes habent inter omnia reptilia terræ nolite comedere, quia sunt abominanda.

Non

Non est tamen abominabilis anima quæ unâ sui parte
 repit in terra, sed quæ omnibus aut plurimis, hærens ue
 stigijs corporis, nec ualens ad diuinos cæli cursus caput
 attollere. atqui sicut multipedes, ita pedibus carentes re
 ptiles bestiolæ damnantur, illæ propter causam iam di
 ctam, hæ quia totæ humi iacent, et ne minimum quidem
 attolluntur ab ea. ait enim, omne quod super uentrem
 graditur impurum esse, subindicans deditos uentris uo
 luptatibus. nonnulli autem his nequiores, non contenti
 solius concupiscentiæ genere, acquisiuerunt insuper ger
 manum eius affectum iracundiam, ut confirmatis brutis
 animæ partibus, mentem omnino delerent. quod enim
 uerbis de serpente dictum est, reuera de quouis bruto et
 affectibus dedito homine diuinum est oraculum. Super
 pectus & uentrem ingredieris. nam circa pectus ira est,
 in uentre concupiscētia. ceterum insipiens super utraq;
 semper ingreditur iram & concupiscentiam, nunquam
 cessando ex quo aurigam ac præsidem rationem reiecit.
 alius ediuerso iram & concupiscentiam extirpat, dei
 uerbo se gubernandum committens, sicut & Moses ille
 deo carissimus, qui quoties animi holocaustomata immo
 lat, uentrem quidem eluit, id est totam concupiscentiæ
 speciem repurgat: pectusculam autem de ariete conse
 crationis aufert, omnem iram pacis inimicam, ut relictæ
 qua animæ pars potior, uidelicet rationalis, nulla re di
 strahente, ingenuis oculis intueri possit omnium rerum
 bonarum pulchritudinem. sic enim & numero & ma
 gnitudine augebitur. Scriptum est enim: Quousq; exa
 sperabit me iste populus? quousq; nō credēt mihi meisq;

prodigijs quæ feci inter eos: percutiā eos morte & perdam eos: & faciam te domumq; tui patris in gentem maiorem frequentioremq; hac. deletō enim ex anima uulgo irarum ac concupiscentiarum, omnino partes eius rationales assurgent & uires recipient. Quemadmodum autem multipedum & pedibus carentium reptilium genera cum sint contraria inter impura censentur: sic opinioniones nullum deum aut multos credentium, quamuis contrariæ, sunt ex æquo profanæ. argumento est, quod utranq; lex arcet à sacro cœtu, ei qui deum negat, ut spādoni castrato interdicens cōcione. multorum uerò deorum assertorem, ut è scorto natum uetans pro concione uel audire quicquam uel dicere. deum enim negans strilis est: multos uerò deos asserēs, è scorto natus, circa uerum parentem cæcutiens, & ideo multos pro uno genitores sibi adoptans. Duo dona dei iam dixi, spem uitæ contemplatiuæ, & incrementum multitudinis bonorum ac magnitudinis: tertium autem est benedictio, sine qua non possunt confirmari priores gratiæ. dicit enim: Et benedicam tibi. εὐλογῶ, id est, laudatum sermonem dabo. nam illud Bene omnino uirtutem significat. Sermo autem alius fonti, alius riuo est similis: fonti qui mente concipitur, riuo qui per os linguamq; profluit. Vtranq; hanc speciem in melius proficere, magnæ sunt diuitiæ: dum mens ratione bona in magnis ac paruis rebus utitur, sermo uerò à recta institutione regitur. multi enim excogitant quidem optima, sed à malo interprete sermone destituuntur, imperiti musicæ unius ex liberalib. artibus. alij contrā facundia pollentes, nihil ualent consilio,

ut

ut sophistæ quos uocant. horum enim mens nec contentum habet nec musicam, sed quoties res plectro uocis agenda est, nihil his eruditius. at deus nihil suis largitur imperfectum, sed plena & absoluta omnia. quapropter hæc quoq; benedictio integrum non dimidiatum sermo nem confert, ut qui dignus habetur tam insigni beneficio, & excogitare ualeat quæ sunt optima, & excogitata enunciare. nam perfectio uidetur ex utroq; consistere, inuentione sincera, & inoffensa elocutione. Annon uides Abelem, quod nomen est mortalia lugentis, laudatis immortalia, quam bona mente fuerit præditus? qui tamen quia non satis exercitatus in dicendo fuerat, uictus est ab aduersario magis arte quam uiribus. ideo cæteram eius naturæ felicitatem suspicio, hoc unum in eo reprehendo, quod prouocatus in certamen uerborum descendit, cum debuisset perstare in consuetis moribus, contempto prouocatore, quod si omnino concertatio placebat, debuerrat tantisper abstinere à puluere, donec artes luctandi perdisceret. nam rusticanam sapientiam urbana elegantia plerunq; solet uincere. quapropter & Moses ille sapientissimus uetatur quidem cum eloquentib; & disertis congregari, postquam ei diuinus splendor affulgere cœperat per immortales sermones sapientiæ scientiæq; permittitur tamen ad uisendos eos ire, non ut fieret doctior aut rerum peritior: nam contemplatiuo homini sufficit dei & sanctarum eius potentiarum inquisitio: sed ut palman referret de sophistis Aegyptiacis, qui pluris faciunt arte confictas ad persuadendum fabulas, quam ueritatem euidentiissimam. Ergo cum mens uersatur in Omnipotentis

N 5 negocijs

negocijs, non opus habet externis auxilijs. nam intelligi-
 bilia solus intellectus cernit acutissimè. quod si quando
 se confert ad sensum, aut affectum, aut corpus, quæ per
 Aegyptum significantur, indigebit dicendi quoq; arte
 ac facultate. quamobrem ducere secum Aaronem iube-
 tur, hoc est eloquentiam. Nõne, inquit, habes Aaronem
 fratrẽ tuum? nam cum rationalis natura una mater am-
 borum sit, natos ex ea fratres intelligo, quicquid illa
 proloquitur. mentis enim est concipere, elocutionis ue-
 rò proferre. Is, inquit, loquetur pro te. cum enim mens
 suas cogitationes uult depromere, propinquo suo ser-
 mone utitur interprete, ad affectus suos exprimendos.
 Deinde sequitur: Ecce ipse occurret tibi obuiã. Siquidẽ
 reuera sermo cogitationib. occurrit, & addens ei uerba
 nominaq; format eas, quæ nullã antea formã habuerãt.
 Et uiso te, inquit, gaudebit in seipso. Gaudet enim sermo
 & fit alacrior, quãdo conceptus animi nõ est obscurus:
 quo prælucẽte decurrit expeditè, proprijs, aptis, egre-
 giè significatiuis uocabulis affluens. quod si quando co-
 gitationes non satis certæ sunt, per inane graditur, & se-
 penumero collabitur grauitè, ut nequeat se amplius eri-
 gere. Et alloqueris cū, & dabis uerba mea in os ipsius.
 Ac si diceret: Suggestes ei talia cogitata, qualia nihil à
 uerbis & eloquijs dei differũt. nam absq; monitore ser-
 mo nõ sonabit. monitor aut sermonis, mēs est, sicut men-
 tem deus cõmouet. Et ipse tibi alloquetur populũ, et ipse
 erit pro ore tibi. tu uerò apud deũ ages eius negocia. Sa-
 tis disertè dixit, alloquetur tibi, id est, tuus iterpres erit.
 itẽ illud, Ero tibi pro ore. nã per linguã et os sermo pro-
 fluit

fluit secū cogitata proferens. Verū sermo interpres mentis est apud homines, sermonis uerò mens apud deum. tūc enim cogitatio legatione fungitur, quam solus deus introspicit. necesse est igitur ut cui certamen sophisticū imminet, sic eloquentiæ det operam, ut nō solum aduersariorum petitiones declinet, sed uicissim in eos coortus tum arte uincat tum uiribus. Annon uides incantatores & ueneficos arte cum dei uerbo pugnare, & conari similia, non tam ut suam scientiam reddant celebrē, quā ut illudant alijs? nam uirgas in dracones transformant, aquas in cruentum colorem uertunt, ranarum reliquias trahunt in terram incātationibus: quæ omnia miseri cumulant in suam perniciem, & decipiuntur dū se putant decipere. Hos putas sustineri potuisse, ni mentis interpres sermo, cui nomen Aaron, præparatus fuisset? qui nunc quidem orator dicitur, mox autem uates uocabitur, quando & mens iam augustior deus appellabitur. Do te, inquit, deū Pharaoni, & Aaron frater tuus erit tuus propheta. ô consequentiam aptissimam. nam quod uoluntatē dei nobis prædicat, propheticum est genus, quod afflatū diuinitus & agitur et sedatur. eam ob rē Aaronis uirga deglutijt uirgas illorum, ut docet scriptura. Euanescent enim & absorbētur à uario naturæ artificio sermones omnes sophistici, ut fateri cogantur adesse dei digitū: ac si dicerent, scripturam diuinam, quæ asseuerat semper sophisticam uinci à sapiētia. nā digito dei tabulas etiam, in quibus insculpta fuerant oracula, scriptas narrāt sacra eloquia. ideo nō possunt amplius uenefici corā Mose subsistere: sed cadūt tanquā in certamine

diciecli

deiecti robore aduersarij. Sed quod est illud quartū dō-
num? Magnitudo nominis. Ait enim: Magnum faciā no-
men tuum, id equidem sic intelligo. Sicut bonum ac ho-
nestum esse, ita et uideri prodest, est quidē ueritas opi-
nionē melior: utramq; tamē sua bona fortuna sequitur.
multi enim nec fucati nec simulati cultores uirtutis, ca-
pti eius natiua pulchritudine, neglectis uulgi rumuscu-
lis, petiti sunt insidijs, pro malis habiti, cū reuera boni
fuerint. ceterum existimatio tum demum prodest, quā
do ex re nascitur, sicut experimur in corporibus. Nam
etiamsi omnes homines egrotum bene ualere, aut sanū
egrotare crederent, sola opinio nec morbum nec sanita-
tem efficeret. at cui deus utrumq; concessit, ut bonus ac
honestus et sit et uideatur, hic uere beatus est, et uerē
uir magni nominis. Nec est negligenda bona fama, res
in omni uita utilissima. ea contingit propemodum omni-
bus, qui præsens rebus contenti nihil mouent ex in-
stitutis maiorum, sed diligenter conseruare student pa-
triam formam reipublicæ. Sunt enim quidam qui dū pu-
tant scriptas leges esse figuras intelligibilium, his dilige-
ter dant operam, illas facile negligunt, quorum mihi nō
placet facilitas. debuerant enim utraq; curare, ut et ob-
scura quærerent accurate, et manifesta seruarent dili-
genter, nunc quasi degerent uitam in solitudine, aut ex-
uti essent corporibus, nec ullam ciuitatem, aut castellū,
aut domum, aut sodalitatem hominum scirent, placita
multitudinis conuellendo, ueritatem ita ut est nudā scu-
tantur: quos sacra scriptura docet bonam persuasionē
non negligere, et à diuinis maiorum institutis nequa-
quam

quam recedere. Quamvis enim septimus dies potentiā illius Ingeniti, creaturarum autem otium significet, non tamen leges de eo præscriptæ soluendæ sunt, ut ignē accendamus, agros colamus, baiulemus onera, lites exerceamus & iudicia, depositum repetamus, usuras exigamus, & alia faciamus quæ festis diebus non licet agere. nec ideo quia festum hilaritatem animæ & erga deum gratitudinem significat, ideo reiiciendæ sunt solennes celebritates: nec quia circumcisio docet uoluptatum affectuumq; omnium excisionem, & insuper opinionū impiarum, quæ menti persuadent quòd possit ex seipsa gignere, ideo debet antiquari lex lata de circūcisione: alioquin & sacræ ceremoniæ, et alia multa negligēda sunt, si exclusis figuris sola harum significata recipiētur. præstat hæc tanquam animam, illa tanquam corpus censeri. Itaq; sicut corpus curamus ut animæ domicilium, sic scriptæ leges curandæ sunt. nam his seruatis apertius noscentur earum significata, & eadem opera licebit multorum incusationes ac reprehensiones effugere. Videntur etiam Abraham docet sapienti magna paruaq; bona adesse, dum magna uocat substantiam, quorum hereditatem soli tradit legitimo filio: parua uero munera, quibus natos è concubinis dignatur. illa nobis leges naturales, hæc ciuiles referūt. Proinde uirtutem Liæ ueneror, quæ post natum sibi Aser, qui sensibiles & adulterinas diuitias significat, dicit: Beata ego, quia mactam me dicent mulieres. Recte enim coniecit, quæ postulat nō solum uere masculis ac uirilibus celebrari laudibus eorū qui integram incorruptamq; naturam honorāt: sed etiā formi-

fœmineis eorum, qui trahuntur & uincuntur à rebus istis uisibilibus, nihil præterea ualentes intellectu percipere. est enim officium perfectæ animæ, ut & esse & uideri uelit: utq; studeat se approbare non tantum uirorū oculis, sed etiam mulierum conclauibus. quamobrē Moses sacrorum operum apparatus non solis uiris faciendum commisit, uerum & mulieribus. nam hæ telas omnes hyacinthinas, purpureas, coccinas, byssinas, cilicinas, conficiunt, hæ suum mundum conferunt alacriter, sigilla, in aures, anulos, dextralia, cincinnos, omnem auream materiam, emendo pietatem ornatu corporis. nec hoc contentæ, specula sua consecrant ut inde labrū conflatur: ut sacrifici dū manus pedesq; abluunt, id est opera quibus insistit animus, se ipsos speculentur admoniti à speculis ex quibus labrum factum est: atq; ita nullā turpitudinem relinquunt in anima. itaq; sobrietatis ac tolerantie donarium dedicant, omnium anathematū sacratissimum & absolutissimum. hæc urbanæ ciuilesq; mulieres, sensus uidelicet, à quibus honorari Lia postulat. At illæ quæ accendunt ignem in mente misera, externæ sunt. Legitur enim quòd & mulieres insuper accenderunt ignem in Moab. Sic & insipientis sensus singuli accensi à sensibilibus mentem exurunt, ingentem flammā excitando cum impetu uehementissimo. Optimum igitur fuerit placare mulierum ordinem in anima, id est, sensuū, sicut & uirorū, id est, rationū particularium. sic enim melius & rectius uitā instituemus. Propterea ille quoq; à seipso doctus Isaac optat amatori sapientiæ tam sensibilia bona q̃ intelligibilia. dicit enim: Det tibi deus

de

de rore cæli et de pinguedine terræ. ac si dicat: primum cōtinua te intelligibili cælestiq; irriget pluuiæ, nō larga ut inundet, sed sensum leniterq; modo roris descēdente, ut possit. deinde sensibiles terrenasq; diuitias largiatur uberes, depulsa cōtraria paupertate animæ eiusq; patitiū. Quod si & summū sacerdotem rationē examines, inuenies eū consentire, & uestitū eius sacrum uarięgatū intelligibilibus sensibilibusq; potētij: cuius cætera prolixiore opus habent enarratione q̄ ut præsenti tempore conueniant: tantum extrema examinabo circa pedes et caput. Ergo in capite est lamina ex auro piro, et in hac expressum sanctum nomen domini: ad pedes autē in simbria tintinnabula & flosculi. sed ille typus laminæ idea est idearum, iuxta quā deus mundū expressit, ipsa intelligibilis & incorporea. flosculi uero & tintinnabula, signa sunt qualitātū sensibiliū, quas uisus & auditus iudicant. Valde autē accurate subdit, quod audietur sonus eius intrantis in sancta: ut quando ad intelligibiles, diuinas, uereq; sanctas res intrat anima, sensus quoq; à uirtute adiuti consonent: & omnia ex quibus constamus, tanquā frequens ac modulatus chorus, ex diuersis uocibus tēperatus, unum carmen apte concinant, intelligentijs intus præcinētibus, quādo in hoc choro principatū tenent intelligibilia: sensib. aut succinentibus & respondētibus, qui singulis choreas ducentib. sunt similes. in uniuersum enim uictus, uestitus, cōhabitatio, ut lex ait, tria hæc debentur animæ, quibus non est fraudanda. Victus sunt bona intelligibilia, in quib. ratio naturæ sequenda est. uestitus uerō, quæ ad externū ornatū uite pertinet.

coha

cohabitatio uerò, est in utraq; iam dicta specie assidua meditatio: ut qualia sunt occulta intelligibilia, talia sensibilia quoq; appareāt. Est igitur quintum donum, quo solum & nudum esse conceditur. id memoratur postremum, non ut uilius quàm præcedentia, sed ut eminentissimum inter omnia. quæ enim potest esse maior benedictio, quàm si quis non fecte sed uere bonus sit? Eris, inquit, benedictione dignus, non solum benedictus. nam hoc posterius pendet à uulgi opinionibus & rumoribus, illud ueræ laudis est. sicut enim laudabilis laudato est melior, & uituperabilis uituperato deterior: quod alterum de re, alterum de opinione dicatur, nature autem ueritas opinione sit certior: ita benedici ab hominibus, id est laudibus eorum celebrari, minus est quàm illam benedictionem promereri etiam silētibus omnibus, quod εὐλογητὸν dicitur in oraculis. Hæc sunt bona quæ futuro sapienti donantur. quid autem & alijs donet deus propter sapientem, deinceps uideamus. Benedicam, inquit, benedicientibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi.] Hæc in honorem uiri boni fieri liquet omnibus. sed non ideo tantum commemorantur, uerum etiā propter aptam rerum consequentiam. nam bonum & qui laudat est laudabilis, & qui uituperat est uituperabilis. laudi autem & uituperio nō tam loquentes scribētesq; fidem astruunt, quàm ipsa rei ueritas. itaq; nec laudare nec uituperare uidentur, qui in alterutro aliquid admittuntur de suo. Annon uides istos adulatores, qui tā noctu quàm interdiu permulcent aures suis regibus, nec tantum applaudunt dictis eorū singulis, sed & prolixis
cos

eos ornant laudibus, quos tamen execrantur taciti, quā-
 tumvis fausta ominādo propalam. Quid igitur aliquis
 in mente sanus diceret? nonne inimicos magis quā-
 m amicos uideri hos, & uituperatores magis quā-
 m laudato-
 res, etiam si dramata integra encomiorū accinant? qua-
 propter uanus ille Balaam, quamuis hymnos egregios
 in deum cecinit, & in his illi, Non est sicut homo deus,
 canticorum omnium sanctissimum, plurimis item laudi-
 bus Israelē ornauit: tamen impius & execratus à sa-
 piente legislatore uocatur, & irrita censetur eius male-
 dictio. ait enim eum mercede conductum ab hostib. pro-
 fectum malo animo, & cum mente concepisset execra-
 tiones grauissimas contra carum deo populum, ore lin-
 gua q; precatum præclara uaticinia. Hæc enim ei deus
 fautor bonorum dictabat, cogitanti pessima, & malitio-
 so proposito consentanea. Sic enim testatur oraculum:
 Non permisit, inquit, deus Balaamum tibi maledicere;
 sed uertit execrationes eius in fausta omnia. Atqui nihil
 nisi bonum eis imprecatus est. Sed inspector animæ pe-
 netralium, cui soli aperta sunt quæ creaturæ latent, con-
 tra occulta fert sententiam, testis certissimus & iudex
 idem incorruptissimus: quandoquidem ediuerso probā-
 tur qui accusando & obiurgādo in speciem, bene optāt
 & precantur intus in animo. qui mos est castigantium;
 pædagogorum, præceptorum, parentum, seniorum, le-
 gum, magistratuum. nam id genius omne nunc obiurgā-
 do, nunc castigando etiam, emendant pertinentes ad suā
 disciplinam animas. nemo enim horū suis inimicus est;
 sed omnes beneuoli, sincerorum autem & minime fued-
 Philo. to. i. O torum

torū amicorū officiū est, loqui libere sine maleuolentia. Ergo quod ad uota benedictionesq; attinet, aut ad male dicta execrationesq;, nō oratio sed mens spectari debet, ex qua ceu fonte utraq; species dictorū aestimatur. hæc sunt prima quæ alijs propter bonū uirū contingere dicuntur, qui eū uel laude uotisq;, uel maledictis et execratione prosequuntur. quod autē sequitur est maximum, etiā illis cessantibus, nullam partē rationalis naturæ relinqui expertē beneficentiæ: quia benedicentur in te omnes tribus terræ. quod dogma est certissimū. nam quam diu mens sana & integra permanet, oēs eius familiares, tribus, potentiæ uē sanæ sunt, uisus, auditus, sensusq; cæteri, sicut & illæ quæ ad uoluptates concupiscentiasq; pertinent, & quæ ex perturbationibus in tranquillitatē redactæ meliorē formam accipiunt. cōpertum enim est ad famīlias, ciuitates, regiones, nationes, atq; etiā tractus terrarum longe lateq; patentes, ex unius uiri probitate nonnunquā magna peruenisse cōmoda & felicitates amplissimas, præcipue quando quis cum bona mente accipit diuinitus inuictā potentiam: sicut cū musico et cui cunq; artifice musica uel cuiuscūq; artis instrumēta suppetunt, aut igni lignorū materia. nam reuera fulcrū generis humani iustus est, suas dotes cōmunicans & in publicum usum conferens. idē quicquid apud seipsum non inuenit, à deo solo ditissimo postulat. at ille aperto cælesti prōptuario, uiuis imbrisq; in morē bona depluit affatim, ut inde oēs terrene lacunæ restagnent. Hæc autē supplicationibus sui uerbi permotus largiri solet. Dicitur enim aliubi Mose supplicāte: Propitius eis sum iuxta preces

tes tuas. quod uidetur perinde esse ac si diceret, Benedi-
centur in te oēs tribus terræ. quamobrē & ille sapiens
Abraham expertus per omnia dei benignitatē, credidit
quod etiam si delerentur cætera omnia, si modo paruæ
reliquiæ uirtutis tanquam scintilla seruata fuerint, ob
has ipsas etiam illa misericordiā consecutura sint, ut col-
lapsa resurgeret & extincta reuiuisceret. scintilla enim
uel exigua fumigans, si afflata fuerit, magnum excitat
incēdium. sic & minimum quiddam ex uirtute reliquū,
quando bona spe refotum excandescit, & oculos prius
conniuentes cæcosq; illustrat, & uiriditatē reddit aren-
tibus, & quæ prius per ignorantia sterilia fuerāt, ad fer-
cunditatem reducit. adeo rarum bonum benignitate dei
diffunditur, dum cætera uertit in sui similitudinē. Ore-
mus igitur ut ceu columna in domo, mēs in anima, in hu-
mano uerē genere homo iustus, permaneat ad calamita-
tū remediū. nam hoc incolumi de publica salute desperā-
dū non est: per quē opinor seruator deus præsentissimā
medicinā propitiā suam potentiā supplicibus cultori-
bus suis porrigit, utendam ad salutem ægotātium, quæ
oblinantur animæ vulnera, inflicta per ignorantie, in-
iustitiæ, & plurimorum aliorum uitiorū aciem. Exem-
plum extat in Noe iusto, qui ingenti diluuio deuoratis
tot partibus animæ, fortiter supernatans fluctib. euasit
omni clade superior: & seruatus amplas pulchrasq; ra-
dices ex se emisit, ex quibus tanquam planta enatum est
genus sapiens, quod mites partus progerminans tripli-
cē Israeliticū fructū attulit, mēsuras æui, Abrahā, Isaac,
& Iacob. Est enim & erit & fuit in rebus uirtus, quam

temporum difficultas fortassis obscurat interdum in hominibus, emergit tamen illa denuo, deo dante feliciora secula: quando & Sarra, id est prudentia parit masculum, non annis florens aut ætate, sed uigore illo nullis temporum iniurijs obnoxio. dicitur enim: Reuertens ueniā ad te eodem anni tēpore, & habebit filium Sarra uxor tua. Haftenus de donis quæ deus uel perfectis uiris largitur, uel propter eos alijs. deinceps narratur, quod profectus est Abraham sicut locutus est ei dominus.] Hic autem est ille finis qui à præstantissimis philosophis celebratur, uidelicet iuxta naturam uiuere. id fit quando mens ingressa uirtutis semitam, incedit per rectæ rationis uestigia, & deum sequitur memor eius præceptorū, habens carata dictis factisq; omnibus. Profectus enim est sicut locutus est ei dominus. id uerò idem est quod, si cut loquitur deus. loquitur autem pulcherrime & laudabiliter. nec aliter uir bonus facit singula, callem uite irreprehensibiliter dirigens, adeo ut opera sapientis nihil differant à diuinis eloquijs. proinde aliubi ait: Fecit Abraham uniuersam legem meā. Lex porrò nihil aliud est proculdubio, quàm diuinum eloquiū, faciēda præcipiens, uitanda prohibens: sicut testatur qui dicit quòd desumpsit legem ex uerbis ipsius dei. Quod si dei uerbū est lex, & uir bonus ex præscripto legis agit, ergo facit quod dei uerbum imperat. unde sequitur, dei uerba opera esse sapientis. Finis igitur est iuxta Mosē sacratissimum, sequi deum, sicut & aliubi dicit: Post dominum deum tuum ambulabis, sed non motis pedibus, hominī enim terra est pro uehiculo: deo uerò ne mundus quidē

uniuers

uniuersus. Proinde per allegoriam docere uidetur animam ut sequatur diuina placita, quæ referuntur ad summi autoris honorem. nec hoc cōtentus quo magis accendat honestatis desiderium, hortatur ut ei adglutinetur. ait enim, Dominum deum tuum timebis, & eum solum coles, & adglutinaberis ad eum. Quo glutine? quo? nimirum pietate ac fiducia. nam his uirtutib. mortalis natura cum immortalī unitur & coaptatur. nam & Abraham postquam credidit propinquus deo dicitur. Sed in hoc itinere si quis nec lassetur genibus, nec per socordiā ad utrumuis latus aberret, incedēs per uiam mediam, et bonos cursores imitans: inoffense decurret per uitæ stadium, moxq; ad finem delatus coronas accipiet ac digna præmia, nisi fortè non sunt coronæ ac præmia, non laborasse frustra, sed pertigisse ad prudentiæ finem arduum. Quis est igitur finis rectè sapiendi? seipsum & omnem creaturam damnare stultitiæ. nam agnoscere suam ignorantiam, finis est scientiæ, cum unus solus sit sapiens qui solus deus est; ideo pulcherrimè Moses inducit eum & patrem omnium rerū & iudicem dicens: Vidit deus omnia quæcunq; fecerat, & ecce bona ualde. Nemini enim licebat totam creaturā diligenter perspicere, nisi ei qui creauerat. Adeste nunc uos qui fastu, ignorantia, arrogantiaq; turgidi sapientes uobis uidemini, aientes uos nō solum certo scire singula, sed & causas eorum audere redde, tāquam mundi creationi interfueritis spectatores, & opifici res singulas disponēti fueritis à consilijs. omitte cætera simul omnia, uosipso potius cognoscite, & quinā suis certo pronūciate, siue spectetur corpus, siue

anima: seu sensus, seu ratio. unū saltem non magnū declarate, quid sit uisus, & quomodo uideatis. quid auditus, & quomodo audiatis. quid gustus, tactus, odoratus, & quomodo exerceatis hæc singula. aut quinam sint horū fontes, unde manat corū essentia. nolo enim ut lunā, solem, ceteraq; mundana & celestia lōge remota, de quorū præcellenti natura homines uani sublimes affertis fabulas, prius q̄ ipsos discatis & scrutemini. nā hoc factum demū fortasse credetur etiam de alijs differentibus. nisi autē quinam ipsi sitis doceatis, ne putetis uos testes aut iudices certos fore de alijs. Hæc cum ita se habeant, mens initiata pendit uectigal perfectō deo iuxta sacras litteras. lex enim tributū est dōmini. Quando igitur pendit: quando ad locū quem indicauit ei dominus die tertia peruenit, præteritis plerisq; partibus spatiorum temporalium, & iam transit ad naturā expertem tēporis. tūc enim etiam dilectū filium sacrificabit, non hominem: nō est enim puericida uir sapiens: sed animæ uirtutib. refertæ foetum masculinū, fructum ex ipsa germinātem, quā ipsa nescit quomodo facta sit grauidā, diuinā progeniem, ex uisione dei ut opina:ur conceptā: quod quomodo sibi acciderit, ipsa ignorare se fatetur dicens, *Quis nūciabit Abrahamo, quasi uiu credenti ortū docti sine præceptore generis, quod Sarre lactat puer, non à Sarra lactatur. quod enim à seipso docetur, nutritur à nemi ne. sed nutrimentū est aliorū, ut idoneū ad docendū, nec opus habens discere. Peperi enim filiū, nō ut Aegyptiæ mulieres uigore corporis, sed ut Hebrææ animæ, in senectute mea. quando quicquid est sensibile ac mortale*
mar=

marcescit repubescunt aut intelligibilia & immortalia; quæ ueneratione honoreq; digna sunt. & peperit absq; obstetricis opera. parimus enim uel prius q̃ ulla humana industria scientiaq; ad nos ueniat, absq; cōsuetis adiumentis, quoties deus probos fœtus seminat gignitq;, qui largitori suo meritò iuxta legē de gratitudineredditur: ait enim: Dona mea, munera mea, sacrificia mea, ea curate offerri mihi. Hic est finis uiæ sequētium uerba & opera legitima, & incedentium qua deus deducit. quisquis autem in ea deficit, ab esuriente auidoq; uoluptatum & liguritore affectuum Amalec, qui interpretatur populus elingens, excidetur. Narrant aut oracula, hunc esse insidiatorem. nam quando uidet traiecisse robur potentiarum animæ, cooritur ex insidijs, & defessos cedit in ultimo agmine. est autem lassitudo alia facile succumbēs per debilitatē rationis nō ualentis labores oneraq; perferre quæ uirtus postulat, quales in extremo agmine deprehenso opprimuntur absq; negotio. alia uerò honesti laboris patiens, & quæ bona sunt omnia fortiter perferens, quicquid autem uile etiam si leuissimū baiulare dedignans, & abiciens ut sarcinam grauissimā. idē uirtutem lex apto nomine Liam appellat, quæ interpretatur fatigatio: quia malorū hominū uitam onerosam ac grauem, suapte natura fatigationē asferre arbitrata, ne aspere quidē dignatur, deflectēs ad illū solū pulchrū oculos. Debet autem curare mens, ut nō modo indefessa & intenta sequatur deum, uerum etiam per callem rectum incedat, nec ad dextra declinans, nec ad læua, in quibus terrenus Edom stabulatur, nunc abundans & copiosus:

nunc inops & egenus. Satius est enim per uiam mediam incedere uere dictam regiam, quam ille magnus & solus rex deus muniuit in usum animarum uirtutis studium. Quapropter quidam qui mansuetam socialemq; colunt philosophiam, mediocritates uirtutes dicunt esse, quas in confinio locant: quoniam arrogantia plena iactantia uitium est, & affectata humilitas contemptui sit obnoxia: medium uero temperamentum merito habetur perutile. Illud autem, Abijt cum Lot, quid sibi uelit considerandum. Lot interpretatur declinatio. Flectitur autem mens, nunc bonum, nunc malum auersando: quod utrumq; interdum in uno & eodem uidere licet. Sunt enim quidam dubitatores ambigui ad utrumq; declinantes parietem, ut nauis uentis iactata contrarijs nutantes, & tanquam in bilance susq; deq; uacillantes, nec ualentes consistere: quorum ne ad meliora quidem conuersio laudem meretur, ut quæ impetu quodam fit, non ex animi sententia. In horum numero Lot quoq; cēseri debet, spectator quidam, qui nunc narratur peregre profectus cum amatore sapientiæ. Decebat autem ut sicut cœperat pergeret, ignorantiam dedisceret, nec cursum ad eam denuo reflecteret. Verum non ideo comes fit, ut melioris imitatione proficiat, sed ut & illi sit impedimentum ac remora, utq; deducat eum in lubrica. id argumento hoc colligitur, quod alter in morbum pristinum recidens captiuus abducetur ab hostibus animæ: alter cauēs sibi ab eius insidijs, modis omnibus ut separetur dabit operam. quæ separatio non mox fiet sed postea. nunc enim contemplationes eius ut tum primum incipiētis res diuinas

diuinas considerare, debiles sunt & instabiles: ubi uerò confirmatæ fuerint, poterit illecebras & assentationes: ut rem infestam & suapte ingenio cauere difficilem, à se seiungere. Hoc est enim illud accidens animæ, quod non facile excutitur, impediens eam ne celeri cursu ad uirtutem properet. Idem etiam quando Aegyptum reliquimus, id est, uniuersam regionem corporis, & ut affectus dedisceremus, secuti sumus Mosis prophetica monita, à tergo inherens remorabatur nostrum exitum, properantes retardans præ inuidia. narratur enim quod promiscua turba multa unà cum eis ascendebat, oues bouesq; & iumentorum ingens numerus.] Hæc promiscua turba, ut uerum fateamur, nihil aliud erat quàm animæ bruta dogmata. & ualde aptè mali uiri anima promiscua uocatur. Cum enim sit colluuius quædam opinionum inter se pugnantium, una licet in uarietates scinditur innumeras. ideò non solum promiscua turba, sed & multa dicitur. nam qui unum solum spectat, simplex, sincerus, & uerè leuis est. qui uerò multos fines uitæ habet propositos, multus, promiscuus, & reuera inæqualis ac asper est. Quamobrem oracula meditatorem uirtutis Iacob nitida cute introducunt, hispidum autem Esau deditum turpibus studijs, propter istam promiscuam & inæqualem turbam, conflata è conuenis & miscellaneis opinionibus. Sic factum est ut mens quæ potuerat præperato itinere corpoream regionem Aegyptum effugere, & uirtutis hereditatem assequi triduo, adiuta triplici lumine, memoria præteritorum, manifesta ui præsentium, & spe futurorum, per annorum quadraginta spa-

cium longissimum atteretur, per ambages errans propter morum uarietatem, cum debuisset per compendiariam rectamq; uiam iter facere. Hæc est quæ non solum gaudet paucis aliquot concupiscentijs, sed nullam omnino præterire dignatur, ut uagetur per omnes totius eius generis species. Dicitur enim de istis admixticijs, quod in genere concupiscentia laborabant, non una quapiam eius specie. Et sedentes flebant. Intelligit enim mens se parum proficere, & quando nõ potest quæ cupit assequi, lacrymatur ac gemit. Atqui gaudere debuerat quod in morbis affectibusq; successum non haberet, & pro magna felicitate ducere in his penuriam egestatemq; attamen etiam uirtutis sodalibus interdum contingit lacrymari & languere, uel præ compassionem in calamitatibus insipientium quibus tanguntur ut eiusdem nature participes, uel præ gaudio. id sit quoties confertim bona inexpectata more imbris inundant. Vnde mihi uidetur natum illud poeticum, δανυρόν γελάσασα, id est, subridens oculos lacrymis suffusa nitenteis. Cum enim incidit in animam ob insperatam aliquam felicitatem ingens letitia, noua quadam mole auget eam, ut uix capiatur à corpore. ex qua cõpressionem manat liquor nominatus lacryma, de quo in hymnis canitur, Cibabis nos pane inbuto lacrymis. et, Verse sunt mihi lacrymæ in panẽ interdiu noctuq;. Sũt enim mētis cibum lacrymæ natæ ex bene affecto risu & honesto, quando colliquante diuino desiderio lamentum creaturæ in hymnũ illius increati uertitur. Sunt tamen qui istam promiscuam & inaequalem turbam excludunt à se ac separant, quippe qui gaudent

soliis

*soliis deo caræ gentis consuetudine. alij cum illa quoq;
 fœdus ineunt, quærentes uitæ compendium, & humanarum
 diuinarumq; uirtutum facientes confinium, in quo
 utrisq; affines sint, tum his quæ uerè sunt, tum his quæ
 esse existimantur. In hac opinione etiam reipublicæ ad-
 ministrator est, qui Ioseph nominari solet, quem in pa-
 ternis exequijs deducunt omnes serui Pharaonis, & se-
 niores aulici, & omnes seniores Aegypti, & uniuerſa
 ipsius Ioseph familia, & fratres eius cum omnib. patris
 domesticis. Vides ut mediū inter Pharaonis paternamq;
 familiam ordinem hic uir ciuilis teneat, ut ex æquo po-
 tiatur & rebus Aegypti corporeis, et rebus animæ, quæ
 omnes in paternis ædibus sunt reconditæ. Cum enim ait,
 Dei sum: & cætera his similia, ritum paternæ domus re-
 tinet. quando autem ascendit currum potestatis secundæ
 à Pharaone, hoc est mente quæ regnare sibi uidetur, fa-
 ctum Aegyptiacum rursus constablit. Sed miserior est
 rex qui putatur illustrior, & primario curru uectatur.
 Nam in rebus inhonestis excellere, insignis turpitudō
 est: sicut secūdo loco censeri, leuior miseria. Potes tamen
 ambiguum eius animum discere uel ex iureiurādo, dum
 modo per sanitatem, modo per nō sanitatem Pharaonis
 iurat. uerū hæc posterior formula cum negatione re-
 fert disciplinam paternam semper infestam affectibus, et
 optātem eis exitium: altera uerò Aegyptiam, quæ cupit
 illos incolumes. ideo quāuis tanta multitudo simul a-
 scenderet, promiscua turba non uocatur: quoniam quic-
 quid perspicaci & amico uirtutis populo miscetur, præ-
 ter uirtutē cuiusq; opera, promiscuū cōfususq; uidetur:*

in

in humili autem multitudine omnes ex æquo amant ac honorāt terrena præmia. Hos igitur ceu fucos insidiantes alienis laboribus, & ideò comites itineris, excludet, ut dixi, amator prudentiæ. cæterum eos qui sequuntur ut imitentur, amplectetur propter honestatis æmulationem, partes conuenientes eis attribuens. ait enim: Ex comitibus meis Eschol, Aunan, Mambre, portiones accipient. quod dicit de generosis moribus & spectandi cupidis. nam Eschol bonam indolem significat, ab igne ducens nomen: quoniam quod generosum, idem audax est & calidum, inherens omnibus quæ attingit. Aunan uerò spectandi cupidum: interpretatur enim oculi, quod anima oculos aperiat tranquillitatis desiderio. Ambo-
rum hæreditas est uita contemplatiua, quæ Mambre appellatur, & à uisione denominatur. at contemplationi uisus aptissimus est atq; familiarissimus. ab his autè prædōtribis unctus intellectus si non cesset ab exercitationibus, propere consequitur perfectam prudentiam paribus gressibus, nec præcurrens, nec à tergo relinqui sustinens, sed perpetuo hærens eius lateri. Id liquet ex oraculo, in quo apertè dicitur, quòd perfecti ambo ascenderunt in locum quem indicauit deus: quæ quidem egregia fuit uirtutū parilitas, certatè laboris industria cum agilitate natiua, & arte cum bene nato feliciq; ingenio ex seipso discente, ita ut paria uirtutis præmia perciperent. ac si pictura ficturæue non solum immobilia inanimatq; facerent opera, sed & per se mobiles animatasq; picturas atq; statuas. Tunc enim artes quæ prius imitabantur opera naturæ, in ipsas naturas uerse uiderētur.

Cæterum

Ceterum quisquis in tantam sublimitatem eleuatus fuerit, nullam animæ suæ partem infra in rebus mortalibus immorari sinet, sed omnes tanquam è cathena pendentes simul attrahet. ideò tale oraculum illi sapiēti est redditum: Ascende ad dominum tuum, tu & Aaron & Nabad & Abiud, & septuaginta seniores Israel. hoc est, ascende ô anima ad eius Qui est contemplationem, compositè, rationaliter, sponte, intrepide, amanter, in numeris sanctis perfectisq; septenarij decuplicati. nam Aaron propheta dicitur Mosi, in lege sonorus sermo, menti prophetans. Nabad autem uoluntarius interpretatur, qui non coactus colit deum. Abiud uerò pater meus. hic non propter imprudentiam domino, sed propter prudentiam patre opus habet deo. Sunt autem hæ potentiæ stipatrices mentis illius quæ regnum merito tenet, à quibus eam deduci fas est. Enimvero periculosum est animam incomitatam ad contemplationem eius Qui est ascendere, si uiam nesciēs tale quid audeat, quod ex ignorantia temeritateq; magni casus proueniant. Quamobrem precatur Moses, ut ipse deus uiam ad se ducentē indicet. dicit enim: Nisi tu ipse unà profisciscaris, ne educa me hinc. Quia omnis motus absq; fauore diuino damnosus est: & præstat hic manere oberrando inter mortales, sicut magna pars humani generis, quàm ad celum à seipsis elatos subuerti per arrogantiam, sicut plurimis sophistis contigit, ratis sapientiam inueniri per rationes probabiles, non per fidem in rebus certissimam. Fortassis autem etiam tale aliquid hic significatur: ne me in altum extollas, diuitias, gloriam, honores, principatus.

¶

& alia quæ bona dicuntur concedens, nisi me ipse comi-
 taberis. nam ista nunc calamitates, nunc utilitates ingen-
 tes afferunt: utilitates deo gubernante sententiam, cala-
 mitates alioquin. plurimis enim bona quæ dicuntur cum
 reuera non sint, causa fuerunt malorum exitialium. sed
 qui deum sequitur, necessarios habet comites eius sermo-
 nes, qui nominari solent angeli. Proinde legitur quod Ab-
 raham unâ faciebat iter deducens eos. ô societatem pul-
 cherrimam, qua deducens deducitur, reddens quod acci-
 pit, non aliud pro alio, sed illud ipsum solum, quod para-
 tum erat ad referendam gratiam. Donec enim non per-
 ficitur, dei uerbo utitur duce itineris, iuxta illud oracu-
 lum: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, ut cu-
 stodiat te in uia hac, & inducat te in terram quam præ-
 paraui tibi. Attende ei, & audi eum, caue sis inobediens.
 non deferet enim te. nam nomen meum est in eo. at post
 quam ad scientiæ cacumen peruenerit, cum contentione
 currens æquiparabit quæ paulo ante secutus fuerat. Iam
 enim ambo futuri sunt affectus omnipotentis dei, nemine
 in comitatum eorum se ingerente qui dissentiat: atq; e-
 tiam Lot separato, qui flebat haftenus animam, alio-
 qui perstare in recto ingenio ualentem. Erat autem Ab-
 raham, inquit scriptura, annorum septuagintaquinque,
 quando peregrinatus est in Charran.] De hoc septua-
 gintaquinque annorum numero, cum rationem iam
 antedictis consonam habeat, aliâs dicetur diligentius.
 quæ sit autem Charran, quæ ue inde migratio, prius
 scrutabimur. Neminem latere puto, qui modo le-
 ges sacras legit, quod Abraham primum è Chaldæorum
 terra

terra demigrans habitauit in Charran. Vbi defuncto ipsius patre, hinc quoq; profectus est, ut iam duos locos reliquerit. quid igitur dicemus? Chaldaei præ cæteris nationibus elaborasse uidentur artem astronomicam & genethliacam, terrena sublimibus, & cælestia coaptando terrestribus, tanquam ratione musica ostendentes rerum concentum puicherrimum, per istos uniuersi partium affectus mutuos, disiunctarum quidem locis, sed congnatione non item. Hi suspicati sunt mundum quem uidemus, aut ipsum esse deum solum, aut eam quæ insit uniuersalem animam: quam ubi sub nomine fati & necessitatis consecrarunt, summa impietate repleuerunt uitam humanam, persuasam quòd præter hæc quæ uidentur nulla sit rerum causa alia: sed solis, lunæ, stellarumq; cæterarum cursus tam bona quàm mala dispensent singulis. Huic sententiæ de uniuersi partium inter se societate atq; commercio Moses uidetur subscribere, docens unum esse mundum, & hunc creatum. Nam cum sit creatus & unus, uerisimile fit essentias elementales particulares subijci causis cælestibus quarum ipsæ sunt effectus, sicut accidit corporibus unitis ut continentur à se inuicem. Verum de deo longè aliter sentit: nec mundum, nec mundi animam esse deum primum: nec ad stellas aut earum choreas referendos casus hominum. sed contineri hanc uniuersi machinam inuisibilibus potentijs, quas ab extremis terræ ad extrema cæli extendit opifex, prospiciens ne dissoluerentur quæ semel tam pulchrè colligauerat. nam hæ potentie sunt uniuersitatis nunquam rumpenda uincula.

ideo

ideò si quando in lege dicitur: Deus in cælo supra, & in terra infra: nemo cogitet hæc ut sunt dici. nam eum Qui est continere, non contineri pie credimus. potentia dei hæc est, per quam disposuit, ordinauit, ornauiq; omnia: quæ propriè bonitas est, aliena ab inuidia maleuolentiaq; gratiarum uerò mater, per quas cuncta ex non esse ad esse perduxit. nam Qui est ubiq; opinione intelligitur, cum reuera nusquam appareat, ut uerissimum sit illud oraculum: Ego indemonstrabilis, sed quasi demonstrabilis, inuisibilis, sed quasi uisibilis, cum sim ante te. Ante omnem enim creaturam, & extra omnem incedit, nec cuiquam insistit. Hæc dicere solitus ad subuertenda Chaldaica dogmata, pergentes adhuc Chaldaizare, sic ad ueritatem reuocandos sibi existimat, appellās eos his uerbis: Cur ò mirandi uiri subito à terra in tantam sublimitatem euecti, & super aerem quoq; promergentes uestamini per æthera, ut solis motus perquiratis & lunæ circuitus, cæterarumq; stellarum choreas concinnas à uobis celebratas. maiora sunt hæc quàm pro captu uestrarum mentium, quippe quæ ad felicem diuinamq; sortem pertinent. Descendite igitur à cælo, & hoc factò non terram denuo, nec mare fluuiosq; aut stirpium animaliumq; species inquire, sed solos uosipsos uestraq; naturam scrutamini, ne alibi malitis habitare quàm intra uosipsos. considerando enim domi quid dominatur quid subijcitur, quid animatum quid inanime, quid brutum quid rationale, quid mortale quid immortale, quid melius quid deterius, mox cognitionem dei huiusq; operum percipietis. Cogitate, sicut nobis inest mēs, ita huic

uniuer-

uniuerso suam inesse. & quod sicut nostra principatum dominumq; in nobis sibi uindicans, singulis nostri partibus imperat: sic qui rerum omnium habet imperium, pro potestate ac iure mundum regit, prospiciens non tantum potioribus, sed & obscurioribus in specie. Migrate igitur ab ista curiosa inquisitione rerum celestium. Vos ipsos, ut dixi, inhabitate, Chaldeorum terra, hoc est opinione, relictâ, demigrantes in Charran, sensuum regionem, quod est corporeum mentis domicilium. nam Charran specus interpretatur, qui specus loca sensuum significant. in his enim ceu cauernis ac foueis sensus insunt, uisus in oculis, auditus in auribus, odoratus in naribus, gustus in faucibus, tactus in toto corpore. In his tempus terite, his per ocium uacate, singulorum naturam quoad fieri potest perquirite, & animaduersis singulorum bonis malisq; hæc fugite, illa eligit. ac tum demum excussis diligenter ædibus proprijs, & perlustratis singulis earum partibus, excitare uos ipsos, & migrationem quærite, quæ non mortem, sed immortalitatem polliceatur: cuius indicia manifesta uel in his corporeis sensuum cauernis degentes uidebitis, nonnunquam in somnis. Tunc enim mens in secessu quodam posita, & à sensibus cæterisq; rebus corporeis digressa, cum se ipsa colloquitur, ueritatem considerans uelut in speculo, deterfis omnibus imaginationibus, quæ ex contagio sensuum inhæserant, & diuino furore correpta uaticinatur per somnum de certissimis futurorum euentibus. nonnunquam autem etiam uigilantes: cum aliquis contemplationem quâpiam philosophicam nactus eam

sequitur, oblitus aliarum rerum domesticarum corporis, depulsis etiam sensuum illectamentis, si qui sunt impedimento ad intelligibilium contemplationem auidè properantibus. tunc enim & oculos claudunt, & aures obturant, & appetitus alios cohibent, quærendo tenetibus atq; solitudinem: ne animæ oculus, cui diuinitus datum est intelligibilia cernere, obscuretur ab ulla re sensibili. ad hunc modum edocti mortalia relinquere, discitis persuasiones & de illo Ingenito: nisi fortè putatis, nostram quidem mentem exutam corpore, sensu, ratione, & his omnibus nudatam posse res inspicere: cum uerò qui est mens uniuersitatis, non esse extra uniuersam rerum naturam, & continere, non contineri, non modo prouidentia penetrantem more humano, uerum etiam essentia, sicut deo dignum est. nam nostra mens non fabricauit suum corpus, sed est alienum opificium. ideò corpore tanquam uase concluditur. at uniuersi huius mens creauit omnia. opifex autem opificio suo potior est. itaq; nunquam contineretur à deteriore se: & alioquin non conuenit patrem contineri à filio, sed magis filium confoueri patris prouidentia. Ita paulatim demigrans mens, ad pietatis sanctitatisq; patrem perueniet, relictà genethliologia prius, à qua persuasa fuerat credere mundum hunc esse deum primum, non dei principis omnipotentis opificium: & stellarum cursus motusq; esse causas humanarum uel calamitatum uel felicitatum. Deinde consideratis rebus suis, philosophata in domo propria, de corpore, de sensu, de ratione, & cognito iuxta illum uersiculum,

Aedibus

Aedibus in nostris quæ praua, aut recta gerantur: aperta uia quæ ab ipsa sumpto initio, spem faciat intelligendi patrem illum quæsitum coniectatuq; difficilem, post seipsam cognitam fortasse deum quoq; noscet, non amplius hærens in Charran, hoc est instrumentis sensuum, sed in seipsam reuertens. non est enim possibile ut qui adhuc mouetur non tam intellectu quàm sensibus, ad eum Qui est considerationem perueniat: quamobrem & ille uitæ modus in ordine optimo collocatus à deo, Samuel nomine, non dat Sauli præcepta regnandi, quamdiu inter uasa delitescit, sed inde protracto. Scitanti enim an ullus uir eò uenisset, respondet oraculum: Ecce inter uasa se occultat. Hoc audito quid debuit facere homo ingenio docili, nisi eum illinc protrahere? Accurrens, inquit, promit eum illinc. quia latens inter animæ uasa, corpus sensusq;, non erat dignus qui audiret præcepta legesq; regias. Dum regnum dico, sapientiam intelligo, & sapientem regem. Post demigrationem igitur discussa caligine, iam futurus erat perspicacior. itaq; meritò & sensuum regionem, cui nomen Charran, relinquendam censet amator scientiæ. relinquit autem iam septuagenarius, & quinq; annos natus insuper: qui numerus sensibilis naturæ insensibilisq;, senioris iuniorisq;, corruptibilis & incorruptibilis est confinium. nam intelligibilis, senior, incorruptaq; ratio in Septuaginta est: sensibilis iuniorq; quinq; sensus æquat numero, ad hanc meditator adhuc se exercens examinatur, qui nondum potest ferre palmam absolute uictoriæ. Narratur enim quòd in uniuersum erant

P 2 septua-

septuagintaquinque animæ in Iacob progenie. Ad hunc enim numerum contententes de uirtutis possessione in reuera sacro certamine pertinent animæ, colluctantes cum prognatis è corpore uitijs, nondum rationem adeptæ, sed adhuc abreptæ à turba sensuum. Iacob enim luctantis in puluere, et supplantare conantis, non uictoris nomen est. sed quando uisione dei dignus habitus mutato nomine dicitur Israel, ratione septuagenaria tantum utitur, exciso sensuum quinario, dicente scriptura: In animabus septuaginta descenderunt tui patres in Aegyptum. hic est numerus Moysi illius sapientis familiaris. nam optimates ex omni numero selecti septuaginta fuere, seniores omnes, non ætate, sed prudentia, consilijs, sententijs, atque priscis moribus. Hic numerus consecratus offertur deo, quoties una sacrificantur perfecti fructus animæ. præceptum est enim ut tabernaculorum festo præter alias uictimas iuueni septuaginta holocaustum adolerentur deo, pro septuagenaria ratione, iuxta quam parantur et principum phialæ, quarum unaquæque septuaginta siclos pendebat. quoniam quæcunque socia foederataque sunt in anima, reuera pondus et uim habent, sanctam septuagenariam rationem, quam Aegyptus, uirtutum hostis et affectuum socia natura, lugere introducitur. nam luctus apud eius ciues finitur septuaginta dierum numero. Ergo hic numerus ut dixi, Moysi familiaris est: alter ille quinque sensuum, amanti corpus et bona extera, qui Ioseph uocitatur. Intantum enim ci curæ sunt, ut fratrem uterinum, sensualem (non agnoscit enim ex eodem patre natos) exinijs quinque donet ueslibus

nefibus, ornandos sibi honorandosq; sensus existimans. Aegyptum quoq; totam in praefecturas describit, ut sub certis magistratibus annua tributa pendant & uectigalia. Iubet enim eos frumentum uendere, hoc est materiam & alimentum copiosum recondere in usum quimque sensuum, ut eorum unusquisq; delicietur affatim expletus suis desiderijs, & mentem tot rebus congestis grauata demergat. Epulantibus enim sensibus mens fame laborat, sicut ediuerso illis iciuantibus ipsa hilaritate fruitur. Non uides quod & illae quinq; filiae Salpaad, quas dico quinq; sensuum allegoriam, è tribu Manasse natae sunt, qui filius fuerat Iosephi, tempore senior, potentia iunior? meritò. uocatur enim ex obliuione, quod idem atq; sensus est. Reminiscencia uerò secunda post memoriam censetur, à qua Ephraim denominatur, qui interpretatur frugifer. hoc enim fructu optime alitur anima, uidelicet pertinaci memoria. Loquuntur igitur uirgines ut ipsas decet, Pater noster mortuus est. Mors autem reminiscenciae, est obliuio. Et mortuus est ob nullam culpam suam. Rectè. nam obliuio nō est passio uoluntaria, sed externum quoddam accidens. huic non filij nati sunt, sed filiae. quia uis memoriae suapte natura efficax, mares procreat. Quod autem obliuiosum est, sopita ratione parit foeminas, quippe rationis exars irritabilis autem partis animae sunt filiae quas sensus intelligimus. hunc Salpaad si quis à tergo reliquit praecurrens, nondum tamen Mosem cursu equare ualens, temperato mixtoq; utetur numero quinto supra septuagenarium, qui significat sensitiuam intellectiuamq;

naturam, quando ambæ ad generationem unius irreprehensibilis speciei conueniunt. itaq; admiror patientiam Rebecam, dum perfectam animam habenti, & asperitates affectuum ac uitiorum exuto hortatrix fit ut in Charran aufugiat. dicit enim: Nunc igitur fili audi uocem meam, & surgens fuge ad Laban fratrem meum in Charran, & habita cum eo dies aliquot, donec auertatur furor & ira fratris tui à te, & obliuiscatur quid feceris ei.] Eleganter profectionem ad sensus, fugam appellat. nam reuera mens tunc fugitiua fit, quando relictis familiaribus sibi rebus intelligibilibus, uertitur ad contrarium sensibilem ordinem. Interdum tamen expedit esse fugitiuum, si hoc fiat non melioris odio, sed propter uitandas deteriores insidias. quid igitur hortatur patientia? mirum quiddam & optabile. Siquando, inquit, uides irritatum exasperatumq; furorem aut iram in teipso, aut quopiam alio, seruiente ingenio feroci brutoq; caue amplius etiam exasperes. fortassis enim morsum infingeret immedicabilem. cura potius ut feruorem illum excandescentiamq; refrigeres ac mitiges. nam si ad mansuetudinem redierit, nihil cuiquam nocebit. at quomodo id oportet fieri? sumpta in speciem alia persona & habitu alio, primum obsequere eius uoluntati, nihil contradicens. dic te eadem cum illo anare odisseq; sic enim placabitur. tum uerò simulatione omissa, nihil amplius ab eo timens periculi, facile reuerteris ad curam rerum tuarum, nam ideò Charran inducitur plena pecudibus, & habitatores eius pecuarij. Quis enim locus conuenientior esse posset brutæ naturæ, & eius curato-

cūatoribus, quān isti sensus nostri? Scitante igitur mēditatore cuiates sint, respondent uera pastores, Charrenos se esse. nam ē sensu brutæ, sicut ē mente rationales; potentiæ proficiſcuntur. Percōtante uerò amplius, numnorint Labanem, meritò aiunt se nosse. nam per colorem putantur omnes qualitates innotescere. colores autem & qualitates Laban significat. Et hic ipse autem ubi perfectus fuerit, relinquet sensuum domum, & animæ inquantum animæ construit, quam adhuc in laboribus & sensibus uersando imaginatur. dicit enim: Quando ego quoq; mihi domum faciam? quando contemptis sensibus & sensibilibus, mentem & cogitationem habitabo, uersaborq; cum rebus ratione contemplandis, sicut perquisitrices rerum obscurarum animæ, quæ obstetrices solent nominari. nam hæc faciunt propria testā & promptuaria studiosis uirtutis animabus. Sed nullum munitius ædificium quam timor dei, qui habētibus eum est pro arce inexpugnabili. Quoniam, inquit, timebant obstetrices deum, fecerunt sibiipsis domos. Egressa igitur ē Charrensi agro mēs, dicitur peragrasse terram usque ad agrum Sichem, & quercum illam proceram. Videamus quid sit peragrasse. Amor discendi est res suo pte ingenio curiosa, quouis uadens impigre, introspiciens omnia, nulla corpora, nulla negocia relinquenda inscrutata iudicans. est enim à natura liguritor maximus spectaculorum sermonumq; ut non contentus patrijs, peregrinos etiā lōginquosq; appetat. nā qui sic affecti sunt, absurdū aiūt mercatores insitioresq; propter

sordida lucra traicere maria, & totam terram habitabilem oberrare, contempto aestu ac frigore, uentis item uel nimis uel contrariis, adhuc senectute, uale tudine, amicorum consuetudine, uxore, liberis, alijsq; plurimis domesticis uoluptatibus, patria, honoribusq; ciuilibus, secura possessione patrimonij, & si quid aliud paruum magnūue remorari eos poterat. propter pulcherriam autem & per omnes difficultates petendam disciplinam qua excolitur ratio, non traicere omnia maria, omnes recessus terrarum lustrare diligenter scitanda sicubi sit aliquid pulchrum uisu uel auditu, & cum inagenti alacritate uestigando, donec contingat quæ sitis de sideratisq; potiri. Peregrinare igitur anima, & si libet de unoquoq; homine iudica, quid corpus sit, quid agat aut patiat, quid cogitationem sensus adiuuet, & quantum menti pro sit. quid ratio, & quarum rerum interpres, ad honestatem conferat: quid uoluptas & concupiscentia sit, quid dolor & timor, quæ contra hæc ualeant remedia, siue depulsiua, siue præseruatiua. Quid imprudentia, quid intemperantia, quid iniustitia, quid cæterorum morborum multitudo, quos pestifera malitia solet parere, & quibus modis hi possint arceri. ediuerso quid prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo, sagacitas, & in uniuersum uirtus omnis atq; tranquillitas animi, & quomodo paranda sint hæc singula. Peruestigat & maximum illum perfectissimumq; hominem, mundum hunc, dispice & partes eius singulas, seiunctas locis, unitas potentijs: tum quodnam sit illud inuisibile uinculum

culam quo uniuntur & coaptantur sibi inuicem. Quæ si querenti non statim se offerent, noli tædio laboris desicere. nec enim per ocium isthæc percipiuntur, sed multis magnisq; laboribus paranda sunt. Quamobrem cupidus discendi in agro Sichem consistit: quod nomen interpretatur humeri suppositio, & laborem significat: quia parte hac mos est baiulari onera. id enim & alibi memoratur de hoc ipso athleta in hunc modum: Supposuit humerum suum ad laborem, & factus est uir agricola. Itaq; caue o mens, ne unquam languore succumbas, sed etiam si quid uisum fuerit contemplatu difficile, id quod in te uim perspicendi habet, aperi, & rem penitius introspice, collustrans omnia, ne quid te uolentem inuitamue possit fallere, conniuentem per incuriam. Cæcus enim est somnus, uigilia cernit acutissime. Tibi sufficiat, si datur assiduitate quod quæris assequi, & imaginatione comprehendere. Viden ut & quercus proceræ in Sichem excreuit? per quam subindicatur firmum, solidum, nulla ui flectendum frangendumue robur, quod uiro ad perfectionem tendenti necessarium est ferendis laboribus: ne animæ tribunal nominatum Dina (uox hæc iudicium interpretatur) in potestatem ueniat ærumnosi laboris, insidiatoris prudentiæ. Nam Sichem qui loco huic nomen dedit, filius est Emoris, brute naturæ: (Emor enim asinus dicitur) qui deditus imprudentiæ, alumnus temeritatis impudentiæq; iudicium mentis uiolare scelestus & corrumpere ausus est: nisi quod celeriter prudentiæ familiares discipuliq; Simeon

& Leui, munitis prius rebus domesticis expeditionem
 fecerunt, & occupatos adhuc uoluptario labore, non
 circumciso ab affectibus, repente oppresserunt. propter
 oraculum enim, quod uetat meretricem esse inter Israe-
 lis filias, hi uirginem animam eripuerunt, fortiter con-
 tempto periculo. Videbantur enim non de fore ultores
 uiolati fœderis, sed terror ille mox euanuit. mox enim
 res ipsa falsam opinionem coarguit. Est profecto seue-
 ra scelerum ultrix, & iniuriam patientium auxiliatrix
iustitia, quæ frustratur illudentes uirtuti: quibus pes-
 fundatis, in uirgineam integritatem resituitur, quæ ui-
 debatur constuprata anima. Videbatur inquam, nun-
 quam enim corrupta fuit. nam ubi deest assensio, nec
 qui patitur uerè patitur, nec qui præter animi sui
 sententiam lædit, reus est patrati
 facinoris.

PHILO

PHILONIS IV=

DAEI, DE CONGRESSV

quærendæ eruditionis
gratîa, Liber.

ARRA uxor Abrahami nō pariebat ei. Habebat autem ancillā Aegyptiā nomine Agar, dixitq; Sarra ad Abraham: Ecce conclusit me dominus ne parerem: *in-*grede ad ancillam meam, ut *su-*scipias ex ea liberos.] Sarrae nomen interpretatur principatus meus. nam prudentia mea, temperantia mea, & particularis iustitia, aut una quaelibet uirtus alia, quæ mihi soli contigit, meus tātum principatus est. imperat enim mihi obsequenti uoluntarie, pro regina mihi per naturā apposita. Hanc Moses, quod mireris, & sterilem ait, & fecundissimam, quandoquidem frequentissimam omnium nationum ex hac progenitam fatetur. nam reuera uirtus quantum ad res malas attinet, sterilis est: bonarum uero tam fecunda, ut ne obstetricum quidem opẽ requirat, partu præueniẽs earum operam. si quidem animantes stirpesq; per interualla semel atq; iterũ ut plurimũ in anno suos fructus asserũt, statō naturæ tẽporũq; ordine: uirtus uerò cōtinue siue cessatione parit omni tẽpore, nō infantulos, sed probos sermones, inculpata consilia, facinora laudatissima. Sed neque diuitiæ possessores suos inuant, ni uidentur eis:

eis: nec prudentiæ fecunditas nobis proderit, nisi fœtus
 nobis utiles pariat. illa quidem non dedignatur conui-
 etum conjugalem, sed non quiuis maturus est tam lauda-
 to modestoq; coniugio, qualibus satis sunt spōsalia, quæ
 spem nuptiarum celebrandarum faciant. Ergo uirtus
 principatum tenens in anima mea, parit quidem, sed nō
 mihi. nondum enim possum per ætatem liberos ex ea su-
 scipere, actiones prudentes, iustas piasq; propter mul-
 titudinem illegitimorum puerorū, quos mihi uana opi-
 niones enixe sunt. Nam horum educatio continuæq; de
 his sollicitudines, cogunt legitimam & uere ciuilem so-
 bolem negligi. Optandum igitur ut uirtus non solum pa-
 riat, quæ alioquin etiam parit: sed ut & nobisipsis pa-
 riat, ut adepti semen eius atq; progeniem, felicem uitam
 exigamus. Solet enim illa soli deo parere, primitias bo-
 norum quæ accepit grate reddens ei qui semper uirgi-
 nem uoluam, ut Moses loquitur, aperuit. ait enim, can-
 delabrum, archetypum illud exemplar, ex una parte lu-
 cere, uidelicet ad deum uersa. cum sit enim septima, sex
 cauliculorum media, bifariam in terniones diuisorum,
 & latus utrumq; stipantium, sursum splendorem mittit
 ad illud unum, quod æstimat lumen lucidissimum, & cla-
 rius quàm ut admittat mortales oculos. ideo non dicit
 Sarram non peperisse, sed negat eam cuius parere. Nō
 sumus enim idonei prolem ex uirtute suscipere, ni prius
 congregiamur cum eius famula. Est autem sapientiæ fa-
 mula musica logicaq; qua liberaliter instituimur. sicut
 enim in domibus uestibula sunt ante ianuam, & urbes
 habent sua suburbia per quæ aduentur: ita & ante uir-
 tutem

tutem artes liberales sitæ sunt: nam illa per hanc uia aditur. Sciendum autem quod magnorum argumentorum magna esse conuenit etiam proœmia. uirtus autē est argumentorum maximum. habet enim materiam maximam, uidelicet totam uitam hominum. merito igitur nō paruis utetur proœmijs, sed grāmatica, geometria, astronomia, rhetorica, musica, reliqua contemplatione logica uniuersa, quæ significantur per Agar Sarra famulā, sicut indicabimus. Dixit, inquit, Sarra ad Abraham: Ecce conclusit me dominus ne parerem. ingredi ad ancillam meam, ut filios ex ea suscipias.] Corporum cum corporibus coitus, nihil aliud quā uoluptatem quærentes, semouendi ab hoc sermone sunt. est enim hic cōgressus intellectus uirtutisq; liberos sibi quærentium. quod si non contingat statim tanta felicitas, discit tamē ille de spondere sibi eius famulam & sequestram eruditionē. Vnde mirari libet uerecundiam sapientiæ, quæ non exprobat nobis tarditatem gignendi, aut in totum sterilitatem: quamuis oraculum uere dicat quod nō pariebat, non propter inuidiam, sed propter nostrammet ipsorū culpam qui non essemus idonei. Conclusit, inquit, me dominus ne parerem. nec addit uocem illam Nobis, ne uideatur opprobrire infelicitatem alijs. Ingredere igitur, inquit, ad ancillam meam, mediarum encyclicarum artium disciplinam mediam, ut prius ex ea filios suscipias. posthac enim poteris etiam ex consuetudine cum domina genitis frui legitimis liberis. nam grammatica historias quæ apud poetas scriptoresq; habentur te docēdo, intelligentiam & multiplicem cognitionem tibi præstabit,

bit, efficietq; ut contemnas figmenta uanarum opinio-
 num, dum spectas celebratas illas heroum & semideorū
 calamitates. musica uero commonstrans quid in rhyth-
 mis, quid in harmonia, quid in cantu discrepet, incōcin-
 na ad concinnitatem reducet. geometria æqualitatis &
 proportionis semina indens in studiosam animam, per
 contemplationem elegantie perpetuam, inseret amo-
 rem iustitiæ. rhetorica & mentem ad considerandum
 acuens, & sermonem ad proferendas cogitationes exer-
 cens, rationalem uere faciet hominem, curans id quod
 illi proprium eximiumq; à natura donatum est. dialecti-
 ca rhetoricæ germana gemellaq;, ut quidam aiunt, sal-
 sos sermones à ueris discernens, & sophismata persuasi-
 bilia redarguens, magnum morbum animæ deceptio-
 nem persanabit. In his & similibus uersari ac præexer-
 citari profuerit. fortassis enim contingere nobis potest
 quod multis contigit, ut per famulas in reginarum uir-
 tutum familiaritatem nos insinuemus. Viden ut & cor-
 pus nostrū non prius solidis & lautis cibus utitur quàm
 in pueritia nutritum sit simplicibus & lactarijs? ad eun-
 dem sane modum existimandum est animæ quoq; pueri-
 les cibos præparatos, artes liberales, & contemplatio-
 nes singularum proprias: perfectiores autem & qui ue-
 re uiros deceant esse uirtutes. Cæterum huius mediæ di-
 sciplinæ præcipuas formas per duo signa discimus, per
 genus & nomē: siquidem Aegyptia genere, nominatur
 Agar. hoc aut interpretatur inquilinus. necesse est enim
 ut qui choreas encyclicarum contemplationum frequen-
 tat, & multiplicem eruditionē sectatur, terreno Aegy-
 ptioq;

ptioq; sit adscriptus corpori, cū & oculis ad lectiones opus habeat, & auribus ad auscultandū, & reliquis sensibus ad tracta sensibilia singula. nam sine iudicatio in dicari aliquid natura non patitur. iudicatur aut per sensum sensibile, itaq; sine sensu nō potest quicq; percipi in hoc mūdo sensibili, quæ magna ex parte est philosophiæ di materia. sensus porro est animæ pars magis corporea, radicata in totius animæ cōceptaculo: quod uas Aegyptus figurate nominatur. hæc est forma generis, quā ancilla uirtutis habet. iam alterā, scilicet nominis, quam lis sit cōsideremus, mediam disciplinā inquilinæ ius habere contigit. nā & sapientia et qualibet uirtus est sciētia, sed ciuis & reuera huius uniuersitatis indigena sola ex omnibus: reliquæ discipline secundū & extremū ordinem adeptæ, mediæ censentur inter ciues & hospites. ad neutrum enim genus in totū pertinent, & cū utroq; habent cōmune nonnihil. nam inquilini conuersatione cū ciuib; fruuntur: sed quia non est eis certū fixūq; domiciliū, censentur inter externos. Sicut, opinor, adoptiuū filij, quatenus hæredes fiunt pro natiuis æstimantur: quatenus aliunde nati sunt, pro alienis. itaque sicut se habet hera ad ancillā, matrona ad concubinā, ita se habet uirtus Sarra ad disciplinam Agar. iure igitur Abrahamo contemplationi scientiæq; dedito uirtus Sarra pro uxore fuerit: Agar uero, id est, uniuerſa encyclopædia, pro pellice. Ergo qui prudentiā discit a præceptoribus, Agarrē nō reiiciet. est enim ualde necessaria primarū disciplinarū possessio. Quod si quis paratus est certamina pro uirtute subire, & indefessus exercet se continuè, duas

matronas

matronas ducet, ac totidem ancillas pellices. singularum autem diuersa sunt ingenia. matronarum altera, sanctissima optime constituta pacatissimaq; motio, ex re Lia nomen habet. altera coti similis Rachel uocatur, ad quam intellectus certaminis exercitijq; cupidus se atterens acuitur. interpretatur autem uisio profanationis, non quod profane uideat, sed contra: quia uisibilia sensibiliaq;, collata cum immortalis natura inuisibili & intelligibili, non religiosa sed profana esse iudicat. nam cum anima nostra bipartita sit, partim bruta partim rationalis, utriq; sua uirtus est, Lia rationali parti, Rachel irrationali. exercet enim nos altera per sensus, & rationis partes, ut contemnamus omnia contemnenda, gloriam, diuitias, uoluptatem, quæ uulgius hominum suspicit, & magna contentione persequitur, corrupto auditu, cæterorumq; sensuum iudicio. Altera uero docet, ut inæqualem asperamq; uiam, studiosis uirtutis animabus inaccessam deuitemus, et inoffense per tritam à populo, stratamq; incedamus, nusquam labente uestigio. Necesse est igitur ut prioris ancilla sit eloquendi facultas, & argutatio sophistica, præstigijs faciens per coniecturas quasdam persuasibiles. Alterius uero, illa uictus ratio quæ cibum potumq; requirit: nam earum nomina, Zelpha & Balla, extant in sacris literis: Zelpha idem sonat quod oris iter, & eloquendi facultatem significat. Balla uero deglutitionem, quæ est mortalium animalium præcipuum firmamentum & summe necessarium. ab hac enim sustententur corpora, & uitæ rudentes ab hac religati sunt cæu crepidine. Cum his igitur omnibus potentijs mediator ille habet,

consuetudinem

consuetudinem, cum alteris ut ingenuis & ciuibus, cum alteris, ut ancillis & pellicibus. Expetit enim Liam, id est motum, qui sanitatem in corpore, in anima honestatem & iustitiam operatur. Rachelem etiam diligit, coluclans cum affectibus, & exercens se ad temperantiã, resistensq; omnibus rebus sensilibus. Duobus enim modis utilitatem capimus, dum uel in pace bonis fruimur, uel in bello mala profligamus arcemusq;. Per Liam antiquissima & præcipua bona percipimus: per Rachelẽ, uelut ex hostibus manubias. Huiusmodi est cum his matronis consuetudo. Opus habet nihilominus etiam Balila deglutitione meditator noster, sed ut ancilla & pellice, nisi enim edat & uiuat, bene uiuere non potest: quãdoquidem indifferentia semper melioribus pro fundamento sunt. opus habet Zelpha quoq; differendi facultate, ut ratiocinatio duabus rebus in unum collatis absolutatur, ex cogitationis fonte, & riuo inde promanante per uocis organum. Verum isti pluribus uel uxoribus uel concubinis usi sunt, ut in sacra scriptura legitur. At cū Isaac non plures uxores, non pellex ulla, sed coniux unica quã uirginẽ puellã duxerat, est perpetua uitæ societas. cur ita? quia uirtus quæ discitur, qualis Abrahami fuit, pluribus eruditionib. indiget, legitimis iuxta prudentiam, adulterinis iuxta disciplinas quas liberales uocamus. itidem quæ per meditationem absoluitur, quod genus uirtutis Iacob sectatum apparet. meditationes enim constant ex compluribus uarijs dogmatibus, antecedentibus, consequentibus, citius aut serius occurrentibus, & labores nunc minores nunc maiores exhibentibus.

Philo.to.i.

Q

At

At genus à seipso doctum, in quo Isaac censetur, optimā inter omnes bonos affectus lætitiā simplicem, meram sinceramq; sortitum est, nec meditatione ulla nec doctrinā indigens, ad quas parandas non solum matronis sciētijs, sed et illis alteris pellicibus opus est. Cum enim deus scientias sine præceptore cælitus impluit, impossibile est delectari amplius ancillis & concubinis artibus, & teneri desiderio, tanquam filiorum dogmatum illegitimorum. Siquidem dominæ reginæq; uirtutis maritus appellatur, cui tantus honor contigit. ea Latine patientia, Hebraice Rebecca uocatur. Nam quisquis naturæ suæ felicitate & fecunditate animæ sine labore sapientiam affecutus est, nullum profectum requirit amplius. habet enim in promptu perfectā dona dei inspirata per illas antiquas Gratiās, quæ sibi optat perpetua. Et hoc est, opinor, cur ille autor omnis beneficentiæ, uolens ratas suas gratias, ei qui acceperat, uxorem despondet patientiam. Reminiscētia tamen secundum à memoria locum tenet, & reminiscens à memore. nam ille similis est utenti constanter bona ualetudine, hic recolligenti se post ægritudinem. Nam obliuio morbus est memoriæ. Quisquis autem reminiscitur, necessum est, ut oblitus prius fuerit quorum meminerat. Memoriam sacra scriptura Ephraim nominat, quam uocem feriliuatē fructuum interpretari licet: reminiscētiā autem ex obliuione Manassē uocant Hebræi. sic enim anima memoris profert ceu fructum quæ didicit, nihil eorum amittens: reminiscētis autem, ex obliuione euadit, quæ priusquam admoneretur, tenebatur. itaque memori marito uxor cohabit

habitat memoria: obliuioſo pellex reminiſcentia, Syra genere, iactabunda & arrogans. nam Syria ſublimitas interpretatur. huius concubinae reminiſcentiae filius eſt Macheir ut appellant Hebræi, ac ſi Latine dicas, patris. nam qui reminiſcuntur, putant à patre intellectu ſe commoneſieri, nec reputant ſecum, quòd is ipſe aliquando admiſit in ſe obliuionem, non facturus, ſi habuiſſet in poteſtate memoriam. Scriptum eſt enim: Nati ſunt filij Maſſae, quos peperit ei concubina Syria, primum Macheir, qui genuit Galaad. Nachor quoque frater Abraham duas mulieres habuit, uxorem & pellicem. uxoris nomen Melcha, Ruma uero pellicis. ſed non hiſtoricam genealogiam contexit legiſlator ſapientiſſimus, quod abſit ut quiſquam ſanius ſuſpicetur: magis rerum animae profuturum eſt hæc narratio. quod ſi hæc nomina uertantur in linguam nobis uernaculam, quid ſibi uelint apparebit. age igitur ſcrutemur ſingula. Nachor idem eſt quod luminis requies, Melcha quod regina, Ruma ſignificat uidentem aliquid. Ergo lucem habere in mēte bonum eſt. quod autem quieſcit & ceſſat in motum, imperfectum bonum eſt. nam mala quieſcere expedit, bona uero moueri. Quid enim prodeſt ceſſare bonum tibicinem aut cithariſtam, aut in uniuerſum quemcunque artificem ſuam artem non exercere? nam ſine actione ſola contemplatio ſcientibus ad nihil eſt utilis. nec enim pancratiſta, pugil uel aut luſtator ex arena protrufus ullum fructum è ſtudio ſuo reſcret: neq; abſolutus cursor, ſi corripiatur à podagra, aut alioquē laboret morbo infeſto pedibus. lumen autem animae,

solari simillimum est scientia. nam sicut oculi splendorē, sic mens illustratur sapientia, & usq; acutius cerneat assuescit inuncta nouis semper contemplationibus. Itaque luminis quies Nachor interpretatur. & merito. Quatenus enim Abrahamū cognatione attingit, sapientie luminis factus est particeps. quatenus autem non est comitatus peregrinantem à creatura ad creatorem, à mundo ad mundi opificem, claudam & parum integrā scientiam acquisiuit, restitanti cessantiq; uel potius humi defixam more statuat. Non demigrat enim è Chaldaica regione, hoc est, non desistit ab astronomicis speculationibus, creaturam magis colens quā opificem, & mundum magis quā deum: inò mundum ipsum deum esse credens, non omnipotentis opificium. Melcham autem ducit uxorem, non fortunatam aliquam reginam late imperitantem nationibus aut ciuitatibus, sed appellatam tantum communi cum ea uocabulo. Quem admodum enim Cælum, eo quod inter omnes creaturas præemineat, regem sensibilibus non inconueniēter quis dixerit: sic & scientiam rerum cælestium, cuius professores habentur Chaldæi & astronomi, reginam scientiarum ipsi uocant propter excellētiā. Hæc igitur est matrona, concubina uero uidens unum aliquid, uel uilissimū. Proinde optimo generi cōtigit uidere, quod est optimum, nempe eum Qui est. Nam Israel uidens deum interpretatur. Secundaria uero cupienti secunda fors obuenit, spectare cælum sensibile, stellarumq; ordinem decentissimum, & choream uere musicā. Tertij sunt quidam disceptatores, qui naturas præstantissimas sensibilibus

lium intelligibilibusq; ne attingunt quidem, tantum circa parata ista sophismata tempus cauillando terentes. Horum concubina est Ruma, uidens aliquid uel minus, quia non possunt potiora scrutari, unde aliquam uitæ utilitatem capiant. Nam sicut apud medicos quæ dicitur logoiatria multum abest ut ægrotos adiunct: remedijs enim & chirurgijs & dietis, non uerbis morbi curantur: sic & in philosophia uerba tantum quidam uenditant & uenantur, uitam autem morbis refertam curare nec s. sunt nec uolūt: nec pudet eos à teneri. nis ad ultimam usq; senectutem sententias frigida. opugnare propugnareq;, tanquam felicitas in non. nibus uerbisq; & in immodica inaniq; curiositate sita sit, ac non potius in componendis moribus: qui fons si bene se habeat, exulant uitia, uirtus restituitur. Utuntur tamē concubinis, id est opinionibus dogmatibusq;, etiam mali homines: quando quidem scriptura dicit, quod Thama concubina Eliphæ, filij Esau, peperit Eliphæ filium Amalec. Egregia nepotis degeneratio. ea magis apparebit, si non tam de homine hæc intelligantur quam de anima, & quasi anatomica ratione considerentur. brutus enim & immoderatus impetus affectuum appellatur Amalec: quod interpretatur populus elingēs. sicut enim uis ignis absumentem materiam, eodem modo & affectus excandescens abligurit corrumpitq; quicquid inuenit obuium. huius affectus pater Eliphaz iure censetur. nam hæc uox interpretatur Deus me dispersit. An non quam primum dissipatur & reijcitur anima à deo, statim hic brutus affectus nascitur? nam perspicacem

& religiosam mentem, ceu generosam uitem propa-
 gat, radices extendens in æternitatem, & ubertatem ei
 donans ad usum fructum uirtutum. & hoc est quod Mo-
 ses precatur: Inducens plantabis eos: ut non intra unum
 diem arescat, sed immortalis longæuag; fiat dei planta-
 tio. Nam iniustam impiamq; animam fugatam à seipso
 longissime, dissipat in locum uoluptatum, concupiscen-
 tiarum, & facinorū: qui locus impiorū uocatur, aptius
 quàm ille fabulosus apud inferos. reuera enim infernus
 nihil aliud est quàm uita miseri, scelerati, execrandiq;
 hominis. Extat autem & aliubi hoc uerbum in sacris li-
 teris: Quando diuisit altissimus gentes, & dispersit fi-
 lios Adam, terrenos mores omnes: quos nullius celestis
 boni uidendi cupidos abegit, dispersos extorres & exu-
 les. nullus enim malus uel domum habet uel ciuitatem,
 uel ullum societatis ius, scā instabilis dispergitur, pas-
 sim uagus errabundusq; nusquam ualens subsistere. Su-
 scipit igitur malus è coniuge malitiam filiam, è concubi-
 na uero affectionem. Intellectui enim tota anima quasi
 coniux est uitæ socia, quæ si culpabilis est, parit uitia.
 corporea uero natura pellex uidetur, quæ affectiones
 gignit. Nā uoluptates ac concupiscentiæ habitāt in cor-
 pore. mulier ipsa Thamna nominatur, ac si dicas dese-
 ctus fluctuans. deficit enim & lāguescit affectu anima,
 motū et iactationē magnam furmens à corpore, propter
 coortā grauem tempestatē ex immoderato impetu. Ca-
 put aut tanquā animantis omnium dictarū partiū, Esau
 est princeps generis, qui modo factura, modo quer-
 cius, interpretatur. quercus, quia rigidus, inexorabilis,
 inob=

inobsequens, duræ ceruicis, amentiam in consilium adhibens, uerè quernus homo, factura uerò, quia figmentum & fabula est uita insipiens, plena tragico fastu, irratione mutua, cauillisq; comicis, nihil sani habens, mendax & à ueritate aliena, qualitate carentem inuisibilen informemq; naturam non asis faciens, quam Mediator deamat. Testis est Moses, dicens: Erat Iacob simplex, domum habitans. Itaq; huic contrarius sine domo est, figmentorum, poematum, & fabulosarum nugarum amicus, uel potius ipse ludus & fabula. Haftenus de studioli intellectus cum coniugibus concubinisq; congressu, quantum fieri potuit, dictum est. attexenda sunt reliqua & scrutanda, quæ deinceps sequuntur. Obediſt, inquit, Abraham uerbis Sarrae.] Neceſſe eſt enim ut diſcipulus monitis uirtutis obediāt. non omnes enim præſectis ſuis obediunt, ſed quotquot uehementer amāt ſcientiam. nam penè quotidie pleni ſunt theatra & auditoria: & philoſophi ſine reſpiratione de uirtute copioſe uerba faciunt, ſed quæ nam eſt horum ſermonum utilitas? cum enim deberent attendere, auocantes animum quidam de nauigatione ac negociatione, quidam de agricultura & redditibus, quidam de honoribus & reſpub. quidam de lucris ex opificijs, quidam de pleſtendis inimicis, quidam de amoribus, omnes de alijs rebus cogitant: ut quantum ad rem præſentem attinet ſurdi ſint, corpore tantū occupantes ſuum locum, peregrinantes animo, & nihil differētes à ſtatuſ ac imaginibus. quod ſi qui attendunt etiam, tantisper dum ſedent audiunt, poſt diſceſſum non meminērūt quicquam ampliùs:

quippe qui uenerant ut auribus uoluptatem caperēt pa-
 tius quā utilitatem aliquam. itaq; anima eorum nihil
 potuit utero concipere, sed quamprimum uoluptas illa
 auditus cessauit, euanuit & attentio. Tertium genus est
 eorum, qui recentem adhuc dictorum tenēt memoriā,
 sed sophistæ comperiuntur non philosophi. horum lau-
 datur oratio, uita uituperatur. possunt enim dicere opti-
 ma, sed non possunt facere. Itaq; rarius est inuentu atten-
 tus, memor, qui malit facere quā dicere: quæ omnia te-
 stantur sacræ literæ de scientiæ cupido his uerbis: Obe-
 dijt uoci Sarra. non enim solum audire, sed exaudire in-
 ducitur. quo uocabulo assensus & obedientia significa-
 tur aptissime. nec absurdè dictum est illud Voci, & non
 loquenti Sarra obeditum. proprium enim discētis est,
 audire uocem uerbaq; per hæc enim sola discit. at quis-
 quis meditatione uirtutem non doctrina parat, non uer-
 ba sed quid dicatur attendit, uitam quoq; præceptoris
 imitans laudandis actionibus. narratur enim de iacob,
 quando ad gentilitiis nuptias mittitur, Exaudiuit iacob
 matrem & patrem suum, & profectus est in Mesopota-
 miam. nō dicit uocem nec uerba exaudita. decebat enim
 meditatorem hunc uitæ imitorem fieri, nō sermonum
 auditorem. hoc enim discētis est illud parantis se certa-
 mini, ut hinc quoq; meditantis et discētis appareat diffe-
 rentia, dum alter præceptorem, alter præcepta sequi-
 tur. Assumpsit igitur Sarra uxor Abrahami Agar Aegy-
 ptiam ancillam suam, post annos decem quā habitare
 cœperunt in terra Chanaan, & dedit eam suo marito u-
 xorem.] Inuidum, amarulentum, malignum suapte na-
 tura

tura est uitium: è diuerso uirtus res mitis, benigna, socialis, omnibus modis parata generosis animis prodesse uel per se uel per alios. nunc igitur non ualentibus nobis è prudentia filios suscipere, suam despondet famulam, encyclopædiam inquam siue orbem disciplinarum liberarium, tantum non sequestram agens & sponsæ ornatricem. legimus enim quod ipsa suo marito hanc uxorem in manum tradiderit. Hic quærendum occurrit, cur de nouo Sarram dicat uxorem Abrahami, quod iam sæpe antea docuerat. non enim affertat tautologiam, prolixæ orationis insigne uitium. Quid igitur dicendum? Quoniam ancillam prudentiæ liberalem eruditionem desponsatam narrat scriptura, ait eam non oblitam conditionis & officij quod debebatur dominæ, sed meminisse quod illa sit matrona & uxor legitima, ipsa uerò propter necessitatem ad tempus assumpta. id quod accidit omnibus discendi cupidis. qui expertus est, idoneus testis erit. Equidem cum primum cœpi stimulari amore philosophiæ, admodum iuuenis consuetudinem habui cum una ex eius pedisequis grammatica, cuius partus, scribendi legendiq; facultatem, & narrationes poetarum, dedicaui eius dominæ. ac rursum cum altera congressus geometria, delectatus eius pulchritudine, ut cuius membris nihil esset moderatius aut castigatius, nihil ex ea natum abscondi, sed bona fide representauim ac donauim matronæ. tertiam quoq; sollicitauim. erat autem concinna, modulata, composita, Musica nomine. ex hac genui colorationes diatonicas, & harmonicos cõiunctos disiunctosq; cantus, pertinentes ad diateffaron, diapente

te, diapason symphonias, ne hæc quidem calauī, quo magis dītesceret uxor legitima, aucta numeroſo ſamulitio. Sunt enim qui ancillarum illecebris inefcati, paruipenderunt herā philoſophiam, & conſenuerunt quidam in poematibus, quidam in deliniationibus, quidam in colorum temperaturis, alij in alijs rebus innumeris, non ualentes ſeſe ad matronam recipere. habet enim unaquæq; ars ſuas elegantias quibus alliciat. quibus delectati quidam capiuntur, obliui promiſſorum, quæ ſibi interceſſerunt cum philoſophia. ſed qui à pactis non diſcedit, undequq; parat quibus dominæ placeat. merito igitur ſcriptura fidem eius celebrat, affirmans nūc quoq; uxorem Sarram eſſe, etiam quando ipſa uolente libenteq; maritus ancillam duxit in thalamum, atqui ſicut liberales artes conſtrunt ad quærendam philoſophiam, ita philoſophia ad parandam ſapiētiam. Eſt enim philoſophia meditatio ſapientię, ſapientia uerò ſcientia rerum humanarum diuinarumq;, & cauſarum inſuper. ergo ſicut encyclopædia philoſophię ſeruit, ſic philoſophia ſapientię. at philoſophia docet nos cōtinere linguam, uentrem, & ea quæ ſub uentre ſunt. hæc quamuis per ſe expetenda, auguſtiora tamen ſunt, quando in honorem dei & cauſa religionis, exercentur. oportet igitur nos eſſe memores dominæ, dum ſamularum eius procos agimus. & quamuis harum mariti dicamur, illa nobis matrona ſit etiamſi non dicatur. Traditur autē hæc noua nupta non ſtatim poſtquam in Chananæam terram uentum eſt, ſed morato in ea iam per decennium. hoc quid ſit, non obiter diſſiciendum eſt. Nox à natiuitate anima noſtra coalit

litis tantum affectibus utitur, tristitijs, doloribus, timoribus, concupiscentijs, uoluptatibus, qui per sensus in eam obrepunt, prius quam ratio queat à bonis mala discernere, & quantum altera distent ab alteris cognoscere, nimirum quasi somno etiam tum grauata & uix recludens oculos. procedente uero tempore, cum pueritiam egressi attingimus adolescentiam, statim geminae stirpes ex una radice nascuntur, uirtus & uitium. quas licet ambas intelligamus, utiq; alteram eligimus, generosi uirtutem, uitium contrarij. His prius praestructis, sciendum affectus per Aegyptum significari, uitia per terram Chanaan. itaq; merito populus ex Aegypto in Chanaanem ducitur. nam homo, ut dixi, ex quo natus est, Aegyptios affectus incolit, radicans in doloribus & uoluptatibus. deinde ceu in coloniam migrat ad uitia, ratione iam cernente acutius, & bonum malumq; intelligente, malum tamen eligente, quod multum mortalitatis habeat, quae malo est propria, sicut contrarium bonum ad Deum pertinet. Has natura uoluit esse patrias aetatibus. puerili affectum Aegyptum, pubescenti uitium Chananitidem. At sacra scriptura licet non ignara patriarum humani generis, submonet nos quid agendum, quid utile, praecipiens ut odio habeamus gentium leges institutaq; his uerbis. Et locutus est dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos. Ego dominus deus uester. iuxta consuetudinem Aegypti in qua habitastis non facietis, nec in legibus eorum ambulabitis. Iudicia mea facietis, & iuxta morem regionis Chanaan, in quam ego introducturus sum uos, non facietis.

Præce=

Præcepta mea facite, & ambulate in eis. Ego dominus deus uester. Custodite omnia præcepta mea & iudicia mea, & facite ea. Qui fecerit ea, uiuet in eis. ego dominus deus uester. Custodite omnia præcepta mea, & iudicia mea. Ergo uera uita consistit in dei præceptis & iudicijs, adeò ut mores impiorum adferant perniciem. quidam autem non perpendunt affectus & uitia, unde impiorum & facinorosorum multitudo exoritur. Ergo post exactum in Chananæa terra decennium Agarem ducamus, quando iam rationis participes, noxiam suapte natura ignorantiam & ineruditionem dediscimus. aliquanto post in numero perfecto denario legitimo eruditionem profuturam concupiscimus. Rationem autem denarii numeri diligenter exquisiuerunt musicorum filij, laudatam non mediocriter etiam à Mose sacratissimo: qui ad hunc numerum refert res pulcherrimas, uota, primitias, oblationes sacerdotum perpetuas, obseruationem paschatis, propitiationem, redeuntem quinquagesimo quoq; anno remissionem, & restitutionem in integrum, apparatus tabernaculi dissolubilis, aliaq; innumera, quæ memorare prolixum fuerit. tantum potiora non silebimus. Ante omnia Noe illum, qui primus in sacra scriptura iustus pronuntiatus est, à protoplasto inducit decimum, non ad indicandam annorum multitudinem, sed ut aperte doceat: quod sicut denarius numerorum qui decinceps unitatem sequuntur est perfectissimus: ita iustitia in anima reuera finis est uitæ actionum. nam ternio per seipsum multiplicatus ut faciat nouenarium, res bellicosa habetur in oraculis: superueniēs autem unitas ad
 explen=

QVAER. ERVD. GRATIA 609
 explendum denarium, amica existimatur. id colligitur
 ex nouem regnis, quando ciuili bello quatuor affectus
 contra quinque sensus insurrexerunt, & totam animam
 quasi ciuitatem adduxerunt in ruinam uastitatisque pericu-
 lum, quod sapiens ille Abraham decimus cum suorum
 manu superueniens sustulit. hic pro tempestate tranquil-
 litatem, sanitatem pro morbo, uitam, si uerum fatendum
 est, pro morte attulit fauente deo uictoriam affecutus,
 ob quam gratus obtulit ei decimas. quin & pecudum om-
 nium quae sub uirgam, id est, disciplinam ueniunt, &
 quae sunt cicuris mansuetique generis, decimas lex segre-
 gat, iubens ut consecrentur: ut tam multis exemplis di-
 scamus quam familiaris deo sit denarius, nouenarius ue-
 ro numerus mortali nostro generi. nec tantum anima-
 lium, uerum etiam omnium terrae fructuum decimae exi-
 guntur primitiarum nomine. Omnes, inquit, decimae, siue
 frugum siue arboreorum fructuum, consecratae sunt do-
 mino: & omnes decimae bouum ac ouium, & omnis pe-
 coris quod sub uirga numeratur decimae sacratae erunt
 domino. Viden ut etiam de hac mole nostra corporea,
 uere terrena & lignea, primitias imperat? nam uita, sa-
 lus, incrementum, sanitas, per diuinam ei contingunt gra-
 tiam. Viden ut etiam de brutis quae nobis insunt anima-
 libus, hoc est sensibus, idem praecipitur? nam uisus, audi-
 tus, odoratus, gustus tactusque, diuina sunt munera, gra-
 tiarum actione dignissima. Verum non ob haec solum ter-
 rena, lignea, corporea, nec ob brutas animantes, sensus
 uidelicet, benefactorem laudare docemur: sed & ob men-
 tem, quae proprie homo est in homine, potior in dete-
 riore.

riore, immortalis in mortu obnoxio. ideò ut puto, primogenita omnia sibi consecrauit, pro quibus decimam Leuiticam inquam tribum accepit, ut essent qui conseruarent custodirentq; sanctitatem & religionem ceremonialium, quæ ad dei cultum referuntur. nam præcipua nostri pars est ratio, & dignum est, ut intelligentiæ, solertiæ, sagacitatis, prudentiæ, & cæterarum eius potentiarum, offerantur deo primitiæ, qui has dotes cumulauit largiter. hac occasione permotus ille meditator inter precandum ait: Omnium quæ mihi dederis seponā tibi decimas. Et oraculum quod post uictoriales preces scriptum est, quas ille à seipso consecratus sacerdos Melchisedec precatur: Dedit, inquit, ei decimas omnium, de sensibus bene sentire, de uerbis bene dicere, de mente bene cogitare. Pulcherrimè igitur simulq; necessariè per speciem enarrationis, quando cælestis illius & diuini alimentum monumentum in urna aurea consecratum est, ait: quod Gomor erat decima pars trium mensurarum. In nobis enim ipsis tres mensuræ uidentur esse, sensus, ratio et mens. sensibilia sensu, uerba & orationes ratione, intelligibilia mente metimur. de his singulis tribus mensuris primitiæ sunt offerendæ quasi quædam sacræ decimæ, ut & sermones & sensus & intellectus inculpabiliter sanctiq; iuxta deum se habeant. hæc enim demum uera est iusta mensura, nostræ autem falsæ iniustæq; merito igitur & in sacrificijs decima pars mensuræ simile cum uetitis in altare infertur, manante nobis reliquo nouenario numero. huc facit & quotidianum sacerdotum sacrificium. His enim præceptum est, ut decimam partē ephraimæ
simile

QVAER. ERVD. GRATIA 607.
similæ semper offerant. Didicerant enim transceso nouenario sensibili existimato deo, decimum & solum uerum uere colere. in nouē enim partes mundus distribuitur, octo in cælo, supremum orbem & septem reliquos erraticorum siderum similes cursus habentium: nonam autem terram cum aqua & aere. Horū enim una est cognatio, uariis mutationes recipiētium. Vulgus autē has nouem partes et compactum ex his mundum colebat: at uir perfectus superiorem his opificem earum deum decimum. emergens enim super omnia eius opera desiderabat artificem ipsum, supplex eius cultor fieri cupiens. in deo decimas perpetuas decimo illi qui solus æternus est, dedicat sacerdos, quod propriè animæ pascha dicitur, omnium affectuum et omnium sensibilibus trāsitus dum properat ad decimum illud quod est diuinum & intelligibile. scriptum est enim: Decima mensis decimi sumat unusquisq; agnum per domos singulas: ut à decima illi decimo consecrentur uictimæ seruatae in anima duas è tribus partes illustratas habente, donec in totum uersa in splendorem cælestem, uelut luna toto orbe fulgida, per duas septimanas aucta, non solum custodire, sed & sacrificare iam ualeat integras & inculpatas hostias, id est, propitiationes. hoc enim fit mensis decima, anima illum decimum deum inuocante suppliciter, edocta quàm humiles & nihili creaturæ sint, & quàm immenso interuallo excellat inter omnes eas ille ingenuus. Quapropter propitius uel absque propitiatione fit seipsos damnantibus & contrahentibus non iactabundis & fastu turgidis. hæc est remissio.
hæc

hæc libertas absoluta animæ, pristinum errorem excu-
 tiens, & transeuntis ad nunquam errantem naturam,
 redeuntisq; ad sortem quam olim acceperat, cum magni-
 fice spiraret, & uigeret honestis laboribus. tunc enim
 eius certaminibus delectatum illud sacrum uerbum, de-
 dit ei præmium eximium sortem immortalem, & ordi-
 nem in genere incorruptibili. hoc & ille sapiens Abra-
 ham supplex orat, imminente incendio, uerbotenius qui-
 dem terræ Sodomiticæ, re autem animæ bonorum re-
 rum sterilis & orbata rationis oculis: ut si inueniatur in
 ea denarius celi reliquæ quædam iustitiæ, detur ei ue-
 nia. Oritur autem supplicationem à remissionis nume-
 ro quinquagenario, & in denarium desinit, extremam
 redemptionem. & hoc est cur mihi uidetur Moses quo-
 que post tribunos, centuriones, quinquagenarios præfe-
 ctos, postremo decuriones eligere: ut si mens non possit
 per seniores ordines proficere, saltem purgetur per ul-
 timos. Pulcherrimum documentum etiam illius studiosi
 seruus didicit, quando mirifica legatione fungens per
 seipsum sapienti petebat in uxorem patientiam uirtu-
 tem cognatissimam. decem enim camelos assumit, in de-
 narij, hoc est rectæ institutionis memoriam, quod habe-
 ret herum multorum experimentorum memorem. su-
 mit & de bonis herilibus, non argentum aurumue, aut
 aliquam materiem corruptibilem: hæc enim Moses bo-
 na nunquam diceret: sed illa germana quæ solius sunt a-
 nimæ uiatice negotiationisq; destinata, doctrinam, profe-
 ctum, studium, desiderium, zelum, diuinationem, pro-
 phetiam, amorem bonorum operum: quibus rebus exer-
 citatus;

citatus assidue, iam uelut ex alto portum aspiciens, pro-
met in aures duas, singulas drachmam pendentis, et ar-
millas pondo aureorum decem, quas tradat puellæ offe-
renti hospitium. ô diuinum ornamentum, drachmani esse
auditionem, pondus propter unitatis naturam indiuisi-
bile: auditus enim non debet cuiquā uacare, nisi uni uer-
bo, quod uirtutes unius solius dei decenter exprimit: ar-
millas aut aureorum decem. nam sapientes actiones per-
fectis numeris firmantur, quarum unaquæq; auro pre-
ciosior est. Talis est et illa per optimates uiritim facta
collatio, dum anima ornatu accepto à philosophia festi-
dedicationis ageret, deo doctore et præceptore agēs gra-
tias. acerram enim aureorum decem plenam aromatis:
dedicat, ut uaporem è prudentia cæterisq; uirtutibus ex-
halantem, ille solus sapiens diiudicet. quo sacrificio ubi-
litate fuerit, Moses sacrum hyminum accinet, dicens:
Hauserit dominus odorem suauitatis: olfacere ponens pro
assentiri. non habet enim ille formam humanam, nec na-
ribus alijsue partibus instrumentalibus indiget. Paulò
post autem et dei tabernaculum è decem auleis cõstare
dicet. nam totius sapientiæ compages numerũ perfectum
sortita est denarium. sapientia porro aula est regie re-
gis onnipotentis qui solus imperat omnibus. hæc est do-
mus eius intelligibilis, altera uerò sensibilis mūdus hic,
quandoquidem et aulæ contexta sunt ex rebus qua-
tuor elementa significantibus, uidelicet bysso, hyacin-
tho, purpura, et cocco, quæ illa numero referunt. Byssus
terram significat ex qua nascitur. hyacinthus acrem ni-
gricantē suapte natura. aquam purpura, quòd hæc tota

stura è mari petatur, aliter dicta conchilium. postremo ignem color coccinus, cui simillimus est. Rursum Aegyptum rebellem, quando aduersariam mentem uenerata regni traditis insignibus eam ornauit, solio, sceptro, diademate, decem plagis castigat ille rerum arbiter omnipotens. Idem sapienti Abrahamo pollicetur, nec plures nec pauciores, sed decem gentes se deleturum, & harum agros daturum se illius posteris: denarium ducens idoneum ad omnia, tam ad honorem quam ad poenam, tam ad laudem quam ad uituperium. uerum ista quorsum memorare pergitur, cum sacram illam diuinamque concionem X. in uniuersum preceptis Moses absoluerit? quæ sunt capita iuris diuini in leges plurimas partiti, radices, initia, fontes perennes mandatorum, iussa uetitaque continentium, ad utilitatem illorum qui ea recipiunt. merito igitur decennio postquam è Chaldaea migratum fuerat, cum Agar contrahitur connubium. nec enim statim ubi ratione uti coepimus, languente adhuc mente artes liberales appetere possumus, sed confirmata iam ui intelligendi atque solertia, quando non superficialitatenus quasi aliud agendo; sed firma certaque sententia res complectimur. ideo mox in contextu additur illud, Ingressus est ad Agar. Conueniebat enim discipulo ut docti magistri ludum frequentaret, & disceret disciplinas naturæ humanæ congruas. Et nunc quidem discipulus ad doctrinam ire inducitur: sæpe tamen illa prior obuiam procurrit sine inuidia, & uenientes generose attrahit. Sic uirtutem Liam uidere licet occurrentem dicentemque Meditatori, Ad me ingrederis hodie, cum ille rure domum rediret. quò enim alio debuerat

QVAER. ERVD. GRATIA. SII
 debuerat ire seminum scientiæ plantarumq; curator,
 nisi ad cultam à se uirtutem? quæ nonnunquam uelut pe-
 riculum faciens discipulorum alacritatis & prompti-
 tudinis, non occurrit, sed uelata facie sicut Thamar, se-
 det in triuiu, pro meretrice se ostentans prætereunti-
 bus, ne quis curiosior uelum detrahat, & intemeratè
 uirginei; pudoris pulchritudinem decentissimam con-
 spiciat. Sed quis est ille quæsitore discendi cupidus, nihil
 indiscussum & inexploratum sinens, nisi summus. ille
 dux & rex, libenter perstans in icto semel cum deo fœ-
 dere, Iudas nomine: Diuertit, inquit, ad eam de uia &
 dixit: Sine me ut cocam tecum.] Nec ulterius molestus
 fuit, ut inspiceret quænam esset illa uelata potentia, &
 quid sibi quæreret. Cæterum post coitum scriptum est:
 Et concepit. nec exprimitur quis. Comprehendit enim
 ars quidem discentem, adamat sibi persuadens: disci-
 pulus uerò magistram, quoties discit auidè. Interdum e-
 tiam quampiam ex indifferentibus scientijs proficiens,
 & discipulum nactus ingeniosum, iactat suam doctri-
 nam, credens se solum autorem eruditionis suis audito-
 ribus, atq; ita supinus incedit, & inflatus obducto super-
 cilio, & à uolentib. eum sectari magnam mercedem po-
 stulat: si quos autem sentit sitientes eruditionis, sed pau-
 peres, auersatur, quasi solus inuenisset thesaurum sapi-
 entię. hoc est illud in utero concipere, turgere inflariq;
 supra modum: quod recidit in dedecus disciplinarum in-
 differentium, quas quidam ita dehonestant suapte natu-
 ra honestissimas. Quotquot igitur animæ cum pruden-
 tia sunt rebus grauide, pariunt nihilominus confusa

discernentes separantesq; sicut Rebeca. postquam enim utero concepit scientiam discordium rerum uirtutis et uitij, fecunditate usa utramq; naturam distinguit et separat. Quotquot autem sine prudentia concipiunt, aut abortiunt, aut contentiosum quempiam sophistam iaculatorem sagittariumq; uel telis uelitationibusq; impetuum pariunt. Et merito. multum enim interest inter contipientes et grauidas. nam quæ se putant grauidas, partum sibiipsis ascribunt, eumq; iactant sermonibus. at quæ non dedignantur concipere, fatentur se nihil habere proprium, sed semina atq; genituras externè infusas cõfouere, et autorem harum ueneratæ, maximum malum, scilicet sui amorem, per bonum perfectum, scilicet pietatem, depellunt. Ad eundem modum etiam legum humanarum iacta sunt semina. Erat uir quidam, inquit scriptura, de tribu Leui, nomine Amram, qui accepit uxorem de filiabus Leui. Ea grauida facta peperit filium: quem cum uiderent elegantem, absconderunt tribus mensibus. hic est Moses ille purissimus intellectus, uerè elegans, qui numinis afflatu correptus legislatoriam ac propheticam facultatem adeptus est, ex genere natus Leuitico paterna stirpe maternaq; florens et cognatus ueritati. maximū autē quiddam primus tribus huius autor pollicetur. audit enim dicere: Ipse mihi solus deus colendus est, aliud præterea nihil, non terra, non mare, non fluuij, nō aeris uentorumq; natura, non tempestates, non animalium plantarumq; species, non sol, non luna, non multitudo stellarum ordine certo decurrentium, non cælum nec mūdus uniuersus: quod promissum est magni generosiq; animi,
emergere

emergere supra creaturā & terminos eius traicere, uni
 adherendo Ingenito, iuxta sacra præcepta, quæ id diser-
 te imperant. itaq; pro hac assiduitate cultuq; non inter-
 misso reddit eis sortem seipsum. Fideiubet autē pro hac
 mea promissione oraculum dicens, Dominus hæreditas
 eius. Tales partus grauidæ magis quàm cōcipientes ani-
 mæ solent parere. Quemadmodum autē corporis oculi
 modo obscure modo clarè uident: similiter etiam animæ
 oculus aliquando confusiores & incertas, aliquādo cla-
 ras manifestasq; rerum proprietates cōcipit. sed ille ob-
 scurus & incertus conceptus similis est fœtui nondū for-
 mato in utero: clarus autem & manifestus effigiem hu-
 manam habenti & discretas formas artuum, de quibus
 extat lex scripta ualde bona & perutilis. Si rixantib; ui-
 ris duobus alter percutiat mulierem grauidam, & illa
 puerum informē eiiciat, multa mulctabitur ex mariti
 arbitrio, eamq; mox repræsentabit. Quod si formatus
 fuerit, dabit animā pro anima. non enim erat simile, per-
 fectum & imperfectum mentis opus corrumpere, neq;
 coniectura tantundem ualet quātum scientia, neq; spera-
 ta res quātum possessa. Ideò pro incerto incerta multa
 statuitur: ubi finitum est facinus, lex quoq; pœnam desi-
 nit. quod intelligitur non de uirtute, sed de arte aliqua
 inculpabili. Hoc fœtu prægnans est; non quæ concepit,
 sed grauida, inflata opinione. nam eam quæ cōcepit ab-
 ortire nō est possibile, quòd credibile sit absoluturum ta-
 lem fœtum ipsum qui genituram indidit. at grauida non
 est mirū si quid secus accadat, quòd hæc ægrotet sine me-
 dico. Caue autē de Agar dictum putes, quòd uidisset se-

R 3 ipsam

ipsam concepisse, cum dicitur, uidens quod concepit, sed de hera hoc intelligitur Sarra. nam paulò post ipsa de seipsa dicit: Videns se concepisse, parata est coram ea. cur ita? quoniam indifferentes artes, & harum sectatores, uident se graues utero, sed quid gestent non satis uident: scientiæ uerò cernūt suos foetus manifestissime. nam scientia maior est quàm ars, quippe ratione confirmata stabilitaq; sic enim definitur: scientia est ex multis intellectis facultas, meditatione acquisita, ad finem aliquem bonum ac utilem: quæ clausula rectè additur, ut malas improbat. uq; artes excludat. porrò scientia per rationem retinetur constanter atq; firmiter. proinde musicam, grammaticam, & harum cognatas uocamus artes. nam quicunq; in his sunt absoluti, dicuntur artifices, musici & grāmatici. philosophiam uerò & ceteras uirtutes, scientias, & qui hæc tenēt, scientijs præditos, ut sunt prudentes, temperantes & philosophi. quorum nemo fallitur in placitis exultæ à se scientiæ, sicut supra dicti falluntur in artium suarum contemplationibus, nam sicut oculi uident, sed mens clarius per oculos, & aures audiunt, sed mens per aures melius, & nares olfaciunt, sed anima per nares efficacius: item ceteri sensus obiecta sua percipiunt, sed mēs per eos purius atq; sincerius (loquēdo enim propriè, hæc ipsa est oculorum oculus, & auris aurium, & in unoquoq; sensu sensus sincerior, utens illis tãquam pro tribunali apparitoribus, sed ipsa naturas subiectorum iudicans, & quædam auersans, alijs assentiens) sic artes quæ dicuntur indifferentes siue mediæ, corporis potentijs similes, contemplationes suas tractant

tractant simpliciter, scientiæ uerò suas diligentius & cum summo examine. nam sicut intellectus ad sensum, sic ad artem se habet scientia nam anima est quidam (ut iam dixi) sensus sensuum. illarum igitur singulæ exigua quædam in rerum naturis sibi uindicant, circa quæ occupantur, lineas geometria, sonos musica, uniuersam uerò naturam philosophia. nam materia circa quam uersatur, est mundus hic, & tota uisibilis ac inuisibilis essentia. Quid igitur mirum si cum uniuersum uideat, uidet etiam partes, & quidem quàm illæ melius, quippe illustrata maioribus acutioribusq; oculis: ut merito herap philosophia medium cruditionē ancillam suam prægnantem uideat, potius quàm illa seipsam. Quis enim ignorat quod omnibus particularibus scientijs principia seminaq; indidit philosophia, ex quibus speculationes earum germinant: nam æquilateræ, obliquæ, circulares, multiangulæ aliæq; figuræ, inuenta geometriæ sunt. ceterum punctum, superficiem, lineam, solidum, non item inuenit geometria. Quomodo enim illa definiret punctum esse quod in partes non diuiditur, lineam longitudinem sine latitudine, superficiem longitudinem tantum cum latitudine, solidum quod tres dimensiones habet, longitudinē, latitudinem, altitudinem. hæc enim ad philosophiam attinent, & definiendi negotium est philosophi. item scribere legereq; est minus perfectæ grammaticæ, quam quidam torquentes uocabulum grammaticistiam uocant: perfectioris autem poetarum historicorumq; explicatio. Quoties igitur de orationis partibus differunt, nonne tunc de inuentis philosophiæ

quiddā sibi usurpare uidetur? huius enim est proprium
 disquirere, quid coniunctio, quid nomen, quid uerbum,
 quid cōmune nomē, quid proprium, quid defectiuum, in
 oratione, quid completum, quid affirmatiuum, quid in-
 terrogatiuum, quid percōtatiuum, quid complexiuum,
 quid bonum malūue. nam de per se absolutis, & pro-
 positionib. & prädicamentis huius est tractatio. iam se-
 miuocalium, uocalium, mutarumq; literarum discrimi-
 na, & quomodo pronuncientur singule, & omnes ele-
 mentorum atq; partium orationis proprietates, nōne
 à philosophis elaboratæ absolutæq; sunt? quæ isti fures
 tanquā de torrente paucas aliquot guttulas cum in ani-
 mas suas instillauerint, nō pudet eos furta ostentare quæ
 si res proprias. Quamobrem elati & sibi placentes con-
 temnunt dominam, penes quam solam est harum cōtem-
 plationum autoritas. eum contemptum illa sentiens co-
 arguet ingenuè dicēs, Iniuriam patior, uobis pacta non
 seruantibus. ex quo enim complexi estis ista rudimenta
 disciplinarum nata è mea famula, exhibetis ei honorem
 uxori debitum, me uerò sic auersamini, quasi nunquam
 iūctam matrimonio. Verum hæc fortassis est nihil aliud
 quàm suspicio, me ex aperta consuetudine uestra cum
 mea pedisequa, coniecturam non admodum certam su-
 mente alienati à me animi. quæ an uana sit, soli deo no-
 tum est, præterea nemo facile iudicauerit. ideò proprie
 loquitur: Iudicet deus inter te & me: non prædamnans
 tanquam iniquè agentem, sed ambigens quasi fortassis
 æquum faceret, quod non ita multo post certo comper-
 tum fuit, dum se defendens, & hæitationi eius medici-
 nam

nam adhibens ait, En tibi puellam trado in manus tuas, utere hac sicut tibi libet.] Nam qui puellā dicit, utrunque fatetur, & conditionem seruilem, & ætatis imperitiam. nam puellæ nomen utriusq; rei significationi conuenit. Simul fatetur & contraria, puellam adultæ, dominam opponens ancillæ: tantum non in faciem reclamās: equidem encyclopædian ut iuniorem & puellam in delicijs habeo, scientiam uerò coniunctam cum prudentia ut maturam matronam honore prosequor. Quod autem dicit, in manus tuas, subiectionem quidem significat, uerum non hanc solam, sed etiam quiddam aliud: uidelicet quod res ancillæ sint in manu corporis: corporis enim instrumentis & potentijs opus habent artes liberales: res autem dominæ ad animam attineant. ad rationem enim refertur tum scientia tum prudentia. itaq; quanto præstantior, efficacior, & modis omnibus potior est intellectus utilitas, tanto pluris facio scientiam prudentiamq;, quàm istam musicam unam ex artium liberalium numero. Proinde cum sis & habearis à me domina, sume, inquit, omnem meam eruditionem, & non secus quàm ancilla, utere pro arbitrio tuo: quod scio fore non iniquum, etiamsi non tam iucundum quàm utile fuerit, & minimum suauitatis habuerit. bona enim & utilis est castigatio his qui hac indigent: quam aliter afflictionem sacra scriptura nominat. Quapropter mox additur, Et afflixit eam: ac si diceret, castigauit & coegit officium facere. hoc enim plurimum confert ocio corruptis & licentia, sicut calcar equis contumacibus. Tales enim egrè mansuescunt, & uix domantur scuti-

ca. an non uides horum præmia? insultant uiris probatis, dilatantur, pinguescunt, sumunt magnos spiritus. dein assequuntur impietatis suæ misera præmia, nimirum & ipsi miserabiles infortunatiq; dum coronantur & pronunciantur præcurrisse omnes impios. affluentibus enim leniter felicitatibus, putabant se deos aureos & argenteos, oblectati adulterinis numismatibus, obliui eius Qui uerè est. Testis est Moses, dicens: Impinguatus, incrassatus, dilatatus, deseruit Deum factorem suum. Itaq; si nimia dissolutio maximum morbum impietatem parturit, ediuerso legítima castigatio bonum gignit perfectissimum, illam tantopere laudatam emendationem. Vnde factum est quod primarium festum azymorum, per panem afflictionis significatur: quauis nemo nesciat celebritates exhilarari epulis & letis conuictibus, non afflictionibus: sed liquet hanc uocem per abusum accipi pro labore castigatorio. nam maxima plurimaq; bona meditationibus parantur & laboribus iuuenilibus. At animæ festum est rerum optimarum æmulatio, & labor ad perfectionem properantium. Quamobrem præceptum est ut azyma edantur cum amaris lactucis agrestibus, non ut sint uice obsonij: sed quia cohibere concupiscentias ne feruescant & turgeant, quidam putant amarum, non uolentes consuetos affectus dediscere, quod mens certaminum auida habet pro festiuis delicijs. Hanc ob causam, opinor, in loco qui amaritudo uocatur, lex data fuit. nam iniuriam facere suaue, laboriosum uerò est iuste agere: quæ quidem est uerissima iuris regula.

Egressi

Egreſſi, inquit, ex affectionibus Aegyptiacis uenerunt in Meran, ubi non poterant aquam bibere, adeo fuit amara. Vnde loco nomen impositum Amaritudo, & mirum trauit populus contra Moſem dicens, Quid bibemus? Clamauit autem Moſes ad dominum, & ostendit ei dominus lignum, quo inieſto in aquam dulcis eſt redditam. In eo loco datae ſunt ei iuſtificationes & iudicia, & ibi tentauit eum dominus. eſt enim certiffimum experimentum animae in labore atq; amaritudine: alioqui non facile quò uergat diſcernitur. Nam multi nimis cito deſeſſi ſunt, non ferentes laborem grauem aduerſarium, manus prae languore demittentes ſicut athletae qui deſperant de uictoria, certi ad Aegyptiarum affectionum delicias recurrere. alij uero horrendos grauesq; deſerti labores tolerando fortiter, inuicti perdurauerunt in uitae certamine, contendentes aduerſus naturae neceſſitates, adeo ut famem, ſitim, algorem, æſtum, à quibus ceteri facile uincuntur, ipſi deuincerent. in cauſa fuit non ſolus labor, ſed cum eo coniuncta dulcedo. legimus enim aquam dulcem redditam. quae dulcedo laboris Græcis *φιλονομία* uocatur. talis enim dulcedo nihil aliud eſt quam amantis honeſtatem zelus, amor & deſiderium. nemo igitur huius modi afflictionem reſugiat, nec putet feſtas epulas uocari panem afflictionis tanquam noxias ac non potius utiles. nam anima caſtigata nutritur eruditionis placitis, ceterum opus hoc piſtorium fermento carens adeo ſacrum habetur, ut oraculo præceptum ſit xij. panes non fermentatos pro numero tribuum in ſacrario proponi ſupra menſam auream, qui panes propoſitionis uocantur.

tur. lege quoq; cautum est. ne quid fermēti aut mellis in-
 fratur in altarium. est enim difficile uel dulcedines uo-
 luptatum corporis, uel inanes tumores animæ, consecra-
 re tanquam puras, cum suapte natura impuræ ac profā-
 næ sint. nōne igitur meritò fatidicus sermo nomine Mo-
 sis dicit: Memento uiarum omniū, per quas te duxit do-
 minus deus in deserto, ut affligeret te, & tētare ac pro-
 baret cor tuum, num custoditurus esses mandata eius,
 nunquid afflixit te & fame preßit, ac mox cibauit man-
 na, quam non gustarant patres tui, ut doceret te, quod
 non solo pane uiuet homo, sed in omni uerbo quod egre-
 ditur ex ore dei. Quis igitur tam profanus est ut credat
 tortorem deum, qui famem lethi genus miserrimum in-
 ducat super homines non ualentes sine cibo uiuere? Est
 enim bonus & causa rerum bonarum, benefactor, ser-
 uator, altorq;, diuitiarum donator munificentissimus, à
 profana malignitate alienissimus. Sic enim onera terræ
 Adamum Cainumq; profligauit è paradiso. ergo nō de-
 bemus uerbis seduci, sed eorum occulta significata dispi-
 cere, & afflictionem interpretari castigationem admo-
 nitionem eruditionemq;. Quod autem scriptum est, ob-
 iectos eos fami, nō de cibi potiusq; inopia dicitur, sed uo-
 luptatum, concupiscentiarum, timoris, doloris, iniquita-
 tum, & in uniuersum omnium quæ aut uitiorū sunt effe-
 ctus aut passionum animæ. Attestantur mihi quod mox
 sequitur: Cibauit te manna. Eum cibum sine labore cu-
 raq; hominum, non è terra more consueto editum, sed
 cælitus exhibitum prodigiosa beneficentia, utrum famē
 afflictionemq; oportet dicere, an potius ubertatem &
 copiam

copiam quæ inuitet ad secure uiuendum sub diuinis legibus? Sed uulgus gregariū putat eos male saginari qui pascuntur diuinis eloquijs. nec mirum, quandoquidem nullum unquam gustum cepit alentis omnia sapientiæ. Proinde uulgo ignotum est, in quanta illi felicitate atq; hilaritate uitam exigant. Est igitur afflictionis quoddam genus utile, in tantum, ut etiam uilissima huius pars, nempe seruitus pro magno bono imputetur. Optat hanc in sacris literis pater suo filio, uir optimus Isaac insipienti Esau, dicens: Gladio tibi uictum parabis, et fratri tuo seruias: utilissimum iudicans ei qui paci bellum prætulerat, et arma tanquam pugnator gestabat propter intimam seditionem animæ, seruire præstantiori, et omnia mandata diligentis temperantiam obedienter exsequi. Quapropter uidetur mihi quidam è Mosis discipulis nomine pacatus, qui patra lingua Salomon uocatur, dixisse: Fili caue contempnas disciplinam Domini, et castigatus ab eo noli despondere animum: quem enim diligit arguit, et flagellat omnem charum filium. Tam præclara res habetur correptio castigatioq;, ut hoc certo signo dignoscantur dei cognati. Quæ enim potest esse maior cognatio, quam quæ filio cum patre intercedit? Sed ne uideamur uerba uerbis attexendo de industria sermonem protendere, manifesto argumento fidem iam dictis astruemus, quod uel solum possit satis docere, esse genus quoddam afflictionis quod ad uirtutē pertineat. extat enim lex huiusmodi. Omnem uiduam et pupillum non affligetis. Quod si afflixeritis eos uitio. Quid ait? Ergo potest aliquis affligi aliter, alioquin superfluum esset

esset manifesta inculcari, quæ uel absq; additamento intelligi poterant. Sed respondebit utique: Noui equidem etiam uirtute afflictos, & castigatos à prudentia. ideo nō omnem afflictionem culpo, sed iustam legitimamq;, qua obiurgatus corrigitur, ualde approbo. Stultam uero ac malam, ut noxiam merito uitupero. Cū igitur Agarem afflictam à Sarra audis, nihil suspiceris de muliebri zelotypia. nam non de mulieribus sermo fit, sed de meritis, quarum altera eruditur artibus ætati primæ comuenientibus, altera in stadio uirtutis exercetur.

PHILONIS IV

DAEI, DE PROFUGIS,

Liber.



IT afflixit eam Sarra, & aufugit ab eius facie. inuenit autem eam angelus domini ad fontem aque in solitudine, qui fons est in uia Sur: & dixit ad eam angelus domini: Ancilla Sarrae unde uenis, & quò uadis? quæ respondit: à facie Sarrae heræ meæ fugio. cui angelus domini: Reuertere ad heram tuam, & humiliare sub manu eius. Et rursum: Prægnans es, inquit, & paries filium, uocabisq; nomen eius Ismael. hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum,] Postquam

quam superiore libro de eruditione & de afflictione satis diximus, deinceps de profugis locum tractabimus. nam sepe scriptura mentionem facit de fugientibus, sicut nunc de Agare, dicens quòd afflicta aufugit à facie heræ suæ. cæterum fugæ tres causas equidem existimo, odium, timorem, pudorem. nam præ odio mulieres viros, & uiri mulieres, deserunt. præ timore, parentes liberi, et serui dominos. præ pudore amicos amici, si quãdo offensus interuenit. Quin & patres noui, qui uita molli assueti, cum reuererentur filios uersos ad uitã austera & philosophicam, maluerint præ pudore rusticari, quàm in urbe domi habitare. harum trium causarum & sacra scriptura meminit. certe mediator ille Iacob præ odio Labanem socerum, præ metu Esau fratrem, fugit, ut mox docebimus. Agar uero præ pudore discedit. id inde colligitur, quod occurrit ei angelus dei uerbum, qui officij moneat eam, & in heriles ades reuertere iubeat: qui etiam confirmans eam, Exaudiuit, inquit, Dominus humiliationem tuam, non à timore profectã nec ab odio: qui affectus uel ignaui animi sunt uel irritabilis: sed à pudore imagine modestiæ. alioquin si præ metu fugisset, debuerat heram ad æquanimi-
tatem hortari. sic enim profugæ patuisset reditus, non aliter. uerùm apud illam nemo intercedit, iam ante per se placatam: hanc uero beneuolus amicus & consultor arguens docet non solum pudorem adhibere sed & audaciam. pudorem enim dimidiatam uirtutem esse absq; fiducia. cæterum exquisitiores harum rerum formas spectabimus ubi series orationis eò nos deduxerit. Reuer-
ta

mur ad proposita capita, incipiendo à præ odio fugientibus. Celauit, inquit, Iacob Labanem Syrum, nec inuicauit ei de fuga, & aufugit cū rebus suis omnibus. Quæ igitur fuerit causa odij, fortasse quærat aliquis. Sūt quidam qui essentiam illam qualitate omni & specie formāq; carētem sibi deum fingunt, motorem eius & autorem nec scientes nec cupientes ex alijs discere, ignorantem rem cognitu pulcherrimam, cuius scientia prima solaq; paranda erat summo labore ac studio. in his Labā est. nam gregem non signatum ei tribuunt oracula. est autem siue signo in uniuerso materia carens qualitate: inter homines autem inerudita & nullo unquā usa prædago anima. Rursum alij potiores his aiunt intellectum aduentu suo disposuisse omnia. et sublata uulgi ad ministratione ex perturbata republica, legitimi regni formam induxisse. ex hoc sodalicio Iacob est, magister pecoris uarietate signati. Insignita enim & uarienotata est in uniuerso quidem species, in hominibus autē mens docilis & discendi auida. ergo suapte natura societatis amicus insignis amatorq; ueræ monarchiæ, uenit ad illud nullo signo nobilē, materiales, ut dixi, sibi pro deo consecrantem principatus, & nullos præterea credentem, ut eum errare doceat. creatus est enim mundus & omnino aliquem autorem habuit. uerbum autem creatoris, signaculum est illud, à quo quicquid est formā accipit. ideo primis creaturis perfecta species contigit, ut pote ad imaginem perfecti uerbi expressa. nam animalia quantitatem perfectam non habēt, sicut liquet ex incrementis per ætates accedentibus. qualitas autem per-

fecte

fecta est, & eadem semper manet, quippe quæ à semper manente fuit expressa, uerbo dei nūquam mutabili. Sed quia monitor hic animaduertit se surdo canere, merito de fuga cogitat, nimirum metuens ne illi nihil profit, & insuper ipse damnum accipiat. Nocet enim cōuictus et consuetudo cum insipientibus: quia sepe accidit, ut anima etiā inuita aliquid contagij sibi affricet: & alioquin male cōuenit eruditioni cum ineruditione, & industriæ cum segnicie. quamobrem clamant meditatorie potentie uociferanturq; non dissimulando causas odij: Nunquid est nobis portio hereditatis in domo patris nostri? nonne quasi alienas reputauit nos? uendidit nos, & deuorauit nostrum pretium. opes & gloriæ, quas deus patri nostro abstulit, nostræ fient liberorumq; nostrorum. nam cum sint & appellentur ingenuæ, non putant ullum insipientem uel clarum esse uel diuitem, sed omnes ex æquo pauperes ac ignobiles, etiamsi regum opulentissimorum fortunas superent. non dicūt enim patris opes, sed ablatas patri, nec gloriam illius, sed ablatā ab eo gloriam, se habituras. priuatur autem malus ueris diuitijs & uera gloria. Nam hæc bona parantur per temperantiam & prudētiam & his cognatas habitudines, quæ animi generosi hereditario iure possident. ergo nō possessiones mali uiri, sed quæ ille amittit, claritas ac opes ad bonos perueniunt. amittit autem uirtutes, quæ his in possessionem cedunt, iuxta illud quod alibi legitur: Abominationes Aegypti sacrificemus domino. perfectæ enim & inculpatae uictimæ uirtutes sunt, & operationes his congruæ, quas illud Aegyptium affectibus

Philo. to. 1.

S

obno-

obnoxium corpus abominatur. nam sicut hic idola Aegyptiorum execranda Israelitis perspicacibus dicuntur, & mactantur omnia: sic quæ amittit quiuis insipiens, ea perueniunt ad honestatis amicum iure hæreditario. ea sunt, uera opinio, nihil differens à sciētia, & diuitiæ, non qualis cæcus ille Plutus, sed cernētes acutissime nulum adulterinum numum admittentes, imò nihil inanimatum, etiamsi alioqui probatum sit. merito igitur homo diuinorum bonorum expers deseritur, qui dū alium accusare conatur, imprudens seipsum culpatur, dicendo, Si indicasses mihi, dimisisses te.] Atqui ob hoc ipsum dignus eras deferi, quod innumeris dominis seruiens, principem te simulas, & libertatem polliceris alijs. Ego uero itineris ad uirtutem ducentis auxiliatorem hominem non accipio, sed obedio iubenti hinc discedere oraculo, cuius ductum sequor nunc quoq; sed quomodo me dimisisses? nimirum ut iactas, cum hilaritate mihi molesta, & insuauis musica, cum tympanorum strepitu nihil significante, & obtundente aures animæ, cum inconcinnis citharis, æque ac uita cætera. Imò hæc ipsa sunt quæ statui fugere: & tu putas me sic posse retrahi, ut cursum reflectam ad sensus natura fallaces, quos nunquam libenter attigi. Hæc est fuga cuius causa fuit odium: dicemus & de ea quæ præ metu fit. Dixit, inquit, Rebecca ad Iacob. Ecce Esau frater tuus necem tibi minatur. Nunc igitur, mi puer, audi uocem meam, & surgens fuge ad Labanem fratrem meum in Charras: habitabisq; cum eo dies aliquot, donec auertatur ira fratris tui, & obliuiscatur eorum quæ commisisti in eum, & ego te accersam.]

sam.] Timendū est enim ne deterior pars uel clā per in-
 sidias, uel aperta ui meliorē opprimat: et optime cōsult
 Rebecca recte sentiēs patiētia. Si quādo uidebis, inquit,
 uitiū magno impetu ferri contra uirtutē, & ista contē-
 nenda magni facere, diuitias, gloriam, uoluptatem, &
 ideo laudare iniustitiam, ut causam horum quæ nomi-
 nauimus, eo quod ad opes ac gloriam iniusti ante om-
 nes perueniant: caue ne statim diuersam uiam ingredia-
 ris, uersus ad egestatem & humilitatem, ne uē tetricam
 uitam ac solitariam instituas. irritares enim aduersa-
 rium, & molestiorem inimicum tibi parares. aduer-
 te igitur quomodo petitiones eius euitare ualeas. uer-
 sare cum eisdem, non dico studijs, sed obiectis eorū quæ
 diximus, honoribus, potestatibus, argento, auro, pos-
 sessionibus, coloribus formisq; eximijs & elegantijs. eo
 nactus, ut bonus opifex, optimas species materiārum nota-
 to, unde laudabile opus facias. an nescis, quod imperitus
 si nauē accipiat apud ferendis tempestatibus, subuertit
 eandē gubernator exercitatus saepe seruat ē naufragio?
 itidē agroti ab imperitis medicis uexati periculum salu-
 tis incurrunt: ediuerso à peritis adiuti, etiam ē periculo-
 sis morbis euadūt: et quid multis uerbis opus est? Sēper
 quod ex arte fit, inertia redarguit & imperitia: ut si lau-
 des illud, eadem opera diuersum uituperes. Ergo si uis
 opulentū ut malum redarguere, ne auerferis pecuniariā
 copiam. nam ille miser mature se ostēdet, aut sordidum
 appensorem. obolorum & illiberalē in fœneratorem,
 aut luxu perditum & promum magis quā condum,
 meretricum, lenonum, productorum, & huiusmodi

*ſodalitijs patronum fauctoremq; profuſiſſimum. tu uero collationes facies in amicos pauperes, munificus eris erga patriam, pauperum parentum filias frugali dote au-
 gebis: tantum non in medium tua proponens, inuitabis ad fruendũ quotquot digni fuerint hac gratia. pari mo-
 do ſi ambitioſo & gloriæ mancipio uis exprobrare mi-
 ſeriam, & potes ipſe honores adipiſci, ne auerſeris lau-
 dem publicam. ſic enim ſupplantabis illum faſtuoſe ince-
 dentem & gerentem ſe magnifice. ille abutetur ſua clari-
 tate ad iniuriam & contumeliam aliorum ſe præſtatio-
 rum, ſauens contra eos deterioribus. tu contra cum om-
 nibus dignis communicabis honorem, ſecuritatem parās
 bonis uiris, reliquos admonendo corrigens. quod ſi ad
 compotationem aut ſumptuoſum conuiuium eundem
 erit, ito cum fiducia, intemperantem pudefacturus tua
 dexterritate. nam ille pronus, & concupiſcentias prius
 quàm os diducens, auide ad ſaturitatem ingeret etiam
 quæ proximis ſunt appoſita, nec pudebit eum ligurire
 omnia. moxq; cibo differtus, ſpumantem paterā, ut poe-
 tæ loquuntur, hauriet, conuiuiſ iridentibus & cauillā-
 tibus, tu uero ſi nemo cogat, cōtentus eris modicis: quod
 ſi quando neceſſe habebis frui largius, ratione in conſi-
 lium adhibita nunquam uoluptatem uertes in moleſtiā:
 ſed ut ita loquar, ſalua ſobrietate ſies ebrius. non iniuſte
 igitur ueritas incuſare poſſet eos qui temere deſerūt ui-
 tam ciuilem & curam augendæ rei domeſticæ, dicuntq;
 ſe gloriā & uoluptatē contemnere, arrogantia eſt iſta
 non contemptus, ſordidatos & triſtes dure tetriceq; ui-
 tam ſuſtentare, atq; ita inefſcare homines, uenditando ſe
 pro*

pro honestatis frugalitatis patientiæq; amatoribus. sed qui perspicaciores sunt non decipiuntur, dum intus eos quam in cute spectare malūt. remotis enim istis uelamentis, quod post ea lateat considerant: ac tum demū si quid est boni admirātur, dānant contraria, et fucatos histriones auersantur. hoc genus homines sic appellandi sunt. Cur ita uobis placet uita solitaria semotis à populo? quod specimē probitatis prius edidistis? pecuniā cōtēntis? scilicet quia iuste prius eā tractastis. simulatis uos uētris & eorū quæ sub uētre sunt uoluptates negligere: abstinuistis ne ab his cum haberetis earū copiam? at gloriā cōtēntis. fuistis ne unq̃ modesti in honoribus? reip. curā deridetis, fortasse quia q̃ utilis sit nō intelligitis. exercitati prius in publicis priuatisq; negotijs, in germanis uirtutib. politica & economicaq; & usu parta harū peritūtia, transiistis ad aliā uitæ rationē meliorē scilicet. docet enim in actiua uita periculū facere, eū qui in contemplatiua exerceri uult. sic enim licebit otij pigritiæq; crimen effugere. sic & leuitis præcipitis ut fungantur ministerio usq; annuū L. deinde iam immunes contemplentur singula, bene actæ in ceremonijs uitæ præmiū accipientes aliam gaudentē sola consideratione rerū ac scientia. & alioquin etiā necessitas postulat, ut qui se putant digne affectare diuina, in iure humano prius consummati fuerint. est enim magna stultitia credere se affecuturū maiora, qui spe minorum frustratus sit. Innotesce igitur primum per uirtutes humanas, ut mox per diuinas fias commendatior. Hæc sunt quæ Meditatorem docet patientia. Difficiamus uerba eius diligentius. Ecce, inquit,

Esau frater tuus minatur tibi.] Quernus ille. & ob in-
 scitiam contumax mos, Esau nomine, irascitur: & por-
 rigens perniciosas escas, pecuniam, gloriam, uolupta-
 tes, cæteraq; id genus tuæ mortali uitæ insidiatur. tu ue-
 ro puer fuge præsens certamen: nondum enim adultus
 es robore, sed adhuc nerui tuæ puerilis animæ sunt mol-
 liusculi. ideo puerum eum appellat, simul affectus æta-
 tisq; uocabulo. nam exercitatorium morem iuuenē nec
 dum perfectum, dignum beneuolentia ducimus. talis au-
 tem idoneus est præmia proposita pueris auferre, cum
 non possit illa quæ uiri appetunt. uirorum uero præci-
 puum præmium est cultus solius dei. quapropter si quā-
 do nondum satis purificati, & contenti uitæ sordes ut-
 cunq; abluisse, ad religiosas aulas uenimus, mox resili-
 mus à limine, non ferentes durum uictum, assiduos labo-
 res & peruigilia. fugiendum igitur hoc tēpore et quod
 pessimum & quod optimum. pessimum quidem figmen-
 tum illud fabulosum, poema uersuum malorū & carmi-
 num, commentum ineruditum ac proinde durum atq; li-
 gneum, quod Esau præ se fert ipso nomine: optimū uero,
 anathema. genus enim destinatū diuino cultui oblatio
 quædā est dei, cōsecrata ad cuius solius summum sacerdo-
 tiū. nam cohabitatio cū malo nocet maxime, cū bono ue-
 ro perfectō periculosa est. itaq; Iacob & ab Esau fugit,
 & ablegatur à parentib. quippe qui meditator cum sit
 dimicans adhuc in certamine, fugit quidē uitium, sed nō
 potest cum perfectā uirtute uiuere, ut nullius præcepto-
 ris opera indigeat. ideo proficiscetur ad Labanē, nō illū
 Syriū, sed fratrem matris suæ. hoc est, ad uitæ claritatē per-
 ueniet.

ueniet. nam Laban candidus interpretatur. quò postquam peruenierit, non eriget ceruicem, inflatus fortunæ prosperitatibus. Syrus enim elatum significat. nunc aut Syri Labanis nulla sit mentio, tantum Rebecæ frater dicitur. nam uitæ facultates malo uiro datæ mentem extolunt uacuam prudentia, quod Syri nomine intelligitur: easdem si amator eruditionis accipiat, cōstanter permanet in honestatis placitis, hic est ille frater Rebecæ patitiæ, habitat autem Charran, id est, cauernas, per quas sensus significantur. quisquis enim adhuc mortalis uitæ coetus celebrat, opus habet instrumentis sensuum. habitata igitur, inquit, mi puer cum eo, non in perpetuum, sed dies aliquot. hoc est, cognosce regionem sensuum, cognosce te ipsum partesq; tui. quid sint singulæ, ad quid factæ sint, quam uim innatam habeant, quis intus latens adductis reductisq; neruis miros motus faciat, siue tua propria mens, siue illa uniuersæ rerum naturæ communis. deinde teipso satis explorato, etiam res Labanis diligenter inspice, uanæ gloriæ felicitates ut uidentur magnificas, cauens ne ab ulla capiaris, sed tãquam bonus opifex artificiose singulas tuis usib. acōmodes. nam si in hac ciuili promiscuaq; uita mores constantes & bene institutos præ te tuleris, accersam te illinc, ut præmia qualia tui parentes percipias. erit aut præmium, cultus illius soli sapientis certus & perpetuus. eadem & pater docet paucis additis dicens: Surgens fuge in Mesopotamiã in domum Bethuelis patris matris tuæ, & duces inde tibi uxorem è filiab. Labanis fratris matris tuæ. Rursum etiam hic non Syrum dixit Laban, sed Rebecæ fratrem,

futurum meditatoris affinem per connubium. Fuge igitur in Mesopotamiam, hoc est in medium torrentem huius uitæ, & caue ne undis eius mergaris, sed sustinēs aduersos impetus & undiq; prementes uortices, propulsa hos fortiter. nam in sapientiæ domo tranquillam stationem inuenies, in quam te facîle queas recipere. Vocatur autem in sacris literis sapientia Bæthuel: quod nomen interpretatur, filia Dei. Nünirum germana filia, uirgo perpetua, intactam impollutamq; naturam sortita, tum propter suam pudicitiam, tum propter parentis dignitatem. dicitur autem Bæthuel Rebecæ pater. & quomodo filia dei, sapientia, iure pater dici potest? an quia sapientia nomen foemininum habet, naturam uero masculinam? siquidem uirtutes omnes habent appellationes foemininas, uires autem & actiones uirorum perfectissimi morum. quoniam quicquid post deum est, quantumuis antiquum sit, cum secundo loco censeatur, collatum ad omnipotentem illum nō tam masculinum uidetur quā foemineum, ut cæteris creaturis simile. cum enim penes mares sit sexus priuilegium, deteriores habentur foeminae. proinde parum solliciti de huiusmodi differentia nominum, pronunciamus filiam dei sapientiam matrem et patrem esse gignentem in animabus cruditionem, disciplinam, scientiam, prudentiam, actiones honestas & laudabiles. ab hac meditator Iacob petit sibi coniugem. unde enim aliās inuenire potest sociam inculpabilem, cum qua etatem omnem exigit? Cæterum de fuga diligētius præscribitur in lege de homicidis, in qua omnes enumerantur species, tum uoluntarium homicidium, tum inuoluntarium

luntarium, siue dolo patratum sit siue consilio. uerba legis sunt hæc. Si quis alterum percusserit, et ille mortuus fuerit, ipse quoq; morte moriatur. quod si non uolens fecit, sed deus eum in manus eius tradidit, dabo tibi locum quò homicida fugiat. quod si quis per insidias proximum occiderit, & ad altare meum confugerit, abstrahum inde afficies supplicio. Cum scirem leges nullo uti uerbo superuacaneo, qualia per nimiam loquacitatem excidunt, hæstitui intra meipsum, cur homicidam uoluntarium non modo mori pronunciet, sed morte mori. quid enim aliud morientes quàm mors enecat? adita igitur muliere sapiente, cui nomen disceptatio, deus suquerere. ea respondit, malos etiamsi ad extremum pertingant senium, esse mortuos, quod uirtuti non uiuant. probos uerò etiamsi disiungantur à corpore, sortitos immortalitatem in sempiternum uiuere. sententiam hanc confirmabat per oracula. unum erat hoc. Qui adhæretis domino deo, uiuitis omnes hodie. Supplices dei solos agnoscit pro uiuis, reliquos habet pro mortuis. illis uerò etiam immortalitatem pollicetur, non solum dicens uiuitis, sed addens hodie. per hanc enim uocem intelliguntur infinita secula. mensium enim annorum et in uniuersum temporum circuitus, dogmata sunt hominum magnifacientium numeros. uerum autem nomen cui est hodie. sol enim nunquam mutatus semper idem est, nunc sub terra nunc super terram decurrens, diei noctisq; arbiter, quibus metimur secula. Alterum autem oraculum sic attestabatur. Ecce posui coram te uitam & mortem, bonum & malum. ergo uir sapiens crede

S S bonum

bonum uirtutem & uitam esse, malum uerò mortem & uitium. Aliubi quoq; legitur: Hæc est tua uita & longæ uitas, dominū deum tuum diligere. Egregia uitæ immortalis definitio: dei dilectione amoreq; incorporeo corripi. sic sacerdotes Nadab & Abiud ut uiuant moriuntur, pro mortali uita recipiētes incorruptibilem, & à creaturis ad creatorem migrantes. argumentū immortalitatis eorū est quod legitur: Tūc mortui sunt coram domino, id est, uixerunt. mortuum enim nefas est uenire in cōspectum dei. Idē dicit ipse dominus: In propinquantib. mihi sanctificabor. Mortui uerò, sicut & in hymnis canitur, non laudabunt dominum. hoc enim uiuorū est officium. Caini uerò impudentis fratricidæ mors nusquam in lege inuenitur, imò extat hoc oraculum de illo: Apposuit dominus deus Caino signum, ne quis eum inuentum interimeret. Cur ita? Opinor, quia impietas malum est infinitum, quod semel accensum nunquam extingui potest, in quam competit illud poeticum:

Immortale malum, nulla debile morte.

Immortale in præsentī uita, alioquin apud deū exanime mortuumq; & ut quidā inquit, abiectius quàm sterquilinum. oportebat autem diuersas regiones rebus differentibus attribui, bono cælum, malo terræ cōfinia. Itaq; bonum superna petit, etiamsi nonnunquā ad nos descendit: quia pater eius est munificus. sed meritò cupit sursum recurrere. Malum uerò hic permanet, à diuino choro semotum quàm longissimè, oberrans circa uitā mortalem, cum non possit morte sua mortale genus relinquere. id quidā inter sapiētes celebratus testatur magnificè
m

in Theæteto sic: Sed nec penitus extirpari mala est possibile: nam deo semper aliquid opponi necessum est: nec tamē apud superos locū habere possunt, coacta circa mortalem naturā & hæc inferiora loca oberrare. quare conandum est hinc illuc fugere quā celerrimē. est autē fuga, si deo similes efficiamur pro uiribus. proinde merito Cain non moritur, qui significat uitium, semper uicturum in genere mortali cum hominibus. itaq; non absurdē dictū est morte mori homicidam, propter causas iam prædictas. quod autem dicitur de inuoluntarijs hominibus: Non sponte, sed deus eum tradidit, ualde bene dictū est. existimat enim uolūtaria facinora esse nostri animi, inuoluntaria uerò ad deum referenda: nō loquor de peccatis, sed de pœnis peccatorum. nō est enim decorum ut ipse deus puniat, cum sit primarius legislator optimus, sed per alios animaduertit in homines noxios: non per semetipsum. Cōuenientius enim est ut gratias, beneficia, munera, porrigat ipse suapte natura bonus ac munificus: supplicia uerò non sine iussu eius, qui regnum sempiternum tenet, per alios tamen exigantur quos decet tale ministeriū. Testis est mihi meditator ille his uerbis: deus qui nutrit me à iuuetute mea, angelus ille qui me liberat ē malis omnibus. antiquiora bona quibus anima nutritur, accepta deo fert: dei famulo posteriora, quæ ad fugam peccati pertinet. ideo sicut opinor, & cum de mundi opificio philosophatur, postquam dixit omnia cetera deum creasse, solum hominem etiam alijs cooperantibus plasmatum esse docuit. Dixit, inquit, deus: Faciamus hominem ad imaginem nostram: per hoc uerbum

Faciamus

Faciamus multitudinem significans. Ergo pater ille rerum alloquitur suas potentias, quibus mortalem hanc animæ nostræ partem fingendam dedit, imitantibus artem ipsius, quando rationalem in nobis formabat: equum ducens ut à principe rerum principalis pars fabricaretur in anima, subiectæ uerò, à subditis potentijs. usus est autem his potentijs nō solum ob modo memoratam causam, sed quia hominis anima sola intellectum bonorum malorumq; habitura erat, & electura alterutrum quando utrumq; non potest. necessarium igitur duxit malorum facturam alijs tribui opificibus, bonorum uerò sibi soli. quapropter cum prius dixisset, faciamus hominem, tanquam de pluribus mox tanquam de uno loquitur, Fecit deus hominem. nam ueri hominis, qui est mens purissima, unus solus deus est opifex: plures uerò eius qui uulgo sic uocatur, mixtus atq; temperatus ex sensibus. quāobrem ille eximius homo indicatur per articulum. legitur enim, Fecit deus illum hominem, illum specie mixturaq; carētem intellectum. uulgaris autem homo sine huiusmodi additamento ponitur. nam cum dicit, Faciamus hominem, è bruta rationaliq; anima contextum significat. Huc accedit quod benedictio bonorum & maledictio contrariorum, non per eosdem fit, quamuis utraq; sit laudabilis. Quoniam autem in demonstratiuo genere primum est laudare dignos, secundum uituperare eos qui merentur: cum sint huius generis principes xij. numero, qui phylarchæ solent nominari: sex præstāiores, collocauit in benedictione, Simeonem, Leuim, Iadam, Isacharem, Iosephum, Beniamin: reliquos in maledictione

ledictione, primum ac nouissimum è Lia filijs Ruben & Zabulonem, & quatuor illos ex ancillis genitos. nam regie sacerdotalisq; tribus principes, Iudas & Leui, in priore censentur ordine. merito igitur etiam qui morte digna patrarunt facinora, in aliorum manus deduntur ad supplicium: ut doceamur quod mali natura longè à diuino choro exulat, quando etiam bonum propter so- lam mali similitudinem, executionem per alios accipit. Illud autem, Dabo tibi locum quò fugiat qui nolens occi- dit, ualde rectè dictum mihi uidetur. Locum enim uo- cat nunc non eum qui occupatur à corpore, sed obscure ipsum deum subindicat. continet enim ille non contine- tur, & est omnibus refugium. Fas igitur est dicere, eum qui nolens mutatur, mutari diuinitus, quod de sponte peccantibus dicere non licet. Daturum autem se ait, non interfectori, sed ei cum quo loquitur: ut alius sit habita- tor, alius profugus. nam suo populo deus patriam dat cognitionem sui, quam ut indigena inhabitet: eandem fu- turam per errorem lapsis refugium, sed ut inquilinis nō ut ciuibus. Post hæc sapienter statuta de cæde non uolun- taria, transit legislator ad insidias dicens: Quod si quis dolo aggressus proximum ut occideret, ad deum confu- giat. locum uidelicet quem figuratè dixerat, in quo uita contingit omnibus. nam & alibi dicit: Quisquis illuc fu- gerit uiuet. nimirum uita æterna est ad illud Ens refu- gium, sicut contrà mors, ab illo fugere. quod si quis insidiatur, omnino uolens facit iniuriam: & quod do- lo sit reum facit, sicut infontem quod sine dolo fit. Er- go nullum facinus suppuratum, dolosum, & data opera patra-

patratum, meretur ut dicatur factum ex dei sententia, sed ex nostra propria. intra nos ipsos enim ut dixi, thesauri uitiorum sunt, apud deum uero solorum bonorum. quisquis igitur eo confugerit, id est, quicumque peccati autorem non seipsum sed deum incusat, puniatur: nec profit ei refugium, quod solis supplicibus est salutiferum. Et merito. nam altare plenum est immaculatis uictimis, animabus inquam purificatis et innocentibus. est autem nouus insanabilis, autorem malorum deum dicere. proinde qui sic male morati sunt, ut seipsos magis ament quam deum, procul a sacris maneant scelesti et impuri, nec est longinquo sacram flammam anime inextinguibiliter accense ac deo consecrate spectare idonei. Perpulchrum est quod quidam est priscis sapientibus in hanc sententiam est ausus dicere: Deus haudquaquam iniustus est, sed dici non potest quam sit iustissimus. ei nihil est similius, quam qui non est. circa hunc est robur uiri et uera grauitas, itemque timiditas et ignauia. Nam hunc nosse, sapientia et uera uirtus est: contra, huius ignorantia, ruditas est et manifestum uitium. Aliæ uero præcellentię ut uidentur et sapientiæ in potestatibus publicis onerosæ sunt, in artibus uero uulgares et humiles. Postquam igitur iussit abstrahi male de deo loquentem a sacrarijs, et tradi ad supplicium, deinceps ait: Qui uerberat matrem patrænuæ, moriatur.] Tantum non clamat ac uociferatur, nemini dandam ueniam qui in deum blasphemus sit. nam si mortali parenti conuictus huiusmodi supplicium, qua poena dignus uideri potest qui male loqui sustinet de parente creatoreque rerum omnium? et quod potest esse conuictum grauius

uius quàm contendere, nō ex nobis mala prouenire, sed ex deo? Arcete igitur arcete ô iniiati & mysteriorum præfules à diuinis orgijs cōfusam colluuiem animarum impurarum, cōtaminatarum maculis ineluibilibus, in obferatas aures, & reclusam linguam habentium, & instrumenta suæ miseriæ parata circumferentium, ut & loquantur quiduis, & nefaria dictu audiant. ceterum qui norunt quid intersit inter uoluntaria & inuoluntaria, & os bene loqui doctum pro calumniatrice lingua sortiti sunt, dum recte faciūt laude digni sunt, si quando uerò labuntur per imprudentiam, non sunt admodum uituperabiles: & ideo ciuitates eis ad refugium selectæ sunt. Dignum est enim ut de hoc loco difficiamus quædam necessaria. Sunt autem quatuor, primum cur non ex aliarum tribuum sortibus, sed tātum ex Leuiticæ, selectæ sunt ciuitates profugis. secundum, cur sex non plures paucioresue. tertium, cur trans Iordanem tres, reliquæ in terra Chananæa. quartū, cur profugis terminus relictus præscriptus est mors summi sacerdotis. dicamus igitur quæ de singulis dicenda sunt à primo faciendū principium. quod in solis Leuitis contributas ciuitates iubentur fugere, æquissimum est. nam & Leuitæ quodammodo sunt profugi, qui propter cultum diuinum deseruerunt parentes, liberos, germanos, & totam mortalem cognationem. quorum sodalitiij princeps inducitur sic patrem matremq; alloqui: Nō uidi uos, & fratres. non noui, & filios ignoro, ne quid me à cultu eius Qui est distrahat. est autem uera fuga, priuari charissimis, necessitudinibus; quæ profugos commendat profugis, ut

ut cōciliante illos similitudine, sequatur perpetratorum obliuio. aut igitur hæc causa est sola, aut illa quoq; , quod sacrata Leuitarum tribus, adoratores iuuenti auctrei, hoc est fastus Aegyptiaci, quotquot pubertatem excesserant uno incurfu contrucidauit, concita furore iussissimo inmisso sibi diuinitus. Interficit unusquisq; fratrem suum & propinquum & proximum, germanum animæ corpus, rationi uerò propinquas irracionales potentias, deniq; menti proximum sermonem qui ab ea promanat. nec enim aliter nostri pars optima potest euadere cultrix eius qui in uniuerso est optimus, sed ante omnia homo uertendus est in animam, seiuncto recisoq; germano eius corpore cum suis concupiscentijs insatiabilis. quo facto brutæ partes animæ seiungendæ sunt à cognatis rationalibus. nam hæc more torrentis in alueos quinq; diuisi, per omnes sensuum lacunas concitant impetus affectuum. mox à mente ablegandus est sermo qui uidetur ei proximus: ut sola mens supersit, à corpore, à sensu, & à sermone destituta. sic enim iam solitaria sincere complectitur id quod solum colendum est, non distracta rebus alijs. Huc accedit, quod Leuitica tribus ædituorum & sacerdotum est, penes quos est sacrorum ministerium. ad quod ministerium pertinent illi etiam qui inuiti patrant homicidium, siquidem teste Mose deus tradit in manus eorum, ut tollantur qui digni morte sunt. uerum Leuitarum est pro meritis referre præmia, istorum uerò punire noxios. Hæ sunt causæ ob quas homicidæ non uoluntarij ad solas ædituorum ciuitates confugiunt: ordo postulat ut deinceps dicamus quænam sint,

¶

& cur sex numero. An quoniam antiquissima & mun-
 tissima, non solum ciuitas, sed cæterarum etiani metropo-
 lis, dei uerbum est? quod primum & utilissimum
 est refugium. aliæ quinq; ceu colonie, potentie sunt id
 proferentis, & in his præcipua creatiua, per quam opifex
 uerbo suo mundum condidit. proxima regia per quam
 conditor creaturis imperat. tertia propitia, per quam
 opifex miseratur opera sua. Quarta legislatoria, per
 quam etiam uetantur illicita. Pulchræ ciuitates & muni-
 tæ, animarum dignarum egregia receptacula. bonum etiam
 humanumq; institutum, quod confirmat ad bene speran-
 dum. quis alius potuisset tantam copiam rerum profutu-
 rarum ostendere, in tanta uarietate non sponte peccan-
 tium, quibus nec iures eadem sunt, nec imbecillitas ead-
 dem? consilium est igitur ut qui cursu ualet, sine respira-
 tione contendat ad summum illud uerbum diuinum, forti-
 tem sapientiæ, ut de riuo eius hauriens, pro morte præ-
 mium æternæ uitæ inueniat. Qui non æquè celer est, ad
 creatiuam confugiat potentiam, quam Moses nominat
 deum, quia per eam disposita ornatq; sunt omnia. Quis-
 quis enim mundum creatum intelligit, non mediocriter bo-
 num lucratus est, creatoris notitiam. hæc enim cito per-
 suadet ut creatura conditorem suum diligat. Quod si
 quis ne ad hoc quidem est idoneus, accedat ad regiam.
 Timor enim cohibebit subditum, si pareris amor parum
 ualet apud filium, ut castigatione contineatur in officio.
 Rursum, si quis ne hos quidem terminos, ut longinquos
 ualet attingere, huic interiores metæ præfixæ sunt nec-
 cessariarum potentiarum, propitiæ, & præcipientis quid

agendum, ac uetantis nequid fiat quod fieri non debet: nam quicunq; iam persuasum habet, deum esse non inclementem, sed natura exorabilem, is etiamsi peccato præueniatur, mox pœnitet, dum sperat fore ut ille obliuiscatur. & quisquis credit deum esse legis autorem, mandata seruando felicitatem assequetur. postremus ultimum habebit refugium, ut malis careat, si bonis superioribus potiri non datur. Hæ sunt illæ sex ciuitates, quæ refugia uocantur: ex quibus quinque suas figuras habent ac imagines in sacris literis: præcepti quidem & interdictionis leges in arca reconditas: propitiatoris autem, arcae ipsius operculum. hoc enim uocatur propitiatorium. creaturæ porro ac regis potentie, duo Cherubim alata huic apposita. cæterum intellectus ille diuinus omnibus his superior, non cadit in uisibilem speciem, ut qui nulli rei sensibili est similis, sed ipse imago dei, antiquissimus omnium intelligibiliū, & summo proximus, quandoquidem nihil medium est inter ipsum & Ens illud uerissimum. Scriptum est enim, Loquar tibi supra propitiatorium inter duo Cherubim: ut uerbum potentis pro auriga sit, is uerò qui loquitur pro uestore, ad cuius teleuma uniuersum hoc auriga. regat & temperet. Ergo ille qui tantum abest ut sponte delinquat, ut ne imprudens quidem id faciat, ipsum deum sortem habebit, in eo solo habitaturus. Cæterum qui non de industria, sed inconsulte labuntur, habebunt refugia ciuitates felices & diuites. Itaque tres earum sunt transamneses, multum a nostro genere disitæ. Quenam hæc Verbum illius summi principis, & potentie creaturæ res

giatq;

giaq; harum enim cælum & uniuersus mundus est. confines autem & contiguæ humano mortali generi, quod solum peccato est obnoxium, tres citeriores, propitia, & imperatiua, atq; prohibitoria. nam hæc iam ad nos pertinent. quid enim opus est interdictione non aberraturis à iustitia? quid præcepto, nisi his qui suapte natura procliuēs ad lapsum sunt? quid illa propitia potentia peccato nulli obnoxij? Sed nostrum genus his opus habet, sic natum ut ad sponte secusue peccandum procliuē sit. Superest quarta quæstio ex propositis, reditus tempus præfinitum profugis, mors summi sacerdotis, quæ mihi non paruum exhibet negocium. In eadem enim culpa dispar pœna lege statuitur, dum alijs longius, alijs breuius fit exilium. nam quidam pontifices longæui sunt, quidam cito defunguntur: & alij iuuenes, alij senes accipiunt sacerdotium. item inuoluntariæ cædis rei quidam initio pontificatus profugiunt, quidam sub mortem pontificis: atque ita quidam per longum temporis spaciū carent solo patrio, alij per unum diem si fors seruat. quo elapso ceruicem erigunt, & superbi deridentesq; cognatos occisi, domos suas repetunt. hanc difficultatem in qua hæremus ita licebit euadere, si rationes naturales omiserimus. Hæc est igitur nostra sententia, pōtificem hunc non hominem, sed dei uerbum esse, quod expers est peccatorum omnium, non solum spontaneorum, uerum etiam inuoluntariorum. hūc enim negat Moses uel ob patrem intellectum, uel ob matrem sentiendi uim contaminari, ut opinor iudeo, quia parentes immortales purissimosq; sortitus est

T 2

patrem

patrem deum qui omnium rerum pater est, matrem uero sapientiam, per quā quicquid est, cum prius non fuerit, in lucē prodijt. & ideo caput eius ungitur oleo: principatus inquam eius splendido circumfulget lumine, ut merito existimetur amictus uestibus. nam antiquissimum eius Qui est uerbum mundo ut ueste induitur. uestitur enim terra, aqua, aere, igne, & ceteris quæ ex his ortum habent. Anima autem particularis uestitur corpore, & sapientis mens uirtutibus. Quod autem caput eius perpetuo mitra tegitur, significat diadema regium, insigne potestatis non summæ quidem, sed proregiæ, alioquin mirificæ. idem uetatur uestem scindere. nam & Entis illius uerbum cum sit uinculum rerum omnium, ut dictum est, continet partes omnes & constringit non sinens eas dissolui dilabiq; & particularis anima, quantum potest non permittit ullam partem corporis præter naturam diffindi resecariq; ita ut integræ omnes & inter se unitæ cohæreant indissolubiles. mēs item sapientis purificata integras & coniunctas uirtutes cōseruat, conciliante eas naturali cognatione. Hic pōtifex ad nullam animā mortuā, ut inquit Moses, superueniet. mors autem animæ est uita cum uitio. itaq; nullum scelus attinget, qualia tractare solet insipientia. huic etiam uirgo ē sacratio genere iungitur, pura, incontaminata, semper incorrupta sententia. nam uiduæ uel expulsæ uel profanæ uel meretricis maritus nunquam fiet, perpetuus inimicus harum omnium. odit enim uiduatās uirtutes, & expulsas profligatasq; ab ea, atq; etiam omnem profanam persuasionem, & promiscuam consuetudinem cum multis

multis numinibus. proinde impiam meretricem ne aspi-
 cere quidem dignatur, amator eius fœminæ quæ unum
 maritum habet, & unum parentem profitetur deum om-
 nipotentem. in huiusmodi conditione apparet eximia
 quædam perfectio. nam illum qui magnâ precationem
 precatus est constat si non sponte, lapsum certè per inca-
 riam. Dicit enim: Quod si quis coram eo repente moria-
 tur, in præsens contaminabitur. nam si quid præter uo-
 luntatem repente ingruit, in præsens animam nō in lon-
 gum tempus contaminat, cum non sit uoluntarium. De
 his pontifex non est sollicitus, quippe tum his tum uolun-
 tarijs superior. Hæc autem non extra propositum dixi,
 sed ut doccrem, nō alienum esse à iure naturali, mortem
 pōtificis præscribi profugis exilij terminum. nam quam-
 diu hoc sanctissimum uerbum uiuum superest in anima,
 non est possibile uerti eam sponte in deterius. expers est
 enim peccati omnis, & suopte ingenio abhorret ab eo.
 quod si moriatur, non quòd ipsum pereat, sed disiungam-
 tur à nostra anima, confestim datur reditus peccatis in-
 uoluntarijs. nam si illo saluo in nobis exulabant, omnia
 no post eius discessum redibunt. hic enim eximius ho-
 nor impolluto pontifici à natura est exhibitus, ut illo
 præsentem error locum non habeat. ideò uotis om-
 nibus expetendum est ut uiuat in anima pontifex, iudex
 simul & redargutor, qui pro mentis tribunali erga reo-
 rum personas sit indifferēs. Hactenus de profugis quan-
 tum locus postulabat, deinceps sequemur contextum re-
 liquum. Inuenit, inquit, eam angelus domini in uia.]
 Nimirum missus ut animæ præ pudore periclitanti ne

aberraret succurreret, tantum non dux itineris futurus
redituræ ad expertem erroris sententiam. Profuerit au-
tem & de inuentione quæſitioneꝫ; unà cum legislatore
philosophari. Quosdam enim inducit nec quærētes nec
inueniētes, alios utroq; modo felices, alios alterutro fru-
stratos: quòd ex his quidam quærendo non inueniunt,
quidam non quærendo inueniunt. Quicumq; nec quæ-
rere nec inuenire cupiunt, rationem suam per inerudi-
tationem & inexercitationem affligerunt grauiter, &
cum possent acutè cernere, cæcati sunt. Sic ait uxorem
Lot retrorsum uersam mutatā in statuam, non fabulam
fingens, sed rei proprietatem indicans. Quisquis enim
contempto præceptore per innatam simul & consue-
tam socordiam, relinquit anteriora, per quæ posset uide-
re, audire, alijsq; uti potentijs ad res naturales dijudi-
candas: & circumacta retrorsum ceruice, cæca uitæ ne-
gocia pluris facit quàm partes sui corporis, insānis sta-
tua sit nihil à surdo inanimatoq; lapide differens. nō ha-
bent enim, ut Moses loquitur, tales mores cor ut intelli-
gant, oculos ut uideant, aures ut audiant, sed cæcam, sur-
dā, stupidā, omni sensu orbatā, minimè uitalem uitā sibi
reddiderunt, nihil curantes eorum quæ curare deberēt.
huius chori princeps est rex regionis corporeæ. Con-
uersus, inquit, Pharaο intrauit in domum suam, ac ne
huic quidem rei mentem adhibuit. ac si diceret, nihil un-
quam curauit, sed passus est se tanquam plantam incul-
tam arescere & sterileſcere. nam consiliarij disceptan-
do considerādoq; intellectum acuiunt: qui si se exercent,
dominatos fructus percipiet, perspicacitatem & soler-
tiam

etiam: si se tradat incogitantie, torpescit & hebetat an-
 xietatem prudentie. Verum istam brutam & prorsus mani-
 matam sodalitatem ualere sinamus: prestat ad queren-
 tes & considerantes conferre se. ac mox occurret mos
 ciuilis, non ambitiosus tamen, cupidus melioris generis
 quod uirtutes sortitæ sunt, & quod querit inuenire in-
 ducitur. Inuenit, inquit, homo Iosephum in campo, et in-
 terrogauit, Quid quæris? qui respondit, Fratres meos
 quero: indica mihi ubi pascant. Dixitq; ei homo: Dis-
 scesserunt hinc. audiui enim eos dicentes, Eamus in Do-
 thain. & secutus est Ioseph fratres suos, & inuenit eos
 in Dothain. Interpretatur Dothain defectio non par-
 ua, quod significat animam non mediocriter sed perfe-
 ctè deseruisse uanas opiniones, quæ mulierum magis
 quàm uirorum negocijs sunt similes. ideo pulchrè uir-
 tutem Sarram deficiunt muliebria, circa quæ occupati
 sunt qui parum uirilem effœminatamq; uitam sectan-
 tur. at sapiens etiam deficiens apponitur secundum Mo-
 sem. rectè & naturaliter. quod enim uanæ opinioni de-
 mitur, id ueritati apponitur. Quod si quis adhuc in-
 mortali, promiscua multiformiq; uita degens, & copia
 rei familiaris abundans, circumspicit & querit melio-
 rem gentilitatem, solum summum bonum spectantem, di-
 gnus est qui suscipiatur, si non denuo somnijs & imagi-
 nationibus bonorum uulgarium obuersantibus sibi de-
 lectetur. manens enim in non adulterina contemplatio-
 ne quæ sit oculis animæ, quæ sitos assequitur per uesti-
 gia, nec prius desistet quàm ad eos perueniat. Sed nemi-
 nē horū apud malos inueniet. Quare? Discesserūt hinc
 T 4 descen-

deserentes nostra studia: transiucrunt ad desertam à malis regionem piorum hominum. Hæc autem dicit uerus homo redargutor qui inest in anima: quam dum uidet hæsitantem, dubiam, quærentemq; , metuit ei ne aberrās rectam uiam non inueniat. Illos quoq; ualde mirari libet, alterum scitantē de extremorum medio, dicētemq; : Ecce ignis & ligna, sed ubi pecus in holocausto? alterum respondentem, Deus prouidebit sibi de uictima mi puer, ac mox inuenientem suppositam. & ecce arietem cornibus implicitum in frutice Sabec. Videamus quid à dubitante queritur, quid respondens ostendit, tertium, quid inuenitur. Percotatio talis est. Ecce ignis causa efficiens, ecce ligna materia patiens, ubi effectus, quod requiritur tertium? ac si dicat, ecce intellectus, calidus candensq; , spiritus. ecce intelligibilia, tanquam materia, sed ubi tertium illud, uidelicet intelligere? Rursum ecce uisus, ecce color, ubi uidere? & in uniuersum, ecce sensus iudex, ecce obiecta eius materia, ubi ipsum sentire? hæc scitanti par est responderi, deus sibi ipsi prouidebit. nam illud tertium dei proprium opus est. ipsius enim est prouidentia. Intellectus percipit, uidet uisus, sentit sensus quilibet. Sed aries inuenitur hærens, hoc est ratio quiescens, & assensum cohibens. opima enim uictima est quies & hæsitantia in his rebus quarum certa fides non est. nam scriptura hoc tantum dicit, Deus uidebit, cui nota sunt omnia, qui clarissima sua luce sibi ipse illustrat omnia. De cætero apud creaturam silentium est, quod magna caligine offunditur. in tenebris autem nihil tutius est quam quiescere. Item qui quæsiuerunt quodnam esset

esset alimentum animæ (nesciebant enim, ut dicit Mo-
ses, quid esset) inuenerunt edocti esse id uerbum & ratio-
nem diuinam: unde omnes discipline scientiæq; perënes
fluunt: & hic est ille cælestis cibus. Quod sacra scriptu-
ra indicat ex persona dei dicens: Ecce ego pluo uobis pa-
nes de cælo. Nam reuera sapientiam ætheream deus su-
perne instillat generosis & spectandi cupidis mentibus.
At illæ hac uisa degustataq; delectatæ, experimento dis-
cunt, autorem tamen eius uoluptatis nesciunt. ideo per-
contantur, quid est hoc, melle dulcius, niue candidius?
Discent autem ex uate suo, hunc esse panem quem dedit
eis dominus ut ederēt. Quis igitur est hic panis, age dic.
Verbum, inquit, hoc quod præcepit dominus. Hæc præ-
cepta diuina Israeliticæ, id est, perspicaci animæ affrūt
lucem simul & dulcedinem, splendore ueritatis eam ir-
radiantia, & dulcibus uirtutis persuasionibus sitim ho-
nestatis refrigerantia. Quin & propheta ipse quæren-
do quæ sit bene uiuendi causa efficiens, inuenit quod
cum solo deo familiaritas. Cum enim anxius quæreret,
quis sum ego ut Israelitas ab eo qui regnare uidetur mo-
re contra deum rebellante liberem, monitus est oraculo
pollicente dei præsentiam. Et habent quidem inquisitio-
nes particulares dubio procul elegantem contemplatio-
nem philosophicam: sed summum illud bonum incom-
parabile deum autorem omnium si quis quærat, exhila-
ratur mox in primo eius contemplationis aditu, nec fru-
stratur suo proposito, prodeunte obuiam illa propitia
natura per uirgines gratias, & ostendente se uisendi sui
cupidis: non qualis est, quod fieri nequit, quoniam &

Moses avertit suam faciē, ueritus coram obtueri deum: sed quantum datur creaturæ ad res intelligibiles accedere. Hoc quoq; inter præcepta relatum est. Conuertimini, inquit, ad dominum deum uestrum, & inuenietis eum, quando queretis eum ex toto corde & ex tota anima. Absoluto hoc capite consideremus tertium: ubi etiam si non deest querendi uoluntas, inuentio tamē non sequitur. Laban quamuis scrutatus totam animalem domum Meditatoris, non inuenit, ut Moses narrat, simulacra. plenus enim erat negocijs, non somnijs & uanis imaginationibus. Nec illi cæci mente Sodomitæ furiose conati uiolare sacros & impollutos sermones, inueniunt dicentem ad eos uiam: sed ut ait scriptura, querendo præterierunt ianuam: quamuis circum ædes cursitando, & omnem mouendo lapidem, ut explerent suas immanes & impias cupiditates. Nec defuerunt qui uolentes à ianitorum cōditione ad regnum ascendere, & quo nihil in uita præstantius est, ordinem turbare, non solum nefaria spe frustrati sunt, uerum etiam præseni felicitate priuati fuerunt. nam eos qui cum Core conspirarant, lex narrat excidisse ab utraq;. Sicut enim non eadem discunt uiri quæ pueri, sed suæ cuiq; ætati discipline conueniunt: sic interdum natura fert ut animæ pueriles maneant etiam in senilibus corporibus, & contra perfectæ inueniantur in florentibus adhuc & pubertibus. Merito igitur stultitiæ notam incurrunt, qui maiora quàm pro ingenio suo cupiunt. quia conatus omnis maior quàm pro uiribus nimietate sua uanescet, et Pharaō querens extinguere Mosē genus prophetiçæ, nunquam

nunquam eum inueniet. & tamen obiectū ei graue crī-
mē audierat, quod moliretur totius corporē regni per-
niciem, bis id aggressus, primum opponens se instituto
Aegyptio; uoluptatis arcē munienti aduersus animam.
percussum enim defodit in sabulo, re passim iacēte, ratus
uniū esse utraque dogmata, de uoluptatis inter bona
principatu, & de principijs rerum ex atomis. Iterū uē-
ro comminuenti naturam boni resistens, & partē eius
animo, partem corpori, partē externis rebus tribuenti.
Vult enim id integrū in sortē cedere mēti, quæ pars no-
stri est præstantissima, nec dignatur id cōmunicare cū
inanimis. ne illam quidē inuictā uirtutē, non admodum
placētē ridendis theatris hominū, cui nomē Thamar,
is qui ad eā querendā missus est inuenit. Recte iuxta na-
turam. Legimus enim sic: Misit Iudas hædum per pasto-
rem suū Odolamitam, ut reciperet pignus à muliere, &
non inuenit eam. Interrogauitq; homines loci eius, Vbi
est meretrix quæ fuit in Aenan iuxta uiam. qui respon-
derunt: non fuit hic meretrix. & reuersus ad Iudā dixit:
non inueni. & homines loci eius negant ibi unquā fuisse
meretricem. ait Iudas: habeat sibi, modo ne irridear.
ego misi hædū hunc, tu eā nō inuenisti. ô mirū experimē-
tū. ô non alienā à sacris tentationē. itā ne pignus datur?
Mēs empturiens pietatē possessionē pulcherrimā, tribus
sibi cauēri uult pignorib. anulo, armilla, baculo, ut ser-
mo cū uita cōueniat, uita uerò cū ratione, accedēte recta
disciplina, qua fulciri profuerit. id pignus an bene datū
sit examinat. at quo examine noscitur? si aliqua esca obij-
ciatur attrahēdi uim habēs, ut sanitas, diuitiæ, integritas

corporis, aut aliquid simile, & spectetur utrò tanquam
 in balance res proclinet. nam si ad aliquid horum procli-
 nabit, pignus certum non erit. Misit igitur hædum ut re-
 ciperet pignus à muliere, non ut omnino reportaretur,
 sed si forte illa indigna esset id retinere. & quomodo in-
 digna? si eximias res matet mediocribus, & adulterina
 bona pluris quàm germana faciat. Sunt autem germana
 bona hæc, fides, congruentia dictorum factorumq; , &
 rectæ disciplinæ regula: sicut ediuerso mala, increduli-
 tas, incongruitas, ineruditio: adulterina uerò ad brutū
 impetum pertinent. Quærens igitur non inuenit eam.
 difficile enim est, uel potius impossibile, in confusanea
 uita uirtutem inuenire. & si quærat in quouis uirtu-
 tis loco, num ibi sit prostituta anima, aperte respondebi-
 tur: nec est, nec fuit antea, nam impudica, uel prostituta,
 uel triualis scæmina, uel ætatis florem uili uenditās, uel
 foris lauta ac nitida, intus sordida, uel pictæ tabellæ in
 morem coloribus fucata faciē ob nativæ uenustatis
 inopiam, uel multos uiros tanquā rem bonam affectās,
 uel multinuba, uel ad multorum illusa libidinem, ibi nō
 est. His auditis qui quæsiturum miserat, uir non inuidus
 & natura benignus, non mediocriter gauisus, inquit:
 Equidem optarim ut illa sit matrona bona mente prædi-
 ta, honestate, temperantia, cæterisq; ornata uirtutibus,
 uno marito contenta, occupata cura & administratio-
 ne rei domesticæ. Si talis est, habeat sibi quæ dedi, disci-
 plinam, uerborum cum uita congruentiā, præcipue ue-
 ro fidem summenē necessariam. modo ne irridear, quasi er-
 ga indignam munificus, quamuis me credo ea donasse
 quæ

quæ maxime conueniunt animæ. Equidem feci quod faci-
 endum erat uolenti morum experienti: sumere, mita-
 tens escam & offerens. sed comperi tale ingenium non
 facile decipi. incertus sum tamen cur nõ facile capiatur.
 plurimos enim uidi admodum malos eadem quæ ualde
 boni agunt facere, licet diuerso animo: quoniam in illis
 ueritas, in his est simulatio, quæ non facile dignoscitur.
 nam sæpe res minus felix fuit quàm opinio. Sed & hirc-
 cum pro peccato, studiosus uirtutis querit quidẽ at nõ
 inuenit. iam enim, ut docet scriptura, concrematus est.
 id considerandum quid significet. Non peccare deo pro-
 prium est, sapienti uerò, pœnitere. & hoc quoq; durum
 est at inuentu difficile. Dicit igitur oraculũ, quod quæ-
 rens quæsiuit Moses in uita mortali doctrinam de pec-
 catorum pœnitentia. Conabatur enim inuenire uestitã
 peccatis animam, & sine pudore exuentem se eis nudan-
 temq; non inuenit tamen, flamma, ocyssimo inquã bru-
 to impetu descendente, depascenteq; totam animam. uis-
 cuntur enim pauciora à pluribus, à uelocioribus tardio-
 ra, futura à præsentibus. est autem contractum quiddã
 & tardum & futurum pœnitentia: contra multa uelox
 continua in hac uita occurrit iniustitia. Merito igitur
 quidam in mutatione constitutus, negat se posse oblatio-
 nem pro peccato comedere: conscientiam enim sibi non
 permittere ut nutriatur pœnitentia. Ideo dicitur: Audi-
 uit Moses & placuit ei. nam res creaturæ à rebus diuine
 nis multum disiunctæ sunt. creaturæ tantum manifestæ
 nota sunt, creatori etiam occulta. Delirat autem & con-
 tra ueritatem mentitur, qui pergens iniuste agere profe-
 tetur.

letur poenitentiam: quod perinde est ac si agrotus sanū
 se simulet. nam hoc pacto morbus reddetur grauior, dū
 ille nihil adhibere dignatur quod ad sanitatem sit cōdi-
 cibile. Olim uir discēdi cupidus sollicitatus est desiderio
 cognoscendi causas quibus efficiuntur res in mūdo ma-
 xime necessariæ. Cum enim uideret quicquid creatū est
 corrumpi gigniꝫ, tum ea quæ pereunt, & quæ perma-
 nent, obstupescēsus exclamauit dicens: Rubus uritur &
 non comburitur. locum enim antea inaccessum nō scru-
 tatur curiosius, ut naturarum diuinarum habitaculum.
 & frustra laborasset, ni subleuatus fuisset misericordia
 prouidentiaꝫ dei seruatoris omnium, qui ex adyto hoc
 oraculum edidit: Ne propinques huc. ac si dicat, ne ac-
 cedas ad talem cogitationem. nam huic curiositati sata-
 genti humanæ uires non sufficiunt. sed facta quidem mi-
 rare stans, de causis uerò ex quibus gignantur corrup-
 pantur uē ne sis sollicitus. Nam locus in quo stas, inquit,
 sanctus est. Qualis locus? nimirum ad rationes causarū
 pertineus, qui tantum diuinarum naturarum est, quod
 deus neminem mortalem dignetur causarū notitia. Tum
 ille scientiæ cupidus supra mundum totum emergēs sci-
 tatur. de eius opifice, quisnam sit ille inuisibilis & inpal-
 pabilis, corpus an incorporeus, an aliquid his superius,
 simplex ne natura qualis unitas, an cōcretæ: aut quid tā-
 dem sit: & uidens id cogitatu perceptuꝫ; difficile, preca-
 tur ut ab ipso discat deo, quisnam deus sit. nec enim spe-
 rabat se id posse ex ullo alio cognoscere. nihil tamen au-
 diuit interrogās de eius Qui est essentia. Posteriora, in-
 quit, mea uidebis, faciem aut uidere nō poteris. Sufficit
 enim

enim sapienti ea quæ post deum sequuntur cognoscere. Principalem autem illam essentiam, si quis uelit intueri, nimio radorum fulgore prius quàm eam uideat cæcabitur. Hactenus & de tertio locuti capite, aggredimur quartum & ultimum ex propositis, quando non præcedente inquisitione ultro solet occurrere inuētio. ad hūc ordinem pertinet omnis à seipso doctus sapiēs. nec enim cogitationibus, meditationibus laboribusq; proficit: sed, mox natus paratam inuenit sapientiam irroratā sibi cælesti pluuiā, cuius meraco haustu exhilaratus, perpetuo temulentus est ebrietate sobria, salua rationis integritate. Hic est ille quem Isaac uocant oracula; quem nō tempore alio concepit, alio peperit anima. Conceptū enim, inquit, peperit, quasi sine tēpore. non enim homo nascebatur, sed mens purissima, ingenio magis quàm arte bona. quamobrem genetricem eius dicuntur defecisse muliebria, hoc est consueta, humana & rationalia. nouum enim hoc prodit genus plus quàm rationale & uere diuinū, à seipso doctū, non humanis cōmentis eruditū, sed furore diuino. an ignoras quod Hebrææ ad partum nō habēt opus obstetricibus? pariūt aut, ut ait Moses, prius, quēniāt obstetrices, artes inquā & sciētia, & à sola natura opitulāte adiuuātur. Pulchre aut apteq; à seipso doctus definitur. primò, quod cito inuenitur: secūdò, quod deus tradidit. siquidē quod discitur opus habet lōgo tēpore: quod suo pte ingenio percipitur, expeditū est & plus q̄ extēporale. illud hominē, hoc deum præceptorē habet. et prima quidē definitio per interrogationē ponitur. quid hoc est quod cito inuenisti mi puer? altera uenā per

per responſionem, dicente illo: quod tradidit dominus deus. eſt autem & tertia definitio docti à ſeiſo, quod aſcendit per ſeiſum. Dicitur enim inter præcepta: Non ſeretis, nec metetis, quæ per ſe aſcendunt. nulla enim arte natura indiget, ſeminante illa deo, & per ſuam agriculturam perficiente tanquam ſponte naſcentia, cū non ſponte naſcantur, niſi quatenus nulla omnino adiuuantur humana induſtria. Nec tam præceptū eſt hoc quàm ſententia. nam præcipiens dixiſſet: ne ſeratis, ne metatis. decernens autem ait: non ſeretis neq; metetis quæ ſponte naſcuntur. nam quæcunq; natura ultro præbenite accipimus, eorum nec principia nec fines in noſtra poteſtate inuenimus, ſiquidem in ſatione principium, in meſſe finis eſt. præſtat ſic intelligere hæc: omne initium & omnem finem eſſe ſpontaneum, hoc eſt nature opus, nō noſtrum. uerbi gratia, principium diſcendi utiq; ingenium eſt docile, promptumq; ad contemplationem reſum particularium. rurſum finis quid aliud, ſi ingenuè ſciendum eſt, quàm natura? ſiquidem etiam præceptor promouet: ſed ſummum faſtigium ſolus deus imponit, natura illa optima. Qui his innutritur dogmatibus, in pace degit perpetua, immunis à moleſtis laboribus. pax autem & ſeptimana idem eſt iuxta legiſlatorem. nam ea die creatio uiſa eſt interquiſcere. Conuenienter igitur ſcriptum legitur: Et erunt ſabbata terræ uobis alimenta. id recte intelligendum eſt. Vtiliſſimus enim cibus eſt in deo quiſcere, maximum bonum conferēs, pacem ab omni bello tutam & ſecuriſſimam. nam quæ inter ciuitates intercedit, mixta eſt ſeditionibus. at animæ pax præ-

ta est ab omni disidio. Sed manifestissime, ut mihi uide-
tur, discimus inuentionem non quæditorum ex his uer-
bis scripturæ: Cum induxerit te dominus deus in terrā
quam iurauit se daturū tuis patribus, ciuitates magnas
pulchrasq; quas non ædificasti, domos plenas bonorum
omniū quas non repleuisti, cisternas è saxo excisas quas
non excidisti, uineta oliuetaq; quæ non plantasti. Vidē
paratam copiam bonorum affluentium tam ad uolupta-
tem quā ad necessitatem? comparantur enim ciuitati-
bus generales uirtutes ut patentes latissime: domibus au-
tem speciales, circumscriptæ breuiore circulo: cisternis
uero generosæ animæ, capaces sapientiæ, sicut illæ aqua-
rum. cæterum uinetis oliuetisq; profectus & incremen-
ta, prouentusq; fructuum. fructus autē scientiæ, uita con-
templatiua est, sinceram letitiam qualem uinum affert
conferens, & intelligibile lumen quale à flamma profi-
ciscitur, cuius fomes est oleum. Hactenus de inuentione
locuti transeamus ad ulteriorem textus consequentiam.
Inuenit, inquit, eam angelus domini ad fontem aquæ.] :
Fontis crebra fit mentio, qui uno modo mens nostra in-
telligitur: altero habitus rationalis & eruditio: tertio
praua dispositio: quarto bona huic contraria: quinto re-
rum pater & conditor. horum probationes extāt in sa-
cris literis. uideamus quænam sint. In primo limine lex-
gis, ubi mundi opificiū tractatur, tale occurrit oraculū:
Fons autē ascendeat è terra, & irrigabat totā terræ su-
perficiē. Qui allegorias naturæ occultatis suis mysteria
nesciunt, hunc fontē putant similē Aegyptio fluuiō, quē
quotānis effusus ex alueo stagnat in cāpis, tantum non
Philo. to. 1. V ostendit

ostentans potentiam cæli æmulam. Quod enim per hie-
mem cælū præstat alijs regionibus, hoc Nilus Aegypto
horis æstiuis exhibet. nam illud superne terrā cōpluit:
hic, quod mireris, inferne pluens arua irrigat. Et hoc est
cur Moses impietatis reos peragit mores Aegyptios,
quod terram pluris quàm cælum faciant, terrestria q̃
olympia, corpus q̃ animam. Verum ista in alium, oppor-
tuniorem locum differēda sunt: nunc propositū est pau-
xis agere, & ideo redeuntēs in uiam à diuerticulo dici-
mus, fontem ascendentem & rigantem totam faciem ter-
ræ, significare principalem nostri partem fonti similē,
à qua ceu per terræ uenas, per sensuum instrumenta ma-
nant potētia, per oculos, aures, nares, & cætera. hi sunt
in omni animante circa caput & faciē. itaq; tanquam
à fonte à principali animæ parte rigatur principalis
pars corporis facies, uisui spiritu tendente in oculos,
auditiuo in aures, olfactiuo in nares, gustatiuo in os, ta-
ctiui in totā superficiem. Sunt & eruditionis fontes ua-
rij, apud quos proceri & cibo utiles sermones germi-
nant, tanquam palmarum arbores. Venerunt, inquit, in
Aclim, ubi erant duodecim fontes aquarum, & palmas-
rum stirpes septuaginta: ibi ad aquas castra metati sunt.
Aclim portæ interpretantur, & introitum ad uirtutem
significant. Sicut enim initium ædiū est ianua, sic ad uir-
tutem primus aditus encyclopædia. perfectus autem nu-
merus duodenarius, quod testatur zodiacus in cælo cir-
culus, illustratus tot sideribus: testatur etiam solis ambi-
tus. nam intra duodecim menses circuitum suū peragit,
& in totidem horas diurnas nocturnasq; tēpus diuidūt
homī

homines. Moſes quoq; non parum laudat hunc numerum, deſcripta ſua natione in tribus duodecim, & inſtitutis duodecim propoſitionis panibus, & totidem lapillis cum ſuis ſculpturis, qui in pontificali ueste talari circumrationale quod uocant intexerentur. Laudat & ſeptenarium multiplicatum per denarium, nunc ſeptuaginta palmas ad fontes memorans, aliàs ſeptuaginta ſolos ſeniores, quibus datus eſt ſpiritus dei propheticus. totidem iuuenti maſtantur ad epulum ſolenne feſti tabernaculorum, ut uocant, idq; certo ordine, nō ſimul, ſed per ſeptem dies, incipiēdo à tredecim. ſic enim quotidie ſubtrahendo unum uſq; ad diem ſeptimum, ſeptuagenarius numerus conſicitur. Poſtquam autem uentum eſt ad uirtutis portas artes liberales, cōſpicati fontes & apud eos ſtirpes palmarum, non apud arbores, ſed apud aquas, caſtrametati narrantur. Cur ita? Quoniam palmis & lemniscis ornantur qui perfectę uirtutis præmia reportant: qui uerò adhuc in rudimentis tripudiant, & eruditionem ſitiunt, apud ſcientias animam rigantes collocantur: quales ſunt fontes artium indiſſerētium. Videamus & fontem inſipientiæ, de quo legiſlator ſic loquitur. Quiſquis cubat cum muliere ſcorſum ſedente, & fontē eius reuelat, ipſa quoq; reſegente fluxum ſui ſanguinis: ambo tollantur è medio. Mulierem ſenſum uocat, intellectum maritum eius præſupponēs. ſcorſum ſedet ſenſus, hoc eſt in longinquo loco. quoties igitur mulier iſta reſiſto marito legitimo aſſidet illicientib. ſe corrumpentibusq; rebus ſenſilibus, & amatorie ſingulas complectitur: tunc ſi intellectus ſomno ſuccumbat, qui uigilare debet.

beret, detexit seipsum fontem sensuū: hunc enim aio esse sensuum fontem: hoc est, intectum, immunum, insidijs expositum seipsum reddidit. at tamen nihilominus etiā mulier reuelauit fluxum sui sanguinis. Omnis enim sensus pronus ut fluat foras ad suum sensibile, à ratione cohibetur atq; tegitur. Sed ista mulier describitur solitaria, uiduata recto ductore. perniciosum est enim sicut ciuitati carere mœnibus, sic animæ destitui à custodijs. Sed quando caret custode? An quoties uisum non continet, profundens se ad sensibilia, & per aures haurit uoces quaslibet, nec odoratum cohibet aliasq; potentias similes, sinens eas suoapte impetu rapi ad quiduis agendū patiendūq; deniq; quoties sermo non cōtinetur, qui multa secreta nemine cohibente intempestiue prodidit, & liberius fluens splendor fortunæ tanquam in trāquillo nauigantes undis repentinis obruit. Hoc est illud magnum diluuium, quando apertæ sunt cataraetæ cæli, mētis uidelicet: & relecti sunt fontes abyssi, hoc est sensuū. non aliter enim inundatur anima, nisi superne tanquam cælitus è mente prorumpentibus iniquitatibus: inferne uerò tanquam à terra, scilicet sensu, inundantibus affectibus. Et hoc est cur Moses uetat turpitudinem patris matrisq; retegī, quippe qui bene norat quantum malū esset peccata mentis sensusq; non cohiberi & celari, sed tanquam præclare gesta proferri in mediū. Hi sunt fontes peccatorum, uideamus fontē prudentiæ. ad hunc patientia descendit Rebecca, & toto animæ uase repleto, per uic clium ascendit, ut appositissime iuxta rei naturam legislator loquitur. Euadit enim ad uirtutis celsitudinē, quis=

quisquis à iactabūda descēdit arrogātia . Legitur enim: Cumq; descendisset ad fontem, impleuit hydriam, & coepit ascendere. Hic fons est illa diuina sapientia, ex quo rigantur particulares scientiæ, & quotquot animæ contemplandi cupide amore summi boni tenētur. huic fontis sacra scriptura imponit aptissima nomina, iudicium eum & Sanctū appellans. Reuertentes, inquit, uenerūt ad fontem iudicij, qui est Caddes. Caddes autem sanctus uocatur. tantum non clamat uociferaturq; , sapientiam sanctam esse, puram à rebus terrenis, & rerum iudicē, decernentem omnes controuersias. Nunc dicendum superest de illo summo fonte optimo, de quo celestis pater per ora prophetarum cecinit: Me dereliquerūt fontem uitæ, & foderunt sibi cisternas contritas, quæ aquā continere non poterunt. Ergo deus est ille fons antiquissimus. & merito, uniuersus enim hic mundus ab eo pro manauit. Demiror autem & stupeo cum hunc uitæ fontem esse audio. solus enim deus animæ & uitæ, præsertim rationalis animæ, & prudentis uitæ autor est. nam materia res est mortua. deus autē plus quàm uita, fons uiuendi, ut ipse ait, sempiternus. quem fugiētes impij nō gustato potu immortalitatis, dementes foderunt sibi, nō deo primum, opera propria celestibus præferentes & olympijs, pluris facientes cura quæ sita quàm parata & ultro se offerentia. deinde fodiunt non ut Abraham & Isaac puteos, profundas scientias præbentes sermonem potabilem, sed cisternas, quæ ex seipsis nihil boni ad recreandum habent, & indigent externis affluentijs, quales è doctrina parantur, dum præceptores semper in di-

Scipulorum auditum affatim ingerunt sua placita contemplationesq; , retinenda in mente & recondenda in memoria. Verum istæ cisternæ contritæ sunt, hoc est omnes male educati animi lacunæ fractæ perfluētes q; , quæ nec aliunde sibi parare nec conseruare possunt influxum utilem. Hactenus de fontibus dixisse sufficiat. Cæterum ualde apte scriptura inducit Agarem inuentam apud fontem, non haurientem tamen, quia proficiens anima nondum est idonea haurire merum potum sapientiæ: non arcetur tamen quo minus in propinquo moretur. est autem omnis publica uia per doctrinam strata munitaq; . Ideo dicitur eam inuentā in uia Sur.] Nam Sur interpretatur munus uel directio. Alloquēs igitur animam redargutor ait: Vnde uenis, & quō uadis? quod non tam dubitando percontandoq; , quā exprobrando & pudorem inculiendo dicitur. nō est enim fas ut aliquid in rebus nostris ignoret angelus: quod uel hinc colligitur, quia etiam secreta natiuitatis pernouit dicens: Ecce pręgnans es, & paries filiū, & uocabis nomen eius Ismael.] Nam nosse factum esse masculum supra humanam facultatem est, sicut & uitæ institutum eius qui nondum natus est, quōd ferus homo erit nō mitis ac ciuilis. Ergo illud Vnde uenis, dicitur ad obiurgationē animæ fugientis meliorem potiorēq; , sententiā, cui si re magis seruiret q̄ nomine, magnā inde reportatur esset gloriā. Quo uadis incerta sectādo, certis cōfessisq; , bonis relictis? meretur igitur laudem, libenter admonitionem accipiēs: quod uel inde apparet, quōd nec domini nam incusat, sibi ipsi fugæ culpā tribuēs, nec ad secundū
inter=

interrogatum respondet, quò uadat. incertum enim hoc erat. de incertis autem tutius suspenditur sententia. Gaudens igitur redargutor obedientia mulieris ait: Reuertere ad heram tuam. prodest enim discipulæ doctricis magisterium, & imperfectæ seruitus apud prudentiam. Reuersa autem humiliare sub manu eius humilitate honestissima, abijciens præsentem brutam superbiam. sic enim feliciter parturiens eniteris prolem masculam nomine Ismael, castigata diuinis monitis. interpretatur enim Ismael auditus dei. est autem auditus à uisu secundus. uisum uerò legitimus filius & primogenitus Israel sortitur. sonat enim quod uidens deum. nam audire etiam falsa pro ueris possumus: uisus nequaquam fallax est, quo res certæ cognoscuntur. Mores autem nascituri describit, dum dicit serum fore, id est rustice sapientem, nondum ascitum in dei ciuitatem. hæc autem uirtus est, apta nata mansuefaciendis moribus. iidem feri mores indicantur his uerbis: Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum. Hoc est enim sophistæ propositum, præferentis curiositatem in disputando nimiam, & gaudentis contentiosis sermonibus. adeò & ipse ferit omnes disciplinarum sectatores, tum singulis priuatim resistens, tum in commune omnibus: & uicissim ab omnibus percutitur suas secturas defendentibus, hoc est placita quæ pariunt eorum animæ. Tertia quoque nota adiicitur hæc: Contra faciem omnium fratrum suorum habitabit:] tantum non manifeste ostendens aduersam dimicationem perpetuam. Itaq; anima quæ sophistam gerit in utero, respondet redarguenti se: Tu

es deus qui inspexit me.] Ac si dicat: tu es meorum autor
 consiliorum et partium. et merito. liberalium enim et ue-
 re ingenuarum animarum liber et liberator est opifex,
 serui uero seruorum. angeli autem dei famuli pro dijs
 habentur ab his qui in seruitute detinentur et labori-
 bus. Propterea huic puteo nomen indidit, Puteus coram
 quo uidi.] Sed fieri non potest o anima proficiens, et
 liberalium disciplinarum profunda penetrans, ut in eru-
 ditione tanquam in speculo uideas autorem scientie.
 Commodius autem huic puteo locus est Caddes inter et
 Barad. interpretatur autem Barad In communibus, Cad-
 des uero sancta. nam qui proficit, est in sacrorum pro-
 fanorumque confinio, iam mala fugiens, sed non-
 dum idoneus ut ad bona perfecta admit-
 tatur, habeatque cum eis con-
 tubernium.

PHILO-

PHILONIS IV=

DAEI, DE EO, QVIS RE-
rum diuinarum hæres
sit, Liber.



IN proximè præcedēte libro de mercedibus pro uirili disserui-
mus: nūc autem propositum est
querere, quis rerū diuinarum
hæres sit. Postquam enim ille sa-
piens audiuit redditum sibi hoc
oraculum: Merces tua multa ni-
mis: percontatur: Quid mihi dabis o heres? Ego sine libe-
ris decedam. filius autem meus iste susceptus ex ancilla,
hæres meus erit, Damascus Eliezer. ac rursum: Quia
non dedisti semen mihi, uerna iste meus hæres erit.] Et
quis non attonitus fuisset maiestate proferentis hoc ora-
culum, ut nec os posset diducere, si non præ metu, certè
præ gaudio? adimit enim uocem ut uehemens dolor, ita
nimia latitia. quamobrem & Moses fatetur se parum: no-
calem & lingua tardum, ex quo cœpit habere cum deo
colloquia: quod testimonium prophætæ uerum est. tunc
enim uerisimile est uocis instrumentum fieri tardius. ra-
tionem autem iam articulatam ferri liberiore impetu,
sententiarum magis quàm uerborum ornamenta conse-
stantem expedita quadam & sublimi eloquentia. Sunt
autem admirandæ uirtutes, uel fiducia, uel sermonis li-

bertas aduersus præstantiores, quando res eam postulat: ut illa comica sententia uera potius quàm ludicra uideatur: Si seruus semper consuescat silētio, Fiet nequam dediscēs loqui liberè. Sed quando solet hac libertate uti seruus contra dominum? nōne quando nullius malefici sibi est cōsciū, certus nihil sibi dictum factūue nisi in utilitatem sui domini? Quando igitur decet dei quoque famulum libertate lingue uti contra suum rerumq; omnium principem atq; dominum, nisi quando à peccatis purus, & charitatis erga dominum sibi conscius, magis gaudet se esse dei famulum quàm si absq; contentione adeptus esset imperium terra mariq; in omnes homines. Cæterum officia obsequiaq; Abraham plena charitatis erga dominum commendat extrema clausula oraculi filio eius redditi. Dabo tibi & semini tuo terrā hanc uniuersam: & in eo semine benedicentur omnes gentes terræ: propterea quod obediuit Abraham pater tuus uoci meæ, & custodiuit mandata mea, præcepta mea, leges meas & iudicia. Est autem serui laus maxima: nihil ex iussis dominicis contemnere, sed impigre industrieq; uel supra uires conari cuncta exequi ex illius animi sententia. Sunt igitur qui audire debent potius quàm loqui: ad quos dicitur, Tace & audi: præceptum pulcherrimum. Nam inscitia res est mala temerariaq;, cuius primum remedium est, auditoris silentium: secundum attentio ad ea quæ auditu digna sunt. Caue autem putes aliquid nihili docere hæc uerba. Tace & audi: maius quiddam est quod monent. non solum enim lingue silentium postulat & auditum aurium, sed utrumq; ab anima exi-

git

git. nam multi aures non mentē afferunt in auditorium; ipsi foris interim uagantur, & multa de multis apud se ipsos agitant, ad cognatos alienosue, aut etiam ad ipsos pertinentia, quæ præstaret ad tempus missa facere: quæ omnia dum cogitationi obstrepunt, fieri non potest ut exaudiat qui loquitur. nam eius vox non ad homines fertur, sed ad inanimatas statuas, quæ aures habent cum auditu careant. quod si mens quieta ab omnibus externis internisq; motibus dignetur attentam se præbere, & iuxta Mosis præceptum auscultare per silentium, poterit audire quæ dicuntur: alias uerò nō poterit. indoctos igitur decet silentium: ad scientiam autem aspirantibus, & dominum amantibus, est necessaria confidens facundia. Legitur enim in Exodo: Dominus pugnabit pro nobis, uos autem silebitis. ac mox tale oraculum subiungitur: Et dixit dominus ad Mosē: Quid clamas ad me? quasi deberent silere qui nihil auditu dignum afferunt, loqui uerò qui præ amore sapientiæ confidunt in domino: nec solum loqui placidè, sed etiam proclamare: non ore linguaq; à quibus idum aerem aiunt in orbem moueri, atq; ita ad auditum pertingere: sed illo musico sonoroq; instrumento, quod mortalis audit nemo, soli ingenito illi immortalisq; exaudibile, istorum uerò qui in sensibus uoluntantur nemini. Certè cum totum mentis instrumentum per diapason & disdiapason symphonias insonat, auditor quasi interrogatur, cum reuera non interrogetur. nam deo nota sunt omnia. Quid ad me clamas mala deprecans, aut pro bonis acceptis agens gratias: aut utrumq; agens eadem opera? adeò hic parum uocalis

uocalis & lingua tardus ac penè mutus, aliubi non loqui solum inuenitur, sed & clamans introducitur, rursum aliubi loquens indesinenter & eodem fluxu sermonem continuans. Moses, inquit, loquebatur, & deus ei uoce sua respondebat, non docens eum per certas orationis periodos, sed semper & continenter ei respondens. Vbi autem responsio, ibi utiq; & interrogatio. Rogat autem quisq; quod ignorat, cupiens id discere. nam discantibus nihil tam proprium ac utile, quàm querere, rogare, scitari, non uideri sibi uel scire aliquid, uel percepisse solide. Ergo sapientes deo præceptore magistroq; utuntur, imperfecti uerò sapiente illo, ad quem dicunt: Loquere tu nobis: nō loquatur ad nos deus, ne fortè moriamur. Tanta autem in loquendo libertate utitur hic uir bonus, ut non solum clamet, sed reclamet quoq; fretius uera fiducia & affectu non fucato. Nam uerba hæc: Si remittis ei peccatum hoc, remitte: sin minus, dele me è libro tuo quem scripsisti. & illa: Num ego in utero concepi totum hunc populum, aut peperì eum, quia dicis mihi: sume eum in sinum tuum, & gesta tanquam nutrix infantulum? & illa: Vnde mihi carnes ut dem uniuerso huic populo, qui opplorat mihi? nunquid oues & boues mactabuntur, aut omnes pisces maris comportabuntur & sufficient? & illa: Domine cur afflixisti hunc populum? & Cur misisti me? & Ex quo profectus sum ut loquerer ad Pharaonem in tuo nomine, afflixit populum. & Non liberaisti tuum populum: hæc inquam & similia nemo uel regi cuius auderet dicere. ceterum cum deo loqui tam libere, summa fuit non audaciæ sed fiducia

cie

ei: quia sapientes omnes amici dei sunt, praesertim quod
 ad sacras leges promulgandas attinet. libertas autem lo
 quendi cognata est amicitiae: alioqui cum quo loquemur
 liberè, si cum amico non licet? Rectè igitur in sacris lita
 ris Moses amicus dei celebratur, ut quoties audacius lo
 quitur, amicitiae potius id tribuatur quàm arrogantiae.
 nam arrogantis est temeritas, amici uerò fiducia. Sed con
 sidera iterum quòd fiducia temperatur cum reuerentia.
 nam haec uerba, Quid mihi dabis? fiduciam praeseferunt
 illud autem, ô here, reuerentiam. Ceterum cum duabus
 appellationibus prout res postulat, rerum autor appella
 lari soleat, aliquando deus, aliquando dominus, nunc ha
 rum neutra, sed herus assumitur, idq; peropportune
 & religiose admodum: quamuis haec uocentur synonyma
 herus & dominus: sed quamuis utrumq; nomen in
 unum eundemq; competit, distinguit tamen haec cogita
 tio: quia dominus κύριος πρὸς τὸ κύριος, hoc est, ab au
 toritate dicitur, qua ratum fit aliquid: sicut contra ἀνω
 γος uocatur irritum. herus autem δεσπότης πρὸς τὸν
 δεσμὸν, id est, uinculum. Vnde ut opinor δέος, id est,
 timor. itaq; & δεσπότης dominus erit & quidē timen
 dus, non solum propter auctoritatem, uerum etiam pro
 pter metuendam omnipotentiam. uel fortasse quia colligat
 continetq; omnia cōstringens indissolubiliter, alio
 qui natura dissolubilia. Quare cū dicit, Here, quid mihi
 dabis? perinde est ac si dicat: Non ignoro tuam ingētem
 potentiam, scio & potestatem tuam terribilem. timens
 tremensq; te appello, & rursus fiducia subleuor. Tuum
 enim oraculum iubet nē timeam: tu mihi linguam erudi
 tam

tam dedisti, ut sciam quando loquendum sit. tu os meum
 consutum soluisti, aperuisti, et articulatum fecisti: dicen-
 da quoque suggeris, confirmans illud tuum oraculum: Ego
 aperiam os tuum, et docebo te quid loqui debeas. Quis
 enim sum ego ut loqui me doceas, ut mercedem pollicea-
 ris perfectiorem quouis dono et gratia? nonne est patria
 sum profugus? nonne cognatos deserui? nonne careo pa-
 ternis ædibus? nonne omnes me relegatum, profugum;
 desertum, et inhonoratum nominant? Verum tu mihi
 here es patria, tu cognatio, tu paterna domus, tu honor,
 fiducia, opulentia clara et perpetua. Cur igitur non au-
 deam proloqui quæ cogito? cur non perconter de his
 quæ cupio discere? attamen quamvis præ me ferre confi-
 dentiam uidear, nihilominus metam et stuporem fateor:
 nec tamen pugnare in me affectus contrarios, timeant
 atque audaciam, sicut fortasse aliquis suspicabitur, sed con-
 temperari aptissime. itaque insatiabiliter fruor tam bene
 temperato poculo, quod facit ut nec liberius loquar quam
 pro reuerentia, nec reuerentia libertatem mihi adimat.
 Didici enim me ipsum metiri, quam sum nihili, et nunquam
 tuam beneficentiam suspicere. et quoties pulverem ci-
 neremque, aut si quid his est proiectius, me ipsum sentio,
 tunc appellare te audeo, humiliatus et in terra prostra-
 tus, sic mutatus ut uix subsistere uidear. Talem affectum
 animæ impressit in meam memoriam uisitor Abra-
 ham. Appropinquans, inquit, Abraham dixit: Nunc
 incepti alloqui dominum, ego autem terra sum et cinis.]
 Tunc enim tempus est ut creatura suum factorem appel-
 let, quando agnoscit quam ipsa sit nihili. Illud autem,

Quid

Quid mihi dabis? non tam dubitantis est uerbum, quam
 gratias agentis pro acceptorum beneficiorum magnitu-
 dine: Quid mihi dabis? Num est quod sperem praterca?
 Copiosæ sunt, ô munificentissimæ, tuæ gratiæ, nullis cir-
 cumscriptæ terminis, nec modum nec finem habent, fon-
 tium more inexhaustæ & subscatentes perpetuo. Sed
 considerandus est non solum torrens exundans tuæ be-
 neficentiæ, uerum etiam arua nostra quæ illo rigantur:
 nam si nimis perfundantur, stagna & paludes erūt pro
 campis frugiferis. annon & mihi certa mensura opus
 est? ideo percontor Quid mihi daturus es? qui iam dedi-
 sti plurima, & penè omnia quorum natura humana ca-
 pax est. quod enim adhuc cupio scire, hoc est, quisnam
 possit esse dignus hæres tuorum operum, Ego defungar
 sine liberis, acceptis bonis ad breue tempus paucosq;
 dies duraturis, & ad finem properantibus, quamuis op-
 tem longæuitatem nec senio nec morti obnoxiam, ut
 possit iactis seminibus radices firmas extendere, & sti-
 tem usq; ad cælum attollere. necesse est enim ut humana
 uirtus in terra gradiens ad cælum erigatur, ut ibi gusta-
 to immortalitatis nectare, sempiternam salutem habeat.
 nam scio quòd sterilem animam odisti, ipse rerum on-
 nium genitor. eximiam enim gratiam largitus es per spi-
 caci generi, ne unquam sterile scat & prole careat: cui
 quoniam & ego contributus sum, iure hæredem deside-
 ro. Cum enim uideam id inextinguibile, turpe puto si-
 nere ut naturæ meæ bonum intereat. Supplex igitur im-
 ploro, ut semina scintillæq; foveantur, à quibus uirtutis
 lux salutaris accendi queat, quæ tanquam lampas per
 manus

manus tradita, mundo æqueua fiat. Indidisti & meditati-
 torijs uiris desiderium filiorum qui progignuntur ex ani-
 ma, quibus potiti exclamarunt præ gaudio. En pueri
 quorum misertus est deus seruorum tuorum: quorum
 peregrinatio nutrix & altrix est, quorum intactæ ani-
 mæ teneræ generosæq; sunt, in omnes uirtutis formas di-
 uinas & pulcherrimas fingi faciles. Sed doce me & il-
 lud, an filius Massec uernaculæ meæ, tuarum gratiarum
 hæres sit idoneus. nam ego hætenus neq; speratum acce-
 pi filium, neq; de hoc quā accepi spem habeo. Quenam
 autem sit hæc Massec, & quis eius filius, non obiter con-
 siderandum est. Massec interpretatur ex osculo. differt
 autem ab amore osculum. nam ille est animarum coniun-
 ctarum per mutuam beneuolentiam: hoc autem nudam
 salutationem habet superficietenus in occurso fortuito.
 sicut enim in ἀνακύνειν non est κύνειν, in κατὰ πλά-
 νειν πίνειν, in μαρσίππῳ ἵππος, sic nec in κατὰ φίλῳ
 φιλεῖν, id est, amor in osculo. nam multi etiam inimicis
 coacti aliqua necessitate hanc officij speciem exhibent.
 quæ sit autem illa ex osculo, non ex sincera caritate, no-
 bis commendata, dicam nihil dissimulans. Vita qua cum
 sensibus conuiuimus, tota secura, quam nemo nō amat,
 quam hominum uulgus heram existimat, elegantiores
 famulam, non externam aut emptitiā, sed uernaculam
 & tribulem quodammodo: qui etiam didicerunt oscula-
 ri eam non amare, cum illi alteri ualde ament eam & de-
 siderent. Laban autem ille uirtutis osor ne osculari quis-
 dem potest attributas meditatori potentias, sed ut assue-
 tus simulationi fictisq; moribus, tanquam egre ferens,
 cum

eum reuera non doleat, ait: Non iudicasti me dignum ut oscularer pueros meos & filias. Iuste ac merito. Simulationem enim implacabiliter odisse didicimus. Dilige uirtutes, & animo complectere, & non requires osculum, fucatum specimen amicitiae. nō est enim eis amplius portio uel hereditas in domo tua. nōne pro alienis à te reputatae sunt? nōne uendidisti eas, & deuorasti earū pretium? ut ne in posterum quidem eas possis redimere ac postliminio reuersas recipere. quid igitur osculari uile inimicus perpetuus uirtutum omnium? At non sic Aarō osculatur Mosē, sed ex animo ut germanum charissimum. Amantē, inquit, salutauit eum, & complexi sunt se inuicem. Sūt autem uitae tria genera, una apud deum, altera apud creaturam, tertia media, mixta ex utraq; quae apud deum est, non descendit ad nos, nec uenit in istis necessitates corporis: quae apud creaturam, nec ascendit, nec curauit ascendere, degens in cauernis intinuis, & uita minime uitali gaudens. at quae mixta est, saepe ad meliorem tracta ordinem numine corripitur, interdum retracta ad deteriorem retro se recipit. quod si ad hanc tanquam in balancem melior uita accedat, adeo praegrabit, ut in diuersa lance minimum ponderis appareat. Mosēs autē ei quae apud deum est uita palmam decernens sine puluere, reliquas inter se comparat per duarum mulierum similitudinem, quarum alteram dilectam, alterā exosam, uocat aptissimis nominibus. Quis enim est qui non capiatur oculorum, aurium, gustus, odoratus tactusq; delicijs ac uoluptatibus? Quis non abhorret à contrarijs, frugalitate, continentia, austerā casti-

Philo. to. 1.

X

gataq;

gataq; uita, lusus ac risus experte, plena curis & laboribus, contemplandi cupida, infensa ignorantie, contemnuente pecuniam, gloriam, delicias, aspirante ad temperantiam, bonam existimationem, & uidentes non cecas diuitias? Est quidem primogenitura ut antiquior ita honoratior: Moses tamen etiam postrius natos hoc honore dignatur, his duplum tribuens, alteris aufrens dimidium. Si habuerit, inquit, homo duas uxores, dilectam & exosam, & ambæ pepererint, cum distribuet suam substantiam, non poterit primogenituram dare filio dilectæ, scilicet uoluptatis. iuuenis enim hic censetur, etsi tempore antiquior. sed dabit filio seniori nato è fastidita prudentia, qui à pueritia dignus fuit, cui duæ portiones debentur. Huius figuræ sensum moralem quia iam ante diximus, reuertamur ad proximè sequentia, præmonito lectore, quod exosæ deus uulvam aperuisse dicitur, ortum dans bonis studijs & honestis operibus, cum ea quæ dilecta putatur, mox ab initio sit sterilis. Videns, inquit, dominus quod Lia fastiditur, aperuit uulvam eius: Rachel autem erat sterilis. Sed quoties anima prægnans quales decet foetus parturit, tunc altera sensibilibus genitrix sterilefcens desinit parere, grata non propter amorem, sed propter oscula. Huius sensualis uitæ, quæ Massec nominatur, unusquisq; nostrum est filius, honorans demiransq; nutricem altricemq; humani generis: quam terrenus intellectus Adam nomine, ubi factam uidit, quamuis mortem suam, uitam illam nominauit. Vocauit, inquit, Adam nomen uxoris suæ uitam, quod ipsa sit mater omnium uiuentium, reuera mortuorum iuxta

uitam

uitam animæ. At quotquot uerè uiuunt, matrem habent sapientiam, sensus autem utuntur seruitio. in hoc à natura factum existimantes, ut minister sit ad parandam scientiam. nomen autē nati ex ea uita cuius nota est osculum, Damascus traditur, quod sacci sanguis interpretatur, aptè admodum: quia per saccū significatur corpus, per sanguinem uita quæ est in sanguine. nam quoniam anima dupliciter dicitur, & in uniuersum, & pars eius præcipua, quæ propriè dici potest aīa anima: sicut oculus et totus globus est, & ea pars qua propriè cernimus: existimauit legislator duplicem essentiam animæ: totius quidem, sanguinem: præcipuæ uerò partis, diuinum spiritum. proinde apertè dicit: Anima omnis carnis, sanguis est. egregiè carniū turbæ influxum sanguinis attribuit ut proprium. mentis uerò essentiam nulli creaturæ coaptauit, sed introduxit eam supernè inspiratam à deo. Inspirauit, inquit, creator omnium in faciem eius spiritum uitæ, & factus est homo in animam uiuentē, quæ etiam ad imaginē sui factoris expressa narratur. Itaq; duplex est genus hominū, alterum quod uiuit iuxta rationē inspiratā diuinitus. alterū quod sanguine uiuēs seruit carnis uoluptatibus. hoc terræ figmentū est, illud ad imaginē dei expressa effigies. ea terra sanguine macerata, ex qua ficti sumus, nō mediocriter eget diuino auxilio: ideo dicitur: Iste Damascus Eliezer. Interpretatur autē Eliezer deus adiutor meus. quoniam hæc moles sanguinea per se dissolubilis et mortua, cōsistit et fouetur prouidentia dei sua manu sustētātis et protegētis: alio qui nē per unūquidē diē genus nostrū durare poterat. Nō uides quod &

Mosis secundus filius eodem est nomine? Nomē, inquit, secundi Eliezer. ac mox causam adiicit. nam deus meus auxiliator meus, & eripuit me è manu Pharaonis. Ceterū sanguineæ sensualisq; uitæ amicis præficitur ille pietatis dissipator & hostis Pharaonis nomine, cuius regnum iniustum & crudele non licet effugere, nisi Eliezer nascatur in anima, & auxilium à solo seruatore nos sperare iubeat. Rectè autem in stemmate Damasci non patrē, sed matrē Masce memorat: ut ostendat quod anima sanguinea, qua bruta uiuunt, ad mulierum maternum gēnus propriè pertinet, expers masculini generis. At non sic uirtus Sarra: solam enim uirilem stirpem sibi usurpat, ex solo deo nata qui pater est omnium, ipsa matre carens principium. Vere, inquit, soror mea est, eodem patre, non item matre progenita. Hæc de quibus præmoneremus habuimus. erat enim in prima parte argumētū quædam obscuritas penè enigmatica. Quid autē hic studiosus quærat, explicandum est diligentius. An possit aliquis huius sanguineæ uitæ cupidus, & sensibus deditus, incorporarum diuinarumq; rerum hæres fieri. His dignus habetur solus ille qui supernè inspiratus est, celestis diuinæq; portionis particeps intellectus purissimus, contemnens non modo corpus, sed & alteram partem animæ, quæ cum sit bruta sanguine fermentatur, furores feruentes & concupiscentias ardentes excitans. ergo sic interrogat: Quoniam mihi non dedisti semen illud à seipso doctum & intelligibile, num uerna meus hæres mihi erit, sanguineæ uitæ filius? Vix id elocutus erat, cum deus respondit. Mox, inquit, uox dei facta est ad

ad eum dicens: Non hic hæres tuus erit, nec quisquam sensui conspicuus. nam incorporeæ naturæ intelligibilium rerum hæredes fiunt. Et obseruandum quod nec dixit deus, nec locutus est, sed uox dei facta est ad eum, tanquam intus in corde pulsans. Quis ergo hæres erit? non ille intellectus qui sponte detinetur in corporis carcere, sed qui solutus uinculis liberatusq; prodijt extra parietes, & ut ita loquar, seipsum dereliquit. Qui, inquit, egredietur ex te, hic hæres tuus erit. Ergo si cupis, ô anima, hæres diuinorum bonorum fieri, non tantum terram corpus, & cognationem sensuum, & domum paternam, rationem desere, sed & teipsam fuge rapta extra teipsam sicut lymphati & fanatici, bacchabunda & numine agitari te non dissimulans. nam extra se rapta, afflataq; diuino furore, & impulsæ cælesti cupidine, attractaq; à ueritate impedimenta dimouente & uiam muniente, hæc est hæreditas. Sed quomodo migras ab illis prioribus, ingenuè dic nobis, ô mens, quæ audire doctis insonare soles intelligibilia dicens: Equidem migravi è corpore, quando carnē sensumq; contempsi, atq; etiam omnia sensibilia, si ad ueritatem conserantur spectra & phantasmata, damnato sensuum iudicio corrupto & insincero plenoq; falsis opinionibus: damnatis etiam his quæ iudicantur, ut paratis ad inescandum fallendumq; & ueritatem, quantum in se est, tollendam è rerum natura. quin & e ratione migravi, quando multum irrationalitatis in ea cognoui, utcumq; tumente & extolente se. ausa est enim quiddam non mediocre, per umbras corpora, per uerba res, quod fieri non potest,

mihi ostendere. itaq; labeatur per lubrica, & cogebatur multa circumloqui, quæ proprijs uerbis eloqui disertè non poterat. quapropter cum uiderem eam affectam ut infantem puerum, decreui satius esse migrare ab his omnibus, & ad deum referre singulorum potentias, qui & corpus compingit ac corporat, & sentiendi uim indit sensibus, & rationi orationem suppeditat. Proinde agedum sicut dereliquisti cætera, excede ac emigra etiam ex teipsa. at quomodo? caue ne intellectum, cogitationem, perspicacitatem tibijsi thesaurizes, sed offerens hæc ei dedica, qui exactè intelligendi & infallibiliter percipiendi causa est. hæc autem donaria recipit alterum è sacratis templum, scilicet sanctius. Sunt enim opinor duo, alterum intelligibile, alterum sensibile. sensibile naturarum mundus hic, intelligibile uerò ille intelligibilis est receptaculum. Quod autem is qui iam dicta egressus cupit sectator dei fieri, prædiuitis naturæ laudatam hæreditatem assequitur, testis est scriptura dicens: Eduxit eum foras & dixit: suspice in cælum. quoniam hic est diuinorum bonorum thesaurus. Aperiat tibi, inquit, dominus thesaurum suorum bonorum, cælum uidelicet. ex hoc certè consummatas letitias largitor ille continuè depluit. Suspice, ut arguas cæcum uulgus hominum, quod cum sibi uideatur cernere, orbatum est luminibus. nisi fortè non est orbum dum mala bonis antefert, iustis iniusta, perturbationes tranquillitati animi, immortalibus mortalia: repulsisq; monitoribus ac castigatōibus cum suis præceptis atq; monitis, adulatores admittit & sermones inui-

tantes

antes ad uoluptatem, ocium, ignorātiā, atq; delicias. Ergo solus bonus uidet. quamobrem & prophetas pri-
sci nominabant uidentes. qui autē foras prodijt, nō solum
uidens, sed & deū uidens appellatus est Israel. sic enim
hæc uox interpretatur. At isti etiam si quando aperiunt
oculos, terram intuentur terrenorum cupidi, et innutri-
ti materiæ. nam ille attollēs oculos ad ætherem sufficit,
unde manna uerbum diuinum, celestis immortalisq; cie-
bus animæ spectandi ac discendi cupida. istis uerò ani-
mus est in cepis & alijs pupillas cruciatibus & turban-
tibus ita ut cōniucant, atq; in porris & salsamentorum
fœtoribus, cibis Aegypto peculiaribus. Venerūt, inquit,
nobis in mentem pisces quibus in Aegypto uescebamur
gratis, cucumeres, pepones, porrum, cepe, allium. nunc
anima nostra exaruit, nihil præter manna uident nostri
oculi. Facit autem ad mores & illud Eduxit eum foras,
quod quidam indocti ridere solent, rogantes & quis
intrò educitur, aut ediuerso foras intrat? Etiam, ô ridicu-
li & nimis faciles. nescitis enim uestigare mores animæ,
sed solos corporum locales motus in his uerbis quæri-
tis. ideò mirum uobis uidetur si quis intrat foras, aut in-
tro exit. nobis uerò Moysis familiarib. nulla est hic absur-
ditas. Annon diceretis, perfectum summum sacerdotem;
quādo in adytis operatur sacris patrijs, intus esse ac for-
ris? intus conspicuo corpore, foris anima uaga obambu-
lātēq; rursum aliū uel alienum à Leuitico genere. amicū
deo carūq; extra sacraria stātē, intus in penitijsimis age-
re, qui peregrinationē putat totā uitā corporis: et quo-
ties potest solā aīe uitā uiuere, credit se degere i patria.

nam extra amicitiam est omnis insipiens, etiamsi ne momentum quidem discedat à contubernio: intus uero omnis sapiens, etiamsi non solum regionibus, uerum etiam immensis terræ tractibus disiunctus sit. Moses aut hunc amicum adeo deo propinquum ait, ut nihil ab anima differat. dicit enim: Amicus æqualis animæ tuæ. Iuxta eiusdem æstimationem, nec sacerdos erit homo, tãtis per diu est in sanctissanctorum, donec exeat, non corporaliter, sed animæ motibus. Mens enim quando pure deo sacrificat, non est humana, sed diuina. cum autẽ ad aliquid humanum auertitur, descendens de cælo, uel potius delapsa in terram, egreditur etiamsi corpus intus maneat. Reclutissime igitur dictum est, Eduxit eum foras, è carcere corporis, è cauernis sensuum, è fallacibus rationis sophismatibus: et insuper ex seipso, atq; opinione qua putabat, se nulli obnoxium libere ac suapte facultate percipere atq; intelligere. Producto autem foras dixit: Suspice in cælum, et numera stellas, si potest iniri eorum numerus. Sic erit semen tuum. Egregie dictum, sic erit sementum, non par stellarum numero. non enim solam multitudinem, sed et alia multa ad perfectam felicitatem conducentia uult indicare. Sic erit, inquit, sicut quod uides in æthere, sic cæleste, sic umbra carens, plenum splendore purissimo (nam nec in cælo nox locum habet, nec in uirtute tenebræ) dispositum ornatissime, inmoto manens ordine, semper sui simile. Vult enim cæli effigiem, aut quod plus est, cælum terrestre dici sapientis animam, ut quæ in æthere habet lucida sidera, statos motus, continuas choreas, diuinos circuitus, uirtutum splendores fulgi-

fulgidissimos & stellis simillimos: quod si sensibiliū stellarum numerum inuenire est impossibile, multo magis intelligibilium. Nam quanto præstantius est quod iudicat quam quod iudicatur: siquidem mens sensu est potior, hic uero illa hebetior: tantum & inter ea quæ iudicantur interest. itaq; immenso intelligibilia sensibilium numerum superant. nam oculi animæ proprii minima quædam portio est oculus corporeus. ille soli est similis, hic candelabro quod modo accēsum mox extinguitur. ideo necessario subiungitur: Credidit Abraham deo: ad laudem eius qui credidit. Dicat fortasse aliquis, hoc cime laude dignum iudicas? Quis deo loquenti pollicentiq; fidem non adhiberet, etiamsi esset impius & omnium mortalium iniustissimus? Huic respondebimus: Caue caue, præclare uir, ne temere aut illum sapientem fraudes suis laudibus, aut indignis perfectissimam uirtutem fidem tribuas, aut nostram super hac re incuses sententiam. Nam si penitus scrutari, non solum in superficie, uolueris, comperies quàm difficile sit credere soli deo absque ullo testimonio, propter cognitionem quam habemus cum rebus mortalibus, quæ nobis persuadent ut credamus fidamusq; gloriæ, principatui, amicis, sanitati roboriq; corporis, & cæteris plurimis. has persuasiones elucere, & diffidere creaturæ per se infidissimæ, ac soli deo fidere, qui solus uere fidus est, res est animi magni celestisq; non inescati ullis rebus nostratibus. Illud quoque bene additur, imputatam ei fidem ad iustitiam.] Nihil enim tam iustum, quàm fide sincera deo credere. Id quantum iustum & naturæ consentaneū, mirum uidetur

tur propter uulgus incredulum, quos arguēs sacra scriptura dicit, in solo deo firmum esse certumq; præsiū, quantumlibet hoc mirentur homines uerorum bonorū expertes, alioqui reuera non mirabile. est autē opus iustitiæ proprium. Et dixit, inquit, ad eū: Ego sum deus qui eduxi te de terra Chaldæorum, ut darem tibi terrā hanc in hereditatē.] Hoc nō solum noua pollicetur, sed & ueterem promissionem confirmat. Siquidem dudum donatum bonum, exitus erat ē meteorologia Chaldaica, quæ docebat credere, mundum non opus dei, sed deum ipsum esse, & bona malaq; imputare stellarū certis ordinatisq; cursibus, unde bonorum malorumq; causas pendeant. hanc tam prodigiosam opinionem homines ad credendum faciles hauscrāt ex æquabili motu orbium cælestium. nam Chaldim interpretatur æquabilitas. Nouum autem bonum quod promittitur, est acquisitio sapientiæ eius quæ non sensu discitur, sed mente sincerissima percipitur, & confirmat migrationem optimā, anima se conferente ab astronomia ad physiologiam, et ad certam cognitionem à coniectura: atq; ut proprie loquar, à genitis ad Ingenitum, à mundo ad eius patrē cōditoremq;. Chaldaicam enim sectam cælo fuisse deditā: hunc autem postquam inde migravit, deo qui cælo uetatur & id gubernat, credidisse, narrāt sacra eloquia. præclara sane hereditas, fortasse maior quàm pro capto heredis, sed digna largientis magnitudine. Sed non sufficit bona spes & miræ felicitatis expectatio sapientiæ cupido per oraculum oblata, nisi & modum audiatur, quo ad eam felicitatem peruenturus sit, quod molestum

lestum sit illi hæc ignorare, ut insatiabiliter sitienti scientiam. Ideo percontatur: Domine deus, quomodo cognoscam quod eam hæreditate possidebo? Dicat fortasse aliquis, non conuenire hoc ei qui crediderat. nam hæitationem dubitantis esse, cum uero qui credit, nihil amplius quærere. Dicendum igitur cum hæsitare & credere, sed non de eadem re. absit hoc à fideli anima. credidit se hæreditario iure possessurum sapientiam, nihil aliud quærit, quàm quomodo sibi obuentura sit ea felicitas. nam obuēturam certo scit fretus dei promissione. Itaq; delectatus hominis prono ad discendum desiderio præceptor, incipit à primis elementis eum erudire, primum docens quod est summè necessarium: Sume mihi. Breue uerbum, sed magna uis eius. nō pauca enim indicat. Ante omnia, proprium, inquit, nullum habes bonum, sed si quid habere putaris, aliunde habes. Vnde colligitur quod accipimus à deo quicquid habemus, non à post eum nata creatura, quæ ipsa manus ad eum tendit ut accipiat. Secundo, inquit, quicquid sumis sume non tibi ipsi, sed quasi mutuum aut depositum redde ei qui deposuit, & quidem cū auctario, ueterem gratiam noua pensans gratia, & decenter aliquid rependens bene merito. nam multi sacris depositis male usi, præ auaritia nimia uerterunt ea tanquam sua in proprium commodum, tu uero uir bone da operam pro uiribus, ut non solum integra illa sãq; serues quæ accepisti, sed omni cura efficias, ut qui deposuit nō habeat quod queratur de tua custodia. deposuit autem hæc, animam, rationem, sensum, nimirum factor animalium: quæ depo=

deposita figurate iuuenca, aries, capra nominantur in
 sacris literis. hæc autem quidam sui nimis amantes usur-
 parunt sibi, alij reposuerunt ut tempestiue redderent. et,
 fraudatores quidem sunt innumeri. quis enim est nostrus,
 qui animam rationem sensum in bonis suis non censeat,
 sibi acceptum ferens quod sentit loquitur intelligit? eo-
 rum autem qui bona fide custodiunt depositum exiguus
 est numerus. hi tria iam dicta deo dedicant, rationē, sen-
 sum, animam. Sumpserunt enim non sibi, sed illi hæc om-
 nia: itaq; merito fatentur ab eo uenire uires horum sin-
 gulis, menti cogitationes, rationi sermones, imaginatio-
 nes sensibus. cæterum qui hæc ascribunt sibiipsis, meri-
 to sibi parant has misérias: insidiosam animam fermenta-
 tam brutis affectionibus, & uitij plurimis obsitam,
 nunc gulæ atq; libidini tanquam in lupanari prostitu-
 tam, nunc à plurimis iniquitatibus tanquam in carcere
 constrictam cum maleficis, non hominibus, sed studijs,
 quæ omnibus tribunalibus facessunt negotium. rationē
 uero inaniloquam, exacutam ad impugnationem ueri-
 tatis, sibi dedecus asferentem, damnum autem audienti-
 bus. præterea sensum insatiabilem, semper ingurgitan-
 tem res sensibiles, sed nunquam expleri ualentem, conti-
 macem aduersus monitores, & conspuentem quicquid
 ad emendationem audit uidetq;. Qui autem hæc sumpse-
 runt non sibi, sed deo, dedicarunt ei singula, ut sacra ser-
 uantes suo domino: mētem quidem, ne quid aliud quam
 de deo uirtutibusq; cogitaret: rationem uero, ut ore fre-
 nato, laudibus hymnisq; ueneraretur parentem rerum
 omnium, ostentans in hoc tantum negotio suam eloquiū
 tiam:

liam: sensum autem, ut imaginando totum hunc mundum
sensibilem, cælum terramq; & naturas quæ sunt in me-
dio, animantes ac stirpes atq; uires harum & efficaciã,
motusq; alios & habitus, sedulo & sine fūco nūciet an-
imæ. menti enim deus dedit, ut intelligibilem mundum per
seipsam, uisibilem autē per sensum, cognosceret. Quod
si quis possit omnibus his partibus deo magis quàm sibi
querere, per sensus introspiciendo sensibilia, inuenien-
dæ ueritatis studio, per animam autem in rebus intelli-
gibilibus quæ uere sunt philosophando, deniq; per uo-
cis instrumentum laudando hunc mundum & eius opi-
ficem, uiuet uitam beatissimā. Hæc puto significari per
uerbum illud, Sume mihi. Cæterum quoniam misericor-
di deo uisum est suæ uirtutis excellentiam cælitus in ter-
ram demittere, ut genus nostrum potioris sortis fieret
particeps, figurate tabernaculum cum suis sacris appa-
rauit, sapietiæ simulacrum et imaginem. nam in medio
nostræ impuritatis collocatum tabernaculum ait scri-
ptura, ut esset quo purificaremur, elutis et abstersis for-
dibus ac maculis, quibus referta est hæc uita nostra mise-
ra. Videamus igitur quid præcipiatur de apparando ta-
bernaculo. Locutus est, inquit, dominus ad Moysen di-
cens: Dic filiis Israel. Sumite mihi primitias, à quocunq;
ultra dante sumetis eas. Hic quoq; præcipitur ut non si-
bi sed deo sumant, examinando dantis animum magis
quàm donum, & conseruando quæ dantur illæsa atq;
integra. quod autem primitias postulat, id ad erudien-
dos nos pertinet. nam reuera corporum ac rerum pri-
mitiæ deo debentur. id si scire uis, considera stirpes, ani-
males,

mantes, artes, scientias. primum stirpium semina sunt ne agricultura an inuisibilis nature opera? quid hominum ceterorumque animalium generatio, nonne parentum operam habet accessoriam, suprema autem antiquissima ueraque eius causa natura est? artium autem scientiarumque nonne fons, radix, fundamentum, aut si quod aliud est nomen potioris principij, natura supponitur, cui contemplationes omnes superstruuntur? naturam uero si subtrahas, imperfecta erunt omnia. Et hoc est quod mihi quidam uidetur dixisse aptissime: ἀρχὴ δέ τοι ἡμῶν πάντων. Dimidium facti qui bene cepit habet.

Merito igitur in sacris eloquijs primitiæ dedicantur deo rerum principi. Aliubi quoque sic legitur: Locutus est dominus ad Moysen dicens: Consecra mihi omnem primum factum primogenitum, aperientem uuluum, in filiis Israel, ab homine usque ad pecora. itaque sic etiam confessum fit, quod quæ antiquiora sunt et præcipua deo debentur, præsertim primogenita. quoniam enim omne genus est incorruptibile, incorruptibili deo iuste attribuitur, et quicquid in uniuersum uuluum aperit, ab homine, hoc est ratione, usque ad pecora, id est sensus corporis. nam qui aperit uuluum singulorum, mentis ad percipienda intelligibilia, rationis ad exercendum sermonem, sensuum ad obiecta tractanda, corporis ad proprios eius motus atque habitus: est ille dei sermo inuisibilis sator et artifex, qui conuenienter ad patrem refertur. atqui si cui principia dei sunt, sic et fines: teste Moysen, qui præcipit ut separetur finis, et dedicetur domino. attestantur et mundanæ res. quomodo? stirpis principium semē
est,

est, finis uerò fructus: utrūq; opus naturæ non agriculturæ. Rursum scientiæ principiū natura est ut ostēdimus, finis autē ne contingit quidem hominibus. nemo enim absolutus est in ulla scientia, sed reuera perfectiones & fastigia unius solius sunt. itaq; nos uersamur in spatio medio finem inter & principiū, discendo, docendo, agros colendo, cætera opera tractādo quasi agamus aliquid, ut & generatio uideatur aliquid agere. Manifestius tamen principia finesq; deo tribuuntur in mundi creatione, dicente scriptura, In principio fecit: & rursum, Perfecit deus cælum & terram. Nunc igitur ait: Sumite mihi: sibi debita uindicans, & præcipiens ne quæ dātur uiuentur, sed ita ut oportet seruentur. Rursum aliubi quire nulla indiget, & ideo nihil accipit, fatetur nihil accipere, ut pietatē accendat, & ad sanctitatē religionemq; prōptos faciat, quasi delectetur spōtaneis obsequijs animæ & cultu legitimo. Ecce, inquit, accepi Leuitas pro omni primogenito aperiēte uuluā apud filios Israel, erūt eorū redemptio. Damus igitur & accipimus. sed accipimus proprie, abusive dare dicimur, ob causas quas diximus. apte autē redemptionē Leuitas nominat. nihil enim æque mentem ad libertatē erigit, ac confugere ad deum suppliciter. id autem sacrata Leuitica tribus profitetur. Quādo igitur satis de his differuimus, reuertamur ad textus reliqua. Sume mihi, inquit, iuuenā indomitā, ileſam, tenerā, iuuenē, laſciuā, sed rectoris patientē animā. sume mihi arietē, rationē maturam, paratā certamini, idoneā soluen dis et diffecādis nodis sophistarū ex aduerso disputantiū, idoneā et ad tuendū ornādūq; cū cui

contia

contigit. fume mihi & sensum inducentem in hunc mundum sensibilem, capram, tria hæc omnia, iuxta numerum perfectum composita, principium, finem, medium habentia. præterea turturem & columbam, diuinam & humanam sapientiam, ambas quidem uolucres & in altum tolli exercitatas, differentes tamen à se inuicem, quatenus differt genus à specie, aut exemplar ab imagine. amat enim diuina sapientia solitudinem, propter solum deum cuius ipsa est possessio, & turtur figurate uocatur. altera uero mansueta, cicut & gregatim uolitans ciuitates hominum libenter incolit, gaudens consuetudine mortaliū, & ideo representata per colubæ similitudinem. Has uirtutes opinor Moses subindicans, obstetrices Hebræarum Sepphoram & Phum nominat: quarum altera auicula, altera rubor interpretatur. siquidem diuinæ scientiæ proprium est sublimia petere: humanæ uero, modestiam & pudorem indere, quem erubescentiæ maxime indicat. Et sumpsit, inquit, ei hæc omnia. hæc laus est probi hominis, sacrum depositum animæ, sensus, rationis, diuinæ sapientiæ, humanæ scientiæ, sine dolo bona fide seruantis, non sibi sed ei qui deposuit. Deinde addit: & diuisit ea per medium: nec dicit quis diuiserit, cogitationi tuæ relinquens intelligendum deum, secantem corporum ac rerum cunctarum coherentes & unitas ut uidetur naturas, uerbo suo nihil non secante, quod ut acutissimum non desinit diuidere omnia sensibilia, donec perueniat ad ea quæ uocantur indiuidua. Idem uerbum incisorium etiam rationi conspicua in plurimas portiones incircumscriptas diuidit, & bracteas auri secat

in

in capillamenta, ut Moses ait, longitudinem sine latitudine, incorporeis lineis similem. Hæc igitur tria singula diuisit per medium, animam in brutam partem & rationalem, orationem in uerum & falsum, sensum in imaginationem certam & incertam: atq; ita dimidiata inter se opposuit, rationali brutum, uero falsum, certo incertum, indiuisa sine uolucris. nam incorporea diuinaq; scientiæ in contrarietates pugnantes non possunt diuidi. Et quia dicendum est de diuisione in æquales portiones & de oppositis, nec silentio re præteruehemur, nec prolixius immorabimur, sed quāto poterimus utemur compendio, contenti huc proprie pertinentibus. nam sicut animam nostram & membra per mediū diuisit opifex, sic & huius uniuersitatis essentiam mox in mundi huius initio. Primum bifariā eam diuisit. in graue & leue, quod crassum est discernens à tenui horum utrumq; denuo diuisit, tenue in ignem & aerem, & crassum in aquam terraq; sensibilibus mundi elementa sensibilia, pro fundamento ei futura. ac rursus tum graue tum leue diuisit in alias species, leue in frigidum & calidum, frigidum appellans aerem, ignem uero quod est natura calidum: item graue in humidum & aridum. humidum uocauit aquam, terram aridum. hæc singula rursus aliter secta sunt. terra in continentes & insulas: aqua in mare et fluuios, ceterosq; latices potabiles. aer in æstiuas brumalesq; mutationes. ignis in hūc quo utimur quotidie; corruptiuum & insatiabilem, & in aliū salutare priori contrarium, ex quo cælum cōfectum est. Ita secta sunt uniuersalia, nec minus particularia, nempe in animata

Et in anima. In animatis quædā semper manent eadem,
 quæ habitu cōtinentur ceu uinculo: quædā mouētur, nō
 migratione sed incremēto, quæ natura inenarrabili mo-
 do uiuificat. ex his alia sunt siluestria, quæ immites fru-
 ctus cibum ferūt bestiis: alia frugifera, quæ ad curā agri-
 colarū pertinet. horum fructus prosunt homini, omnium
 animalium mitissimo. Nec hic consistit diuisio animatorū
 ab inanimis, rursum hæc singula subdiuiduntur. nam al-
 terum horū diuiditur in brutorū et rationalium species:
 quæ et ipsæ denuo diuiduntur: bruta in fera et mansue-
 ta, rationalia in mortalia et immortalia. mortales item
 secantur bifariā, distincti uirorū et mulierū uocabulo.
 aliās quoq; animal in mare secatur et fœminam. nec de-
 sunt et aliæ sectiones necessariae, quibus separantur. uo-
 lucres à terrestrib. et ab utrisq; aquatilia. Tam acutum
 est uerbū illud res oēs diffecans, primum forma qualita-
 teq; carentē essentiā, et ab hac discreta mundi elemēta
 quatuor, mox plantas et animantes ex his compactas.
 Quoniam aut non tantū ait diuisit, sed per medium diui-
 sit, necessum est ut pauca de portionib. dimidiatis adda-
 mus. sic enim æquales partes indicātur. Mortalis quidē
 nemo posset quicquā in partes pares diuidere, sed neces-
 se est ut alterutra maior minorue sit, saltem paulo quod
 sensum fugiat, solitū grandiora quæq; expendere, minu-
 tias uero non ualentē percipere. inæqualitas aut equali-
 tatem excludit, id quod ueris rationib. deprehenditur.
 probabile igitur est, solum deū exacte iustū esse, et solū
 posse per mediū diuidere uel res uel corpora, ut alterut-
 ra portiōe mica quidē alterā superet, sed pares sint per
 omnia.

omnia. Hæc dicta sufficerent, si una esset æqualitatis species: cum autem plures sint, nō grauabimur quæ res postulat adiungere. dicitur enim æqualitas uno modo in numeris, quæ duo duobus, tria tribus æquiparantur, & cætera similiter. altero modo in quantitate, quæ ad longitudinis, latitudinis, altitudinis, dimensiones pertinet. palmus enim palmo, cubitus cubito par est magnitudine. Sunt in quibus æstimatur ualoris æqualitas, ut in mensuris ac ponderibus. est & ea species necessaria quam analogiam seu proportionem nominant, iuxta quam pauca multis, parua magnis, censentur æqualia, cuius in ciuitatibus usus est interdum, quando ciues iubentur conferre æqualiter, non numero, sed pro rata, ut est census eius temporis, quando centum drachmas conferens, tantundem iudicatur contulisse, quantum qui talentum re præsentauit. His præsuppositis uide quomodo qui per medium diuisit, æqualiter diuisit iuxta has oēs æqualitatis species, in ipsius mūdi opificio, pari numero grauiæ diuidens à leuibus, duo à duobus, terrā & aquā pondus habentia, à suapte natura leuibus igne & aere. eadē paritas est in singulis, aridissimo humidissimoq; terra & aqua. eodem modo tenebris lux opponitur, dies nocti, æstas hiemi, ueri autūnus, & id genus alia. Item magnitudine pares sunt in cælo quidem æquidistantes circuli, tam æquinoctiales uernus autūnalisq; q̃ solstitiales æstiuus brumalisq;: in terra uero zonæ quas uocāt, due inter se æquales quæ circa polos sunt frigide, & ob hoc inhabitabiles: due item inter has & exustā mediæ, quas propter temperiem aiūt habitabiles, alterā ad austrum

uergentem, alteram ad septemtriones. Longitudine ue-
 ro paria sunt temporum spacia, nox maxima diei maxi-
 mæ, breuissima breuissimæ, mediæ media. de cætero die-
 rum æqualitates ac noctium deprehenduntur æquino-
 ctij, post uernum usq; ad solstitium die crescente, nocte
 decrecente, donec dies longissima fiat, nox breuissima.
 post solstitium uero sol reuertens per eandem uiam, nec
 celerius, nec tardius, sed eodem modo per eadē spacia,
 pari ordine ad autumnale æquinoctium incedit, æqua-
 taq; nocte diei, noctem augere incipit, diem minuens ad
 brumam usq;. tum uero nocte aucta in maximam longi-
 tudinem, die contracta maxime per eadem rursum spa-
 cia reflectens ad uernū redit æquinoctium. ita spacia tē-
 porum quamuis in æqualia uideantur, parem habēt lō-
 gitudinem, non tamen iisdem anni horis, sed diuerso tē-
 pore. Idem cōsideratur & in membris animalium, præ-
 sertim hominum. pes enim pedi, manus manui, & cete-
 ra ferme omnia dextra sinistris sunt paria. Iam quæ ua-
 lore æquantur sunt plurima tam arida quàm liquida, de
 quibus pondere mensuraq; decernitur. analogia uero
 æquat omnia propemodum parua magnaq;, in toto mū-
 do quantus est. nam qui rerum naturam scrutantur di-
 ligentius, aiunt pro portione paria esse elementa qua-
 tuor. qua analogia mundus temperatus æquante partes
 singulas comparanteq;, & factus est primum, & durat
 in perpetuum. certe ista quatuor, aridum, humidum, fri-
 gidum, calidum, contemperata pro portione, constat ni-
 hil aliud esse quàm potentiarum quatuor temperamen-
 tum quoddā congruū & analogicū. Quod si libeat per-
 curra

currere singula, in infinitum protendetur oratio. Animalia minima maximis paria pro portioe licet animaduertere, hirundinē aquilæ, mugilē ceto, formicā elephāto. nam corpus & anima, item dolores uoluptatesq; appetitus & fastidia, & quicquid est in natura animalium, omnia ferme sunt similia, æquante analogiæ regula. & hoc est quod quidā ausi sunt uniuerso mūdo æquare hominem animal minimū, cum uiderent utrūq; cōstare ex corpore & rationali anima, ut permutatis nominibus, hominē quidem mundum parū, mūdo uero magnū hominem dicerent. quæ illi non temere docent, sed quoniam ars dei qua uniuersa condidit, nec intenditur nec remittitur, semper sui similis quantum ad excellentiā, opifice res singulas absoluēte numeris omnib. & nihil præmittente quod merito desideres. nam & parua et magna, ut dicit Moses, iudicauit, creans & formans singula, nec propter uilitatem materiæ de arte quicquā subtrahens, nec addens aliquid propter eius precium. quoniam laudati artifices, siue preciosas materias siue uiles accipiant, ipsi nō parce insumunt operā. nec defuerunt qui affectate ostentarunt artē in uilibus, contendētes cū preciosis operibus, arte supplētes quod materiæ deerat. dei aut existimatione materia nulla preciosa est, ideo cū etis ex æquo artē adhibuit: unde in literis sacris legitur, Vidit deus omnia quæcūq; fecerat, & ecce bona ualde. quæ aut laudātur ab illo, honore æquantur ipso iudice. Laudauit aut non materiā inanimam, redundantē, dissolubilem suapte natura et corruptibilē, rudē inæqualēq; sed artificiosa opera sua, præ se ferentia unā eandemq;

opificis facultatem ac scientiam æquabiliter elucentem per omnia. ideo seruata est ubiq; analogiæ regula, ratione artis ac scientiæ. cuius æqualitatis, si quis alius, Moses laudator fuit. primū laudans ubiq; iustitiam, cuius proprium est æqualiter diuidere, ut Græcis ἀπὸ τοῦ διχατέων διακρίναι dicta uideri possit, diuidens & res & corpora. Deinde uituperans iniustitiam, turpissimæ inæqualitatis opificem. hæc inæqualitas geminum bellum peperit, externum et ciuile, sicut ediuerso pacem æqualitas. Sed nusquam apertius laudat iustitiam, damnat iniustitiā, q̄ his uerbis: Non facietis iniustitiam in iudicio, in mensuris, in libra, in pondere. Libra iusta, pondera iusta, modius iustus erit uobis. & in Deuteronomio: Non erit inpera tua pondus iniquum, uerum & iustū erit: non pondus magnum & paruum, ut fias longæuius super terrā, quam dominus deus dabit tibi in hereditatem, quoniā abominatus est deo quisquis facit iniustitiam. Ergo amator iustitiæ deus odit iniustitiā et abominatur ut seditio nis & malorū principium. Sed ubi æqualitatē laudat legislator nutricem iustitiæ? Mox in principio cæli conditi. Et diuisit, inquit, deus lucē à tenebris, appellauitq; lucē diem, & tenebras noctē. diem enim & noctē, lucē & tenebras in rebus ordinauit æqualitas. Eadem diuisit & hominem in uirum ac mulierē, duas portiones inæquales quidem robore, sed quod natura spectauit, bene comparatas ut tertium quiddam gignerent sibi simile. Fecit, inquit, deus hominem, ad imaginem dei fecit eum, marē et foeminā fecit eos. iam non Eum, sed Eos adiecit pluraliter, inserēs in genus species, diuisas, ut dixi, æqualiter.

Frigus

Frigus quidem & æstus, æstatem & uer descripsit in
 horas annuas, diuisas eodem incisorio. cæterum illi tres
 dies qui solem præcesserunt, eundem secutis numero pã-
 res sunt, senario diuiso æqualiter, ad notas seculorum et
 temporis. duo enim tres præcedentes dicauit, sequentes
 uerò tempori, quod unago æternitatis est. Itẽ duas eius
 Qui est potẽtiã primarias, beneficam qua mundũ con-
 didit, iuxta quam appellatur dominus: & punitiuã qua
 rebus imperat, iuxta quã deus agnominatur, ipse ait se
 medium stantẽ dirimere. Loquar tibi, inquit, supra pro-
 pitiatatorium inter duo Cherubim: ut ostenderet quòd an-
 tiquissimæ eius Qui est potentiæ pares sint, benefica &
 & ultrix, utentes eodem incisorio. quid columnæ decem
 legum generalium, quas nominat tabulas? duæ sunt nu-
 mero pares animæ partibus. nam brutæ pariter ac ratio-
 nali debetur eruditio castigatioq;. hæc rursum à legistato-
 re diuiduntur. ipsæ quidem opus dei fuerunt, exarata li-
 teris diuinitus insculptis in eas. Quin etiam legib. ipsis,
 quod propriè ius est, diuisis in pares quinaros, prior
 ius diuinum, posterior humanum continet. In diuino iu-
 re prima lex opponitur opinioni plures deos creden-
 tium, docens nos mundum esse sub unius imperio. secun-
 da uetat ne quis sibi deos alios faciat præter creatorem,
 deceptus pictorũ fictorumq; insidiosis artibus, quas Mo-
 ses eiecit è sua rep. damnatas exilio perpetuo ut solus ue-
 rè deus colatur. Tertia est de nomine domini, non eo
 quod creaturam penetrat (hoc enim est ineffabile) sed
 quod prædicatur de eius potentijs. prohibitum est enim
 id in uanũ assumere. Quarta est de semper uirgine sine
 Y 4 matre

matre nata hebdomade: ut creatura assueta eius ocio, re-
 miniscatur eius qui omnia facit inuisibiliter. Quinta de
 honore habendo parētibz. nam hæc quoq; sacrata est,
 quippe quæ refertur nō ad homines, sed ad autorem ge-
 nituræ rerum omnium, cum quo pater & mater collati
 non gignunt, sed instrumenta gignendi sunt. hoc præce-
 ptum situm est in consinio quinarij pertinentis ad pieta-
 tem, & alterius cohibentis iniurias mutuas ac maleficia:
 quandoquidem mortales parentes finis sunt immor-
 talium potentiarum, quæ naturales genitrices rerum om-
 nium, permiserunt huic infimo generi mortali ad imi-
 tationē earum seminare atq; gignere. principium enim
 generationis est deus: finis uerō hæc mortalis infima &
 uilissima species. alter autem quinarj uetat adulteriū,
 homicidium, furtum, falsum testimonium, concupiscen-
 tiam. hæc sunt generales regulæ peccatorum ferme om-
 nium, ad quas referri possunt singulorum species. quoti-
 diana quoq; sacrificia uides diuisa æqualiter, alterum sa-
 cerdotibus pro seipsis offerētibus ē similia, alterum pro
 tota natione, in quo agni duo ritē mactātur. horum quæ
 dixi dimidium mane offerri lex iubet, reliquum uespe-
 re, ut etiam pro nocturnis beneficijs agatur deo gratiæ.
 Vides & panes in sacra mensa propositos, ut in senos di-
 stributi æqualiter, monumentum sunt xij. tribuum, qua-
 rum dimidium ad uirtutem Liam pertinet matrem sex
 phylarcharum, alterum dimidium Rachelis est & cete-
 rarum. uides & in talari ueste gemmas xij. pariter se-
 nas dexteras ac sinistras, quibus insculpta fuerunt duo-
 decim patriarcharum nomina, notata diuinis literis, na-
 turæ

jurarum diuinarum monumenta. An non & duos mon-
tes significantes duo genera, pro æqua portione discre-
tos, alterum tribuit benedicientibus, alterum execranti-
bus, phylarchas utrobiq; præficiens? ut doceret eos qui-
bus monitore opus est, benedictiones & maledictiones
pares esse numero, atq; etiam honore propinodum, si
dicere fas est. similiter enim laudes bonorum prosunt et
malorum uituperia: quandoquidem rerum malarum su-
ga & bonarum optio similes iudicantur à prudentibus.
Libet mirari etiam duorum hircorum qui pro peccatis
offeruntur selectionem & distributionem incertæ sortis
commisam. cum enim sermo sit duplex, alter qui diui-
nas uirtutes tractat, deo consecratur: alter qui humanis
inhæret miserijs, profugæ creaturæ dedicatur, quem o-
racula uocant emissarium, quia procul à sapientia repel-
litur. Cæterum quia sicut numi, sic res ueris falsisq; no-
tantur characteribus, nonne inuisibilis ille sector tibi ui-
detur diuississe has æqualiter, dum notatas & probas eru-
ditionis amatori assignat, notis uerò & signis carentes
inerudito? Obtigerunt, inquit, non signata Labani, si-
gnata Iacobo. nam anima, ceræ (ut quidam priscus ait)
more, si dura sit, formas respuit, nec sibi sinit inprimi,
& rudis permanet. sin autem sit obsequens aut saltem
mediocriter facilis, profunde sigilla recipit, & amoto
signaculo, fideliter seruat impressas species. Nec minus
miranda est uictimarum sanguinis æqua distributio,
quem summus pontifex Moses ex naturæ præscripto di-
uisit. Sumpto, inquit, dimidio sanguinis infudit cum in-
crateras: reliquū uerò dimidium profudit apud altare:

ut doceret esse duplex genus sacratæ deo sapientiæ, alterum diuinum, alterum uerò humanum. & diuinum quidem esse sincerum nulla mixtura uitiatū, quam ob rem deo sincero atq; impermixtæ unitati libatur. humanum uerò mixtum temperatumq; profundi & dispergi in nostrum genus mixtum, temperatū & compositum, quod inducit membrorum morumq; temperamenta & concordiam. Enimuero animæ pars sincera puraq; mens est uigēs ac uiuida, supernè inspirata cælitus: quæ si quādo sana integrāq; seruatur, æquum est & dignum sacris ipsius studijs, ut reddatur deo qui eam conseruauit incolumen & illæsam à malis omnib. altera uerò mixta pars est tota sensuum, cui suas crateras natura fabricauit: hæ crateræ, uisus quidē sunt oculi, aures uerò auditus, itēm nares odoratus, & sua cuiusq; receptacula, in has sanctum illud uerbum infundit sanguinem, ut bruta nostri pars animetur, & rationalis fiat quodammodo, parēdo admonitionibus, & puram se seruando ab illecebris sensuum. quid didrachmum sacratum, nōne ad eundē modum intelligendum est? ut eius dimidium, scilicet drachmam seponamus in redemptionem animæ, quam ille solus liber & liberator è crudeli molestāq; affectuum & iniquitatum dominatione uel rogatus uel non rogatus potenter asserit: reliquum dimidium illiberali & seruili relinquamus generi, ex quo fuit ille qui dicit: Sufficit mihi meus dominus, mens quæ in me principatū habet: & uxor mea, charius ille sensus custos domesticorum affectuum: & pueri mei, mala quæ ex his nascuntur. Nolo abire liber. Necessum est enim ut huic quoq; generi fors exfors

exfors & emissaria detur è didrachmo, opposita drachmæ quæ unitati sacrata fuit. Vnitas enim nec additionem nec subtractionem potest recipere, imago dei qui solus plenus est. Cætera suapte natura sunt inania, quibus si quid inest solidi, uerbo diuino astringitur. Hoc enim ceu uinculo & glutine solidatur omnis essentia. Ipsum uerò connectens contexensq; singula, sibi ipsi complementum est, nullo prorsus egens alio. Merito igitur dicit Moses: Diues non apponet, pauper non detrahet de didrachmi dimidio: quod est (ut dixi) drachma & unitas: cui omnis numerus dicere potest illud poeticum: A te principium, tibi desino. Nam uel infinities infinitus numerus in unitatem desinit, & factio ab hac initio crescit in innumerabilem multitudinem. ideo non numerum, sed elementum & principium numeri hanc dixerunt, quibus curæ est consecrari talia. Ad hæc cælestem illum cibum animæ qui manna uocatur, omnibus petentibus dei sermo ex æquo distribuit, æqualitatem haudquaquam negligens. Testis est Moses, dicens: Nec plus colligenti supersuit, nec minus colligenti defuit: quando miranda optandaq; analogiæ mensura uisi sunt: ex qua didicerunt hunc cibum non tam hominibus quàm rationibus & moribus colligi, quantum enim cuique competeat, tantum sibi præparauit, ut nihil uel deesset uel superesset. Similem analogicam æqualitatem licet inuenire in pascha, ut uocant. est autem pascha, quando anima brutos affectus meditatur dediscere, & rationalem animi tranquillitatem ultro aduocat. Præcipitur enim sic: Si pauci fuerint in domo, ad dō

adeò ut nō possint agnum absumere, assumatur uicinus
proximus pro animarum numero, ut supputatione fā-
cta cedat cuiq; sua portio, qua & dignus est & indiget.
Cum autem agri nouellis colonis diuiduntur, maior por-
tio pluribus, minor paucioribus attribuitur, quod ini-
quum uideatur parua multis, magna uerò paucis tribui
magnitudinis eius non capacibus. Aequalitatis autem
quæ iuxta numerum iudicatur exemplum euidentissi-
mum est in undecim principum sacris oblationibus, &
earum in sacerdotes distributione. Vnicuiq;, inquit, ex
filijs Aaron erit æqua portio. Est & in compositione a-
romatum ad suffitum pulcherrima æqualitas. præcipi-
tur enim: Sume tibi odoramenta, stacten, onycem, & gal-
banum suaueolens, & thus perlucidum, omnia lectissi-
ma & inter se paria: facientq; ex eo suffitum, iungētum
opus unguentarij, puræ compositionis, opus sacratum.
singulas portiones ait pares oportere esse ad totius tem-
peramentum. opinor autem has quatuor species ex qui-
bus suffitus componitur, figuram esse elementorum ex
quibus constat mundus hic uniuersus. nam per stacten
aquam, per onycem terram, per galbanum aerem, per
thus perlucidum ignem significat. siquidem stacte à stil-
lando dicta, est liquida, onyx terrestris & aridus, gal-
banum suaueolens cognominatur ad significandum ae-
rem. odor enim locum habet in acre. thuri quoq; perlu-
cidi cognomē additur, ut ignem subindicet: ideo grauiā
separauit à lenibus, altera per copulatiuam coniunctio-
nem uniens, altera disiunctim proferens, dicendo, Sume
tibi odoramenta, stacten, onycem. hæc disiunctim signifi-
catuā

caliua grauium, aquæ terræq; deinde incipiens denuo per copulam, & galbanum suaucolens & thus perlucidum, quæ iam leuem aerem & ignem significant. Temperaturam autem ex his cõpositam antiquissimum perfectissimumq; opus uerè sanctum dicimus hunc mūdum, qui per figuram suffitus admonetur, ut agat suo creatori deo gratias: ut uerbo quidem unguetaria compositio adoleatur, sed re uera totus mundus per dei sapientiam fabricatus mane ac uespere accensus exhalet uaporem suaueolentissimum. hæc enim uita decet mundum, ut parenti suo factoriq; indefinenter agat gratias, tantum non euaporans & in elementa resoluens seipsum, ut declaret se nihil sibi recõdere, sed totum seipsum offerre creatori ac dedicare. Illud quoq; mirari subit sacrum uerbũ, quod magna contentione ac celeritate intercurrit inter uiuos & mortuos. Mox enim, inquit Moses, cessauit attritio non cessatura profecto, nec releuatura ab afflictione confractiõeq; nostram animam, nisi amicus dei diremisset sanctos, qui uerè uiuunt, à profanis, qui mortui sunt, si rem uerè consideres. Sæpe enim etiam sani, propter uiciniam ægrotorum, contagione periclitati sunt. id periculum hinc sublatum fuit interposito medio termino ualidissimo, qui arceret à parte meliore deterioris impetum. Sed magis etiam miror dum è sacris eloquijs disco, quomodo nubes interiecit se mediam inter Aegyptiacas & Israeliticas copias. Nam hæc nubes ceu scuto protegens & conseruans deo charum populum temperantiæ deditum, non sinebat exagitari, arcendo impiam gentem seruientem affectibus. Mentib. enim uirtute præditis

ditis paulatim irrorat sapientiam securam à malis omnibus: in duras autem ac bonarum artium steriles, more n̄ uis densissimæ poenas ingerit, intentans eis inundationis perniciem miserabilem. cæterum illi angelorū principi sermoni antiquissimo hoc eximium donum concessit pater omnipotens, ut in confinio stans, facturū à factore discerneret. idem supplex immortalem appellat pro mortalibus deprecans, & à summo rege legatione ad subditos fungitur. Quod donum tam libèter accipit, ut iacet etiam, dicens: Et ego steterim medius inter uos & dominum. uidelicet nec ingenuus ut deus, nec genitus ut uos, sed inter extrema medius, apud utrosq; agens obsidem. apud creatorem, ut fides fiat nunquam eum deleturum aut deserturum uniuersum genus reuolutum in perturbationem ab ordine: apud creaturam uerò, ut ea certam spem habeat, nunquā deo propitio curam operis sui deferre. nam ego denuncio creature pacem ab eo qui bella tollit deo, pacis custode perpetuo. Postquam igitur de sectione in portiones æquas sacra scriptura nos docuit, dicit nos & ad oppositorum scientiam, dicens portiones eas oppositas inter se inuicē. nam reuera propemodum omnia quæ mundo continentur suapte natura sunt contraria. Incipiendo à primis, calidum cōtrarium frigido, aridum humido, leue graui, tenebræ lumini, nox diei. In celo stellarum fixarum orbis fertur in contrarium erraticarum orbibus: in aere contraria sunt nubilum & serenitas, uentus & tranquillitas, æstas & hyems, uer & autumnus. Nam illud floret, hic marcescit. In terra dulces aquæ amaræ sunt contrariæ, fertiles agri sterilibus. Vis
demus

demus etiam in alijs contrarietatem, ut sunt corporea incorporea, animata inanima, rationalia irrationalia, mortalia immortalia, sensibilia intelligibilia, perceptibilia inperceptibilia, rudimenta absoluta, principium finis, generatio corruptio, uita mors, sanitas infirmitas, album nigrum, dextrum sinistrum, iustitia iniustitia, prudentia imprudentia, fortitudo timiditas, temperantia intemperantia, uirtus uitium, & utriusque omnes species. item literatura literarum inscitia, musica amusia, eruditio ineruditio, solertia inertia: & quæ ad artes pertinent, elementa muta & uocalia, acuti & graues soni, rectæ & circulares lineæ. In animalibus ac stirpibus, secunda sterilia, multipara paucipara, ouipara uiuipara, mollia testacea, fera mansueta, solitaria gregaria. Item, paupertas diuitiæ, claritas obscuritas, nobilitas ignobilitas, copia inopia, bellum pax, ius iniuria, gnauitas ignauia, ocium negocium, iuuentus senectus, potentia impotentia, robur debilitas. & quorum sum attinet percensere singula, quorum infinita multitudo est? Itaq; rectè naturæ interpretes pigritiam & incuriam nostram miserans, unumquenq; manifeste monet nunc quoq; ut singula contra se inuicem ponamus non integra sed dimidiata. unum enim constat ex ambobus contrarijs, quo secto noscuntur contraria. Annon hoc est quod ferunt Græci suum illum magnum & celebratum Heraclitum iactasse tanquam cõmentum propriũ. & in eo collocasse caput totius philosophiæ? atqui uetus Mosis inuentũ est, in eodem contrarias portiones animaduertere, sicut nunc apparuit. hæc igitur & aliæ
per se

persequemur diligentius. Nunc illud quoq; uidetur non
 praterendum silētio, quod dimidiatę partes trium an-
 malium diuisorum sex factę sunt. ut septimus sit sermo
 ille incisor, dirimens terniones & seipsum in medio sta-
 tuens. Cui simile opinor, quod manifeste memoratur de
 sacro candelabro. sic enim fabricatum est, ut sex caulicu-
 los habeat, ternos utrinq; : ipsum exstans in medio, ter-
 niones dissecit & dirimit. est enim tornatile opus diui-
 num, insigni arte factum ex auro purissimo. Nam illud
 unum solum sincerum Ens, hebdomadam sine matre ex
 seipso solo genuit, nulla prorsus adhibitā materia. cęte-
 rum inter laudes auri multas duę referuntur pręcipuę :
 una quod non sentit rubiginis iniuriam : altera quod in
 tenuissimas bracteas sine scissura diducitur. Merito igitur
 maiorem naturam significat, quę diffusa & proten-
 sa usq; quaq; tota per totum plena est, aptissime conte-
 xens cętera. De hoc candelabro ipse artifex differens
 rursum dicit, quod cauliculi utrinq; terni procedebant
 pari proceritate, habentes in summo lucernas nucibus
 similes in floris speciem lucernam sustentis, exstante
 in summo candelabro flore septimo ex auro solido, &
 superimpositis septem lucernis aureis : ut multis proba-
 bile fiat, senionem in duos terniones diuisum mediante
 sermone illo septimo, sicut & hodie. totum enim cande-
 labrum cum sex pręcipuis sui partibus compactum est
 ē septem cauliculis, septem floribus, lucernis totidem. di-
 uiduntur autem sex lucernę interueniente mediā septi-
 ma, similiter & flores & cauliculi eminente septimo in
 medio. Cauliculi autē illi compares ē medio septimo sti-
 pito

pite proueniunt. Verum de his quia multa dici possunt,
 differantur in tempus aliud: unum in præseñti dixisse
 sat erit, quòd septem erraticorum siderum cursus simul
 lacrum sit hoc sacrum candelabrum cum septem lucerna-
 nis superpositis. Quomodo, rogabit aliquis. Respòdeo,
 quia sicut lucernæ, sic & planetarum quisq; præluce-
 Cum enim plus splendoris habeant, lucidissimos ad ter-
 ram usq; mittunt radios, sed præcipue sol eorum medius.
 medium autem uoco, non solum quia iuxta multorum
 opinionem in medio situs est: sed quia merito utrinq; sit
 patur tali satellitio pro dignitate sua & magnitudine
 atq; utilitate quam terrenis rebus omnib. exhibet. cete-
 rum homines qui non possunt in solidum percipere ho-
 rum siderum ordinem (quid enim illi certò intelligunt in
 rebus cælestibus?) coniecturas suas sequuntur. nec male
 conijcere mihi uidentur, qui soli medium locum tribuunt,
 tres super eum, totidem infra locando, superiores Phæ-
 nonta, Phaethonta, Pyroenta, deinde Solem: post ipsum
 uerò Stilbonta, Luciferum et Lunam uicinam aeri. itaq;
 uolens artifex imaginem cælestis sphaeræ septilustris ap-
 pud nos effingere, iussit pulcherrimum hoc candelabrum
 affabre fieri. idem quam cum anima similitudi-
 nem habeat iam antea dictum est. Anima tripartita est.
 singulæ partes eius (ut ostendimus) secantur bifariam:
 ita factis sex portionibus, septimus iure annumeratur.
 ille incisus omnium sermo sacer & diuinus. nec illud si-
 lentio prætereundum, quod cum tria sint in sacra sup-
 plectile, candelabrum, mensa, altare: hoc quidem ad
 eam quæ pro acceptis elementis fit, gratiarum actio-

nem refertur, ut ante demonstratum est: quando & ipsum portiones accipit ex his quatuor: terræ ligna, aquæ aromata quæ liquefacta primo in humorem uertuntur, uaporem aeris, deniq; flammam quæ ex igne acceditur. quin & illa compositio thuris, galbani, onycis, stactes, elementa figurat. At mensa ad gratiarum actionem pro rebus mortalibus parata est. panes enim & libamina super eam ponuntur, quæ nutrimenta necessitas humana postulat. Cæterum candelabrum ad eam quæ fit pro cælestibus omnibus, ne qua mundi pars expers gratiarum actionis uideatur, sed omnium partium gratitudo euidenter appareat, elementorum, & eorum quæ ex his confiunt, nec solum terrestrium, uerum etiam cælestium. Hic considerandum occurrit, cur mensæ atq; altaris mensuris proditis, de candelabro nihil tale scribitur. an ob illam causam, quod elementa, & quicquid mortale constat ex his, quarum rerum figuræ sunt mensa & altare, dimensa sunt cælo terminata. semper enim contentum à continente metitur, Cælum autem cuius figura est candelabrum, infinitam habet magnitudinem. cõtinetur enim, sed non à uacuo, sicut Moses docet, nec ab ullo corpore uel pari magnitudine prædito, nec ab infinito, iuxta prodigiosas fabulas quas in mentione turris attigimus. Est autem eius terminus deus, idem rector & gubernator. itaq; sicut Ens ipsum est incomprehensibile, sic quod ab eo terminatur, mensuris nobis ignotis circumscribitur. Et fortasse quia rotundus est in orbis absoluti speciem, caret longitudine & latitudine. De his rebus ita ut decet locutus, addit: Aues autem non diuisit: aues uocans uolucres

¶

& natura sublimes sermones, alterum archetypum nobis superiorem: alterum eius imaginē, qui inter nos uersatur. illum Moses uocat imaginem dei, hunc autem nostrum, sigillum expressum illa imagine ceu signaculo. Fecit, inquit, deus hominem, non imaginem, sed ad imaginem. itaq; uniuscuiusq; nostrum mens, quæ propriè uereq; homo est, tertia creatoris est effigies, intercedente exemplari huius, illius uerò imagine. ipsa mens suapte natura est indiuisibilis, nam brutam animæ partem in sex alias portiones subdivisit opifex, uisum, gustum, auditum, odoratum, tactum, & uocem pronuntiatiuam. rationalem partem, quæ mens nominatur, indiuisam reliquit ad totius cæli similitudinem. nam & illic adiunt extremum orbem indiuisum manere: interiorem uerò in sex diuisum, planetarum (ut uocant) septem circulos efficere. quod enim est in homine anima, hoc (ut opinor) cælum in mundo. Ergo duæ rationales & intelligibiles naturæ, altera in homine, altera in uniuerso, integræ manent & indiuisæ. idè dicitur, Aues autem nō diuisit. siquidem columbæ nostra mens, ut mansucto & nobiscum degenti animali, assimilatur: huius autem exemplari turtur. nam dei sermo amat deserta solitarius, non miscens se turbis rerum corruptibilium, assuetus petere sublimia, & unius delectari cōsuetudine. Sunt igitur hæ duæ naturæ indiuisibiles, & nobis insita ratio, & illa diuina altera: & cum sint indiuisibiles, plurima secāt alia. nā & dei uerbū res naturæ diuisit omnes atq; distribuit: & nostra mēs quicquid rerū ac corporū cōcepit intelletu, in infinitas infinitas partes diuidendo finē nō facit.

id accidit propter eam quam cum uniuersorum creatore patreque habet similitudinem. nam celeste numen purum sincerum indiuisibile cum sit ipsum, autor est omnium mixturarum partitionum temperaturarum quot quot in toto mundo fiunt. idcirco non debemus mirari, si eius similes mentes, nostra & illa nobis superior, cum sint indiuisibiles & inseparabiles, tamen diuidere & discernere ualent singula. Postquam autem dixit de indistinctis & indiuisis auibus, pergit narrare. Et descendunt aues in corpora diuisa bifariam.] ubi quamuis utatur homonymia, tamen rerum diuersitatem manifeste aperit dūtaxat lectori non indocili. præter naturam enim fit ut aues descendant, quæ ad sublimem uolatum pennas acceperunt. quemadmodum enim terrestribus nullus locus magis quam terra conuenit, præsertim reptilibus, quæ ne super ea quidem reptant, sed fouearum quærunt penetralia, fugiendo superna ob cognationem quam habent cum inferis: eodem modo uolucris aer est proprium habitaculum, leuibus propter pennas ipse quoque natura leuis. cum igitur aeriuaga relicto æthere suo descendunt ad terram, non possunt iuxta naturam uiuere. ediuerso Moses quæcunque reptilia possunt se saltu attollere, probat non mediocriter: quandoquidē sic præcipit. Quæcūque de uolucris ambulant super quatuor pedes, & habent crura longiora, ut saliant super terrā, hæc comedetis. sunt autem hæc figuræ animarum, quæ reptiliū more affixæ terreno corpori purificantur ut mox se possint attollere, cælum terra permutantes, & corruptione immortalitatem. omnium igitur miserrimæ iudicande

candæ sunt illæ, quæ in aere æthereq; purissimo enutri-
tæ, non possunt perferre saturitatem diuinorum bono-
rum, sed ad terram mortalium malorum regionem de-
migrant. incidunt enim cogitationes plurimæ de rebus
plurimis, quædam ultro accersitæ, quædam obrepentes
per ignorantiam, quæ nihil differunt ab istis uolucris.
descendentibus. cogitationes autem quæcunq; superna
petunt, meliorem sortiuntur ordinem uirtute comite in-
dicante uiam in cælum: quæ autem deorsum frütur, de-
teriorē occupant, detractæ & degrauatæ uitij. horum
locorū contrarietas nonnihil apparet in Græcis eorum
nominibus. uirtus enim ἀρετή non solū παρὰ τὴν αἰ-
σίαν ab electione nominatur, uerum etiam παρὰ τὸ
αἰετῶν. attollitur enim et in sublime fertur cælestia sem-
per appetens. uitium autem κακία ἀπὸ τῆς κατὰ φύσιν
ἐκείνης, quod deorsum uergat et deditos sibi deprimat.
nam cogitationes noxiæ descendentes in animam uel acci-
tæ uel irrumpentes, tum ipsæ descendunt, tum mentem
degrauant uolutantem se turpiter cum corporibus, re-
bus sensibilibus imperfectis & parum integris, nō uiuis
sed mortuis. non solum enim corpora, uerum & dimi-
diatas eorum portiones appetunt. quæ autem sic diui-
duntur, coaptari & in unum redire non possunt, disse-
ctis spiritualibus neruis & natiuis nexibus. ex quo di-
scimus sententiā uerissimam, quod omnis uirtus animas
amat, omne autem uitium corpora: & quod quicquid al-
teri gratum, alteri exosum est, sicut nūc quoq; nam ani-
mæ bella nobis subindicans aues inducit cupientes cor-
poribus insidere, & immeris nostris satiari carnibus:

quarum incurſus cohibere uolens uir bonus aſſidere di-
 citur, quaſi curator & præſes. cum enim & domi labo-
 retur ſeditionibus, & foris inuadant hoſtiles acies, intra
 ſe uerſat uaria conſilia, ſi quo modo ſuadendo queat effi-
 cere, ut externum bellum ceſſet unà cum inteſtiniſ tumul-
 tibus. opus enim eſt & illam ceu nubem hoſtiliter inſe-
 ſtanti repellere, & domeſticorum priſtinam redinte-
 grare neceſſitudinem. Sunt enim pertinaciſſimi hoſtes
 animæ affectus ſtulti & intemperantes, iniuſti & timi-
 di, & id genus aliæ concupiſcentiæ nimie nobis innas-
 ſolite, petulantes & ceruice iugum iactantes, & exorbi-
 tantes à recto itinere. ſocialium autem copiarum conſi-
 ſtationes tales ſunt, quales lites ſophiſtarum de conten-
 tioſis dogmatibus. ſi enim ad unum finem tendunt, ſcili-
 cet, cōtemplationem rerum naturalium, haberi poſſunt
 pro ſocijs. ſin autem in particularibus quaſtionib. diſſen-
 tiunt, ciuilem tumultum excitant, ſicut mundum factum
 aſſerentibus malè conuenit cum id pernegantibus. ſimi-
 le diſſidium eſt dum alij dicunt eum interiturum, alij ue-
 rò concedunt quidem eſſe natura corruptibilem, negāt
 tamen unquam corrūpendum, eo quod ualido nexu con-
 tineatur, nimirum creatoris uoluntate. ſic qui nihil eſſe
 opinantur, ſed omnia fieri, diſſentiunt ab id negantibus.
 item qui aiunt omnium rerum meſuram hominem, à
 damnantibus ſenſuum atq; mentis iudiciū. & in uni-
 uerſum qui dicunt cūcta incomprehenſibilia, ab his qui
 aiunt percipi plurima. ſiquidem ſol, luna, cælum, terrā,
 aer, aqua, & quæ his continentur omnia, ſcepticis nego-
 cium & contentionum materiam exhibent, eſſentias,
 quali-

qualitates, mutationes, uersiones, generationes corruptionesq; eorum in disquisitionem uocantibus. quin & de motu magnitudineq; rerum celestium nō obiter differunt, uariantes & discrepantes opinionibus, donec aliquis obstetricandi & iudicandi scientia præditus uir in cōfessum eorum adhibitus singulorum partus animæ inficiat, & alios ut indignos educatione projiciat, alios ut probatos conseruet habiturus curam eorum. Hæ autem philosophorum controuersie nate sunt dum ueritatem coniecturis adsequi nequeunt, rei difficultate gignente dissidia. Cumq; sol occideret excessus irruit super Abraham, & horror magnus ac tenebrosus inuasit eum.] Excessus alius est insanus faciens delirum, præsenio, bile atra, aut ob aliam causam similem. alius fit ob nec opimum pauorem magnum ac repentinum: alius in tranquillitate quando mens ociatur. sed longè optimus quando illa furore diuino corripitur, qualis est prophetici generis. Primæ speciei mentio fit in maledictionibus scriptis in Deuteronomio: Deliratio, inquit, cæcitas, & excessus mentis corripiet impios, ut nihil differant à cæcis meridie palparentibus tanquam in densis tenebris. Alterius item non uno loco. Corruptus, inquit, Isaac stupore magno dixit: quis igitur uenationem mihi obtulit, & gustavi de omnibus quæ oblata fuerant priusquam uenires, & benedixi eum, eritq; benedictus. item de Iacob non credente nunciantibus Iosephum uiuere Aegypto uniuersæ præpositum: Excessit, inquit, mente: non credebatur enim eis. & in Exodo de concione: Mons, inquit, Sina fumabat totus, quia descenderat.

in eum deus in igne: & ascendebat fumus ut uapor fornacis, & obstupuit totus populus uehementer. item in Leuitico de consecratione sacerdotum octauo die, quando descendit ignis de caelo & depastus est quae altari fuerant imposita una cum coronamentis totas uictimas. nam hic quoque scriptum est: Et uidit uniuersus populus & obstupuit ceciditque pronus in faciem. nam talis excessus per uorem ac stuporem inducit. Sed non est mirum de Esai, quod peritus uenandi praeda ipse sit & supplantatur, quippe qui artem hanc in damnum suum, non ad utilitatem accepit, non magna cura usus in uenando ut caperet aliquid: nec de Iacob, quod captata praeda potitur, ingenio magis adiutus quam peritia, & eam, il est, affectionem, offert examinatori, ut an proba sitiudicet. ideo de omnibus gustat. quicquid enim ad meditationem pertinet uescendum proponitur, inquisitio, disceptatio, auscultatio, lectio, precatio, continentia, indifferetium rerum, discretio. degustat autem omnia non comedit. oportet enim & meditatori aliquid cibi relinquere operae premium. Priusquam uenires. apte pro rei natura. Nam si affectus intrarit in animam, non fruemur temperantia. simulque arguitur malus ut cunctator & piger, tardus ad disciplinam, non ad intemperantiam. At Moses longe aliter iubet absumi propere paschales epulas ad solennem migrationis memoriam. & Iudas inquit: Nisi procrastinassemus, iam reuersi descenssemus in Aegyptum: imò iam domum rediuissemus iterum. Et hoc est quod Iacob miratur, si mens adhuc in corpore constituta uiuit uirtuti, & imperat corpori,
non

non eius imperata facit. Possent & alia exempla proferri ad confirmandam rei ueritatem, sed non hoc nunc agitur. ideo redeundum est à diuerticulo. Tertiã uerò huius significationem uidere licet in creatione mulieris. Unmisit deus ecstasim in Adam & sopiuit eum. ubi excessus pro quiete mentis ac tranquillitate accipitur. Somnus enim mentis est uigilia sensuum: nam & uigilia mentis est sensuum ocium. Quartæ uerò ecstasis exemplum est quod nunc uersamus in manibus: Et cum occidisset soles ecstasis incubuit in Abraham correptum numine afflatumq; diuino spiritu.] quibus uerbis ostenditur eum prophetam etiam fuisse. quod aliubi disertè sacris literis exprimitur, cum quidam naturalem uirtutem Sarram sibi usurparet, quasi non solius sapientis propriam, sed cuiusuis simulatoris prudentiæ, Redde, inquit, homini suam uxorem, quia propheta est, & orabit pro te ut uiuus permanens. Quin & omnibus probis uiris sacra scriptura prophetiam tribuit. nam propheta nihil ex se proloquitur, sed omnia submonente aëlio. malum autem uirum non est fas esse interpretem numinis: ergo nemo malus propriè correptus furore diuino dicitur, sed in solum sapientem hoc competit: quandoquidem is solus est instrumentum dei resonans, ab eo contactum & pulsatum inuisibiliter. proinde quotquot inter iustos censentur, inducuntur prophete pleni cælesti numine. Noe iustus nōne prophetat etiam? alia quin quomodo poterant benedictiones eius maledictionesq; uim suam obtinere apud posteros? Quid Isaac? quid Iacob? & hos multis argumentis, præcipuè uati-

cinis quæ cecinerunt de suis posteris, prophetas fuisse credimus. Nam illud: Cōgregamini ut annunciet vobis quæ uentura sint vobis in dieb. nouissimis: diuinantis erat oraculum: siquidem futurorum cognitio non est hominis propria. Quid Moses, nōne ubiq; propheta celebratur? Scribitur enim: Si fuerit vobis propheta domini, per uisionem ei me manifestabo: Mosi autem ore ad os loquor palam non per enigmata. & rursus: Nullus propheta qualis Moses exortus est, quem alloquutus est dominus facie ad faciem. & merito, nempe afflatus suo numine. quod enim in nobis est ratio, hoc in mundo sol. quia lucent ambo, alter mundo præbens lucem sensibilem, altera nos illustrans radijs intelligibilibus, siquidem donec mens nostra lucet uelut meridianum splendorem diffundens per totam animam, intra nos ipsos manemus. ceterum illa uergente ad occasum, merito ecstasis et diuinus furor incidit. exoriente enim diuino lumine humanum occidit: ac rursus occidente illo hoc exoritur: id quod solet accidere prophetico generi. emigrat enim è nobis mens, immigrante diuino spiritu: quo recedente illa rursus reuertitur. non est enim fas ut mortalis cum immortalis habitet. ideò rationis occasus & offusæ tenebræ excessum & diuinum furorem inducunt. Deinde pergit scriptura: Et dictum est ad Abraham. Sic enim propheta etiam cum loquitur, uidetur reuera quiescere. Alius autem eius uocalibus instrumentis ore linguaq; utitur ad indicanda quæcunq; uult: quæ pulsans arte musica inuisibiliter, sonoram concinnamq; symphoniam efficit. Audiamus igitur quid prænunciet oraculum.

Ante

Ante omnia quòd amatori uirtutis non concedit deus, ut tanquam in terra propria habitet in corpore, sed ināquilinum agat in eo tanquam alienigena. Certò scias, inquit, quod semē tuum inquilinum erit in terra aliena.] Omnis autē mali uiri cognatus locus corpus est, in quo habitare mauult quā inquilinum agere. hoc unum documentum est. alterum uero, quod seruitutem & grauē afflictionem, atq; ut ipse uocat humiliationem inferant animæ terrena ista habitacula. sunt enim externæ & uere alienæ à mente affectiones corporis, è carne nata in qua radican- tur. fit autem quadringentorum annorum seruitus iuxta quatuor affectionum potentias. nam incipiente uoluptate iustus inflatur ac erigitur, elatus inani leuitate: sed cresceute concupiscētia nascitur absentium rerum desiderium, pendentem ab incerta spe relinquēs animam. Sitit enim semper, nec unquam potest bibere, Tantalium luens supplicium. Quoties autem dolor præualet, contrahit se anima, more arborum marcescentiū & frondes amittētium, decrescēte uigore huius & pinguitudine. At pauore tyrannidem adepto, iam nemo audet manere, omnes de fuga cogitant, & in hac sola salutem collocant. Nam concupiscentia uim habēs attractoriam, uel fugientem amatorem cogit, ut se sequatur. Cōtrā timor à se alienans repellit homines & lōgissime remouet. Quorum affectuum dominatio grauem seruitutem affert subditis, donec deus præses & iudex afflictū ex affligentis potestate eripiat, restitutum libertati pristinæ, alteri uero mercedem peccati persoluat. sequitur enim: Gentem autem cui seruiens ego iudicaturus sum:

○

Et post hæc egredientur cum magna substantia.] Nec
 cessum est enim ut mortalis homo prematur ab affectu
 genere, et quicquid natum est expectet mala fatalia, sed
 dei uoluntas cognatas nobis calamitates subleuat. Itaq;
 si nos mox à principio nostrum fecerimus officium, et
 nobis ipsis seruiuerimus, deus quoq; nobis pro sua cle-
 mentia non deerit, remissionem atq; libertatem anima-
 bus ad se suppliciter confugientibus pollicitus, non tan-
 tum exitum è carcere custodijs septo et uinculorum so-
 lutionem offerens, sed et uaticum insuper, quæ uoca-
 tur substantia. Hoc quid sit dicam apertius. Quando in-
 tellectus è cælo delapsus illigatur corporis necessitati-
 bus, uel absq; illecebris, ut androgynus et effœminatus
 propria mala complectitur: quòd si persistit in natura
 sua mascula paratus ad conflictationem, potest adscribi
 studiosis artium liberalium, et adeptus ex harum com-
 mercio temperatiam fortitudinemq; robustas uirtutes,
 remigrare in patriam unà cum suis scientijs, quas scri-
 ptura uocat substantiam. Addit deinceps: Tu autẽ abi-
 bis ad patres tuos, cū pace nutritus in senectute bona.]
 Ergo nos imperfecti et bellum et seruitutem sustine-
 mus, egre inuenientes liberationem è periculis impena-
 dentibus. At illud perfectum genus perpetua libertate
 fruitur, in pace innutritum cōstantissima. inest autem
 dogma his uerbis, bonum uirum non mori, sed abire, ut
 ostendat inextinguibile et immortale genus perpurga-
 te animæ, quæ hinc in cælum proficiscatur, absq; disso-
 lutione ac corruptione, quam mors uidetur inducere.
 Abibis, inquit, ad patres tuos.] Quos nam patres dicat
 con-

considerandum existimo . Nam de illis qui uixerunt in terra Chaldaeorum , in quorum familia hæserat Abraham , intelligi non potest , quando oraculo iussus est à cognatis secedere . Dixerat enim dominus ad eū : Exi è terra tua , & è cognatione tua , & è domo patris tui , ad terram quam ostendam tibi , & faciam te in gentem magnam . hunc diuino monitu profectum peregre , nō est credibile reddi domesticis : quod ne fieri quidem poterat , ut futurus princeps noui generis contribueretur ueteri . ne quaquam enim ei deus daturus erat nouam gentem & nouum genus , nisi prius in totum separato à ueteri . hic est enim uerus princeps gentis & generis , ex quo ceu è radice pullulauit illa contemplatiua rerum naturæ plantata nominata Israel . siquidem præceptū est , ut à facie nouorum auferantur uetera . Quis enim est usus antiquitatis & morum obsoletorum , quando repente nec opinātibz conferim noua bona imbris more impluunt ? Patres igitur non illos relictos dicit , defossos in monumentis Chaldaicis , sed ut quidam aiūt , solem , lunam , stellasq; cæteras . nam hæc terrena cuncta ex illis gigni putātur . Alij hoc dictum interpretantur de ideis archetypis intelligibilibus et inuisibilibus , ad quarum exemplar hæc sensibilia quæ uidemus facta sunt : & harum sapienti destinari contubernium . Rursum alij suspicantur patres dictos illas principales potētias quatuor , ex quibus mundus cōstat , terram , aquam , aerem , ignemq; ; in hæc enim res singulas aiunt dissolui necessario . sicut enim nomina , uerba , & omnes orationis partes conficiūtur ex elementis grammaticis , ac rursum dissoluntur in eadem : sic

sic unusquisq; nostrum contemperatus ex his quatuor,
 & à singulis mutuatus quasdam portiunculas, ad certū
 tempus reddit debitum, nimirum aridas terræ, humidās
 aquæ, calidas igni, frigidas aeri. & hæc quidem corpo-
 rea. Cæterum intelligibile illud atq; cæleste genus ani-
 mæ ad ætherem purissimum, tanquam ad patrem perue-
 niet. sit enim hæc, ut prisca docent, quinta quædam essen-
 tia motu orbiculari prædita, cæteris quatuor melior, ex
 qua & cælum & sidera facta fuisse uidentur: & quan-
 tum colligere possumus, humana quoq; animus eius est
 particula. illud porro, in pace nutritus, non temere ad-
 datur: sed quia maxima pars hominum nutritur in bello
 & bellicis calamitatibus. est autem bellum alterum ex-
 ternum, quod infert obscuritas, ignobilitas, et quicquid
 est simile. alterum ciuile, quo partim corpus impetitur,
 à morbis, læsionibus, mutilationibus, alijsq; pestibus in
 numeris: partim anima oppugnatur ab affectibus, ægri-
 tudinibus, stultitia, iniustitia, similibusq; tyrannorū in-
 sultibus grauissimis & iniunctis uiribus. itaq; in pace nu-
 tritur, cui serena tranquillaq; uita contigit, uere felix ac
 beata. at quando hæc contingit? quando in rebus exte-
 ris bene se habent facultates & existimatio, corpus ro-
 bore ac prospera uale tudine fruitur, anima uero uirtu-
 tibus. opus est enim his singulis suo satellitio. corpori
 pro satellitibus sunt gloria, diuitiæ, potentia: animæ au-
 tem, sanitas atq; integritas corporis: at menti, contem-
 platiue scientiæ. Nam de ciuili pace hæc non intelligi, li-
 quet è sacræ scripturæ lectione. Maxima enim grauiq;
 bella & suscepit & debellauit Abraham. Quin & de-
 relia

relieta patria, nec ulla certa sedes concessa, homini ultro citroq; uaganti per deserta & inuia, graue bellum fuisset, ni sustentatus esset fide oraculi. Erant enim ei ferenda calamitates non mediocres, fames, exiliũ, & belum his molestius. Qualem igitur pacem habuit? Nam, ut opinor, peregrinatio, sedes incertae, cum potentibus regibus contentio, famis onus, non simplicem afferebāt belli speciem. Verum si rem penitus introspicias, haec ipsa sunt sinceræ pacis indicia. nam ex affectibus emigratio, & perturbationum inopia, & deletæ iniquitatum infestæ copiae, & à Chaldaicis opinionibus ad pias ac religioſas transitus, hoc est à sensibilibus creaturis ad autorem earum intelligibilem, tranquillam firmamq; pacem conciliant. In tali pace degenti bona senectus promittitur, non longæuitas, sed uita cum prudentia. nam felices dies multis annis meliores sunt, sicut breuis lux melior quàm æternæ tenebræ. Salubriter enim dixit uir propheta, malle se unam diem cum uirtute uiuere, quàm mille annos in umbra mortis, per umbram uitam malā sub indicans. idem nunc quoq; re magis quàm uerbis Moses docet. nam hunc cui bonam senectutem pollicetur, breuioris æui facit quàm ullum ex eius maioribus, philosophice nos erudiens, quæ nam sit uere bona senectus, ne hoc promissum intelligamus de senectute quæ apparet in corpore, plena probrosis sordidatibus: sed de prudentia constantiaq; animi dictum accipiēdo honestatē prædicemus de senectute, à qua seniores denominamus honoris gratia. Disce igitur hoc dogma nostri legislatoris, soli bono uiro bonam senectutem & longæuitatem

contin=

contingere. malum autem breuissimo tempore mortem
 meditari, uel potius uirtuti iam esse mortuum. Sequun-
 tur hæc uerba: *Quarta generatione reuertentur huc.*]
 Ut non solum sciat tempus post quod posterius deducen-
 di erant in coloniam, uerumetiam discat perfectam uir-
 tutis absolutionem. hæc autem quarta, ut ita loquar, ge-
 neratione absoluitur. id quomodo fiat consideremus. In-
 fans per septennium à natiuitate proximū in ætate pue-
 rili puram naturam sortitur, leui tabulæ similem nullis
 bonis malis uel signatæ formulis. quicquid enim impri-
 mitur, propter molliciem deletur aut confunditur. Se-
 cunda ætas quæ puerilem excipit, cum uitij incipit ha-
 bere commercium, quæ solet uel secū adducere, uel aliū
 de libenter accipere. complures enim habet magistros
 nequiciæ, nutrices, pædagogos, parentes, mores & le-
 ges receptas in singulis ciuitatibus, à quibus discunt mi-
 rari quæ ridere debuerant, etiam absq; his sponte pro-
 cliues ad crimina, adeo feraces uitiorum ut his scateant.
 Prona est, inquit, mens hominis ad malitiam, iam inde
 ab ætate tenera. hæc est illa maledicta quæ figurate ge-
 neratio, proprie uero ætas dicitur, quo tēpore tum cor-
 pus quod pro fundamēto est, tum animus turgescit, ac-
 census affectibus se proferentibus, segetes & campos et
 obuia cuncta exurentibus. Hanc morbidam seu genera-
 tionem seu ætatem tertia sequitur, quæ philosophiam ei
 ceu medicinam adhibeat, curaturā morbos salubribus
 sermonibus, per quos exhauriatur uitiorum nimietas,
 & suppleto quod ad uirtutem deerat, uoluptas ablege-
 tur quam longissime. Post hanc curationem iam quarta
 gene-

generatione anima solidum robur prudentiæ colligit, et
 constantiam in omnibus uirtutibus. Et hoc est quod dicitur,
 Quarta generatione reuertetur huc. nam circa hunc
 quartum numerum à peccatis auersus animus declara-
 tur hæres sapientiæ. primus numerus, nec bonorum nec
 malorum capax, est nondum formate animæ. in secundo
 ubertim uitia proueniunt. tertio sanitatem recipimus de-
 feruentibus affectibus: quarto in ea confirmamur, et so-
 lidum robur acquirimus, quando à malis auersi bona tra-
 ctare aggredimur, quod antea non licuit. Quid autem
 remoretur ipse dicens, Nondum enim consummate sunt
 iniquitates Amorrhæorum.] Hinc quidam infirmio-
 res occasionem arripiunt, ut suspicentur Mosem fatum
 ac necessitatem causas rerum inducere. Sciendum est au-
 tem, consequentiam seriemque causarum inter se implexa-
 rum non ignotam fuisse homini philosopho diuinis as-
 sueto colloquijs, attamen euentus eum his non attribue-
 re. Videbat enim aliquid antiquius quod hoc uniuerso
 neceretur tanquam auriga uel gubernator. hic enim com-
 munis nauis, uidelicet mundi, clauo asidet, in qua om-
 nes nauigant, et uolucrum cæli currum agit pro im-
 perio. Quid igitur super his rebus dicendum est? Amor-
 rhæi loquentes interpretantur. Maximum autem bo-
 num homini à natura datum sermonem plurimi uitiaue-
 runt acceptum, ingrate perfideque hoc usi contra largi-
 tricem. Hi sunt adulatores, præstigiatores, inuentores so-
 phismatum persuasibilem, impostores fallaciarum peri-
 tissimi, de mædacio uitando haud solliciti, et insuper asse-
 ctatores obscuritatis. est autem obscuritas caligo pro-

funda in sermone, res commodissima furibus. Quapropter Moses summum pontificem claritate ornat & ueritate, uolens perspicuam simul & ueracem esse uiri boni orationem. At uulgi hominum obscuram atq; mendacem mauult sectari, in quorum grege censetur contemptissimus quisq; ultro se decipiendum offerēs. Ergo donec consummentur Amorrhæorum peccata, hoc est sermones sophistici, qui non facile conuincuntur, sed ualēt nos rationibus persuasibilibus dūtare, non possumus eos auersari talibus inescati illecebris, & manere apud eos cogimur. Quod si omnes mēdaces persuasiones bona fide coarguantur, & ad hostimentum peccata compleantur, continuato cursu fugiemus, & oram soluētes nauigabimus à regione mendaciorum ac sophismatum ad ueritatis stationes portusq; tutissimos. Atq; ita satis demonstratum puto, esse impossibile auersari, odisse, deferere, mendacia prōbabilia rationibus uerissimilibus, nisi detegatur ad plenum eorum iniquitas: quæ tum demum apparebit, si diligenter cum ueritate cōferatur. Sequitur deinceps: Post occasum autem solis emicuit flamma.] Quibus uerbis significatur, uirtutē esse renerserotinam, atq; etiam ut quidam aiunt, sub uitæ finem constabiliiri. hanc flammæ dicit similem. nam sicut flamma urit subiectam materiam, illustrans uicinum aerem: ad eundem modum uirtus exurit uitia, totam mentem replens lumine. Sed donec sermones non examinati collatione & indiscreti ualent persuasionibus, quos Amorrhæos uocant sacræ literæ, lucidissimum purissimumq; splendorem uidere non possumus: uerum more formacis

cis igne carentis, & ut ipse uates ait fumantis, affecti sumus, scientiæ scintillis uaporati, nondum tamen idonei ut igne probemur confirmemurq;. Gratias ingētes agamus ei qui tales nobis scintillas indidit, ne mens tanquā cadauer frigeat, sed tepida fomento uirtutis caleat, donec in ignem sacrum mutemur sicut Nadab & Abiud. Fumus autem ante ignem exoritur, & appropinquantibus ciet lacrymas. Vtrunq; uobis etiam solet accidere. ad uirtutis nuncios accedendo perfectionem speramus, quæ ni contingat non temperamus à lacrymis. siquidem amator desiderio tabescens ad fores amorum suorum properat, morstus donec eis potiatur. Conferatur autem nunc cum fornace anima discendi cupidi & sperantis absolutam scientiam, quia in hoc utroq; uase cibus coquitur, alter è frumento corruptibili, alter è uirtutibus incorruptilibus. Cæterum facies ardentes sunt dei facem gerentis iudicia clara & splendida, quæ solēt per medium dimidiatorum, contrarietatum inquam, ex quibus totus mundus constat, incedere. Legitur enim sic: Et facies ardentes transeuntes inter dissecta animalia.] Vt scias quòd diuinæ potentie transcuntes per medium rerum & corporum, nihil tamen corrūpant. manēt enim illæse partes dimidiæ. pulchrè autem per has potentias diuiduntur nature singulæ. Et harum rerum scientiæ quis iustior hæres declaratur, quàm uir sapiēs? In illa die, inquit, pepigit dominus fœdus cum Abrahamo, dicens: Semini tuo dabo terram hanc. Quam terram, nisi de qua supra dictum est, ad quam hæc referuntur, cuius fructus est certa firmæque perceptio

dei sapientiæ: per quam sapientiam ille cuncta cōseruat,
 suis incisorijs bona à malis illæsa separans, ut genera in
 corrupta maneant. post hæc addit: A flumine Aegy-
 pti ad magnum flumen Euphratem.] Docens quòd per
 facti principia quidem habent à corpore & sensu & in-
 strumentalibus partibus, sine quibus non uiuitur, utili-
 bus ad instituendam uitam quam in corpore degimus:
 desinunt autem in dei sapientiam, magnum reuera flu-
 uium, gaudio letitiâq; redundantem, & bonis cæteris.
 non est enim cur putes circumscribi hanc terrã Euphra-
 te flumine alteroq; illo Aegyptio. nunquã uirtus ad cor-
 poreos affectus demittitur. magis conuenit dicere: ab
 Aegyptio flumine ad magnum illum Euphratem.
 nam à mortalibus transitus fiunt
 ad immortalia.

PHILO=

PHILONIS IV=

DAEI VITA VIRI CIVI-
lis, siue de Ioseph.



RES sunt species per quas ad o-
ptimum finem tendimus, crudi-
tio, natura, meditatio: tres item
sapientum antiquissimos à Mose
accepimus ab his cognomina-
tos, quorum uitas quoniam scri-
psi, tum eam quæ per doctrinā,
tum eam quæ siuapte natura contingit, eam etiā quæ me-
ditatione paratur, quartam deinceps scripturus sum ci-
uilem, à qua unus è phylarchis commendatur, qui à te-
nera etate in eam inciderat. Cœpit enim in hoc genere
uersari annos natus circiter septemdecim, præfectus cu-
randis gregibus, quæ disciplina cum ciuili conuenit. Et
hoc est, opinor, cur poetæ reges uocant pastores popu-
li. Nā qui summus est in arte pecuaria, facile bonus rex
euadet, pulcherrimo gregi hominum præpositus, ap-
probata industria in minore negotio. Siquidem quem-
admodum futuro imperatori necessaria sunt exercitia
uenatoria: sic ad mouendis ad curam reipublicæ, pro-
prie pastoralis ars congruit, uelut præludium quoddā
magistratum. Proinde cum pater in eo generosum ani-
mum consideraret, & maiorem quàm pro priuata for-
tuna, mirabatur fouebatq; diligens cum præ cæteris fi-
ijs, eo magis quod proles erat serotina, qui nō exiguus

est ad beneuolentiam stimulus: & quia delectabatur honestate pueri, accendebat eius ingenium accuratioꝛe tractatione, ne premeretur diutius, sed quamprimum elucesceret. Sed inuidia magnarum felicitatum aduersaria perpetua, tunc quoq; domum fortunatam aggressa perturbauit, concitatis contra unum pluribus fratribus, qui tanto odio eum prosequerantur, quanta pater beneuolentia, tegentes tamen id & dispensantes in tempus aliud: unde magis augebatur in dies. nam affectus qui premuntur ne per uerba exspirent, grauiore redduntur. At ille innocenter simplex non intelligens domesticas fratrum inimicitias, uiso somnio non irritò, ut amicis id aperuit. Vidi, inquit, messi me prepositum, & omnes nos in campo ad colligendas fruges preesto fuisse cum falcibus. ibi repete meum manipulum erectum constituisse, uestros uerò tanquam ex composito accurrisse ad eum uenerabundos, & reuerenter adorasse. Tum illi prudentia pollentes, & significatum per coniecturas uerisimiles uestigare idonei: Putasne, inquiunt, regem te fore nostrum & dominum? id enim euentu uisione subindicas. atq; ita odium magis ac magis accendebatur, auctum quotidianis occasionibus. ille tamen nihil suspicans, cum post paucos dies uidisset alterum magis stupendum somnium, & hoc narrauit fratribus. Visus erat uidere ad se uenientem solem & lunam & stellas undecim: quod pater miratus in mente recondidit de euentu presagij sollicitus. Grauius autem obiurgabat filium, timens ne quid ille peccaret, Potestne, inquit, fieri ut ego materq; & fratres adoremus te? nam per solem patrem

tre, per lunam matrem, per undecim stellas fratres significare uideris: quod caue ne unquam in mentem tibi, mi puer, ueniat. trade potius obliuioni uisiones istas nefarias. Nam sperare & expectare principatum inter domesticos, res abominanda est, me iudice: nec aliter iudicare puto ceteros, quibus equalitatis & cognationis iura nota sunt. Veritus autem ne fortè præsentibus omnibus aliquid seditionis inter fratres oriretur ex ingrata somniorum memoria, illos ablegat ad pascua, hunc domi seruat ad tempus, gnarus quòd affectuum animæ ac morborum tempus dicatur medicus, & luctui tollendo, & furori sedando, & timori percurando efficax. cuncta enim reddit leuiora, etiam quæ non facile sanantur. Vbi uerò cogitauit iam euanuisse simultates domesticas, misit filium, tum ut fratres salutaret, tum ut renunciaret satim salui sint uel ipsi uel eorum pecora. Hoc iter initium fuit magnorum & bonorum & malorum, utrorumq; præter expectationem. profectus est ille ad uisendos fratres, ita ut pater iusserat. Qui procul conspicati uenientem, mutuo se appellabant uerbis nihil sanum ominantibus, quando nec nominare quidem eum dignabantur, sed somniatorem appellabant attonitum uisionum prodigijs. Tantum autem irarum conceperant, ut in cædem eius si non omnes certè plures conspirauerint, uolentes eum in barathrum aliquod proijcere, ne deprehenderetur facinus. Sunt autem in ijs locis multæ cisternæ profundæ admodum. itaq; minimum absuerunt à fratricidio, quod solus fratrum maximus egrè dissuasit, iubens abstinere ab inexpiabili scelere,

tantum in unam quampiam cisternam eum proijcerent,
 de salute adolescentis cogitās, ut post aliorum discessum
 ipse patri restitueret incolumem. Quo impetrato ueni-
 • entem complexus est, cæteri hostiliter comprehensum
 spoliant, spoliatum demittunt per funem in profundam
 foueam: uestem eius cruentam hædi sanguine transmit-
 tunt ad patrem, cum prætextu quasi absumptus esset à
 bestiis. eadem die negotiatores quidam iter faciebāt ex
 Arabia in Aegyptum cum sarcinis: his fratrem extra-
 ctum uendunt, autore fratre quarto à primogenito. Hic
 enim (ut opinor) metuēs, ne ab iratis frater per dolum
 interimeretur, eum uendi quàm mori maluit, leuius ma-
 lum seruitutem existimans. At natus maximus qui abfue-
 rat interim, postquam introspexit cisternam, nec uidit
 quem paulò ante ibi reliquerat, uociferabatur & furi-
 bundus discursabat scissis præ dolore uestibus, capillos
 sibi uellens, & quid accidisset rogans: Viuit ne puer
 an extinctus est? Si non superest, saltem cadauer ostē-
 dite, ut deplorando calamitatem leuiorem faciam. Sola-
 tium erit uidere uel mortuum. Cur mortuum quoq; o-
 dio prosequimur? certè sublati nemo inuidet. Quod si
 uiuit, quò abiit? apud quos seruatur? nam me suspectum
 non opinor, ut etiam de mea fide dubitari debeat. illis ue-
 rò factis uenditum, & precium profrentibus: Bella, in-
 quit, negotiatio. partiamur lucrum, et prædonum quos
 malicia uincimus, referamus præmium. Egregia uerò
 crudelitatis palma, quæ nobis merito placeat. Illi in alie-
 nos conspirans, nos in domesticos, & charissimos. Ad-
 missum est probrum maximum, insigne dedecus. Maio-
 rum

rum nostrorum probitatis monumenta nusquam terra
 rum non exstant, relinquamus & nos inhumanitatis
 perfidiaq; maculas incluibiles apud posteros. Volat e=
 nim ubiq; fama nuncia magnorum facinorum, non sine
 admiratione laudabilem, et noxiorum uituperio. Quo
 modo communis pater hunc casum accipiet? cui cetera
 beato felicissimoq; uite affertis tedium. illius ne miseri
 scruitutem, an nostram deflebit scuitiam? nostram ui=
 cem magis dolebit sat scio: quando leuius malum est pa=
 ti, quàm inferre iniuriam. Nam alterum subleuatur duo
 bus magnis remedijs, spe atq; miseratione. Alteri autem
 obnoxius, damnatur publico mortalium iudicio. Sed
 quid ego hæc clamito? præstat silere, ne mihi quoq; ali=
 quid obueniat, quod non libet dicere. Exasperati enim
 estis implacabiliter, & palàm spiratis iracundiam. Cæ=
 terum ubi ad patrem perlatus est, non quod uerum e=
 rat, uenditum esse filium, sed commētum illud de absum
 pto à bestijs, ictus aures nuncio, simulq; oculos specta=
 culo (allata enim fuerat tunica lacera cruentaq; fœdum
 in modum) dolore turbatus, obmutuit per longum tem
 poris spaciū, ne caput quidem ualēs attollere oppres=
 sum tanta calamitate. Tandem repentē effusus in lacry=
 mas, uelut è fonte prorumpentes, plangebat pectus &
 faciem, scissis uestibus lamentans: Non tam mortē tuam,
 fili mi, doleo, quàm sepulchri iacturam. Nam si tibi se=
 pulchrum contigisset in terra propria, nec mihi deesset
 solatium. Officiose assedissem egrotanti ante mortem,
 impendissem morienti extrema oscula, clausissem oculos,
 mortuum persudissem lacrymis, extulissem magnificē,

nihil omissem è iustis funebribus. Atq; etiam si peregre defunctus esses, dixissem ad meipsum, persolutum est naturæ debitum, noli tristari. Viui habet suas patrias, mortuorum omnis terra sepulchrum est, brevis cui sunt omnes homines. Nam qui maximè longæuus fuit, quantum temporis uixit si ad æternitatem id conseras? uel si omnino moriturus eras per uim & insidias, leuius fuisset extingui manibus hominum, qui mortuum saltem miserati obruissent terra, & cadauer tumulassent. aut, ut crudelissimi fuerint, quid amplius potuissent quàm in sepultum proijcere? quem mox uiator aliquis præteriens, memor naturæ communis, humasset tactus misericordia. Nunc ut fertur, inmites & carniuoras bestias pausi & saturasti meis uisceribus. Hastenus multos labores inopinatos exantlaui, in his miserijs abunde sum exercitus, errando, peregrinando, mercede seruiendo, dura ferendo imperia, usq; ad uitæ periculum exagitatus à quibus minimè oportuit. multa uidi, multa audiui, multa passus graua, quibus ad patientiam eruditus perdurauim. Sed nihil præsentis casu intolerabilius, qui totum animi mei robur subuertit atq; deiecit. Quis enim luctus potest esse maior aut miserabilior? uestis pueri ad patrem perlata est: ex ipso non membrum, non frustum, non uel minimæ reliquæ: totum deuorarunt bestię, nihil superest quod sepulchro inferatur. ac ne uestem quidem recepi, nisi ut ad eius aspectum recrudescat doloris memoria, ne unquam tantæ calamitatis obliuio possit obrepere. Sic ille sortem suam deplorabat. Negociatores autem uendunt puerum in Aegypto eunucho cuidam re-

gio

gio qui culinæ præerat. Caterum post denarratam historiam uidendum quid sub eius cortice lateat. Nam pleræq; & propemodum omnes in lege scriptæ suam habent allegoriam. Hic uitæ modus de quo agitur, apud Hebræos Ioseph uocatur, apud Græcos Domini appositio, aptissimo nomine ac rei præsentis conuenientissimo. Est enim rerum naturæ auctarium ciuilis administratio qua utuntur populi. Nam mundus hic est magna ciuitas, unam reipublicæ formam, & unum ius habens. Continentur autem edicto naturæ iussa de agendis, & uetita de non agendis. Ad id ius alij alias leges ac institutiones adiiciunt. in causa est separatio, non solum Græcorum à barbaris, sed & barbarorum à se inuicem, & Græcorum à suæ nationis hominibus. Nec sunt audiendi qui temerè culpam referendo in difficultates temporum, infelicem prouentum fructuum, agrorum sterilitatem, loci situm in maritimis aut mediterraneis, in continente aut insulis, & id genus alia, ueritatem dissimulant. Est autem uera causa auaritia & mutua perfidia, dum non contenti iure naturali, quæ in commune conducere uidentur consentientibus cœtibus, ea leges nominant. itaq; merito addita nenta naturalis iuris censentur instituta particularium ciuitatum. Nam leges oppidatim receptæ, sunt appendices rationis rectæ à natura nobis insitæ, sicut et ciuilis uir auctarium est iuxta naturam uiuentium. Nec alienum est à proposito, quòd tunica uaria uestitus dicitur. Nam rerum ciuiliū administratio res est multimoda & uaria, multas mutationes recipiens, personarum, rerum, causarum, sequestrorum proprietates, locorum
item

item diuersitates & temporum. Sicut gubernator pro ratione uentorum mutat nauigationis subsidia, nō uno modo nauem dirigens: & medicus non uno ad omnes morbos utitur remedio, ac ne in uno quidem morbo si is uariet, sed obseruans intentiones, remissiones, repletiones, uacuationes, causarum mutationes, multa ad salutem uariat, nunc hoc, nunc illud experiens: sic opinor & reipublicæ moderator debet esse multiformis & multiplex, alius in pace, alius in bello, aliter se paucis, aliter multis opponens aduersarijs, contra paucos constanter agens, multos uerò flectens persuasionibus. idem ubi periculum publicum postulat ipse rem aget: ministeria uerò quæ labore tantum indigent cedit alijs. Rectè autem dicitur, uendi hunc hominem. Nam qui auram populi captans concionaturus locum superiorem ascendit, sicut uenaliitij, seruus fit ex ingenuo, propter honores quos uidetur accipere, addicens se innumeris dominis. Idem à feris circumuentus inducitur, quòd huic insidetur immanis bestia uana gloria, corripere ac deuorare tales solita. at emptores eum reuendunt: quoniam non unus est dominus tractatium rempublicam, sed vulgus, alijs post alios dominis succedentibus. Qui autem teratio uenduntur, nequam mancipiorum more mutant dominos, non ferendo priores propter fastidium ut rerum nouarum cupidi. De his hætenus. Cæterum adolescens in Aegyptum abductus, & eunucho ut diximus in seruitutem traditus, cum intra paucos dies generositatis & honestatis dedisset specimē, conseruis est præpositus curator totius familiæ. iam enim herus multis argumentis colle-

collegerat, eum nō sine diuina prouidentia singula tum
dicere tum facere. Ergo in speciem ab emptore suo do-
mum præfectus est: re uera autem à natura cōciliante illi
magnæ gentis ac regionis principatum. oportebat enim
futurum administratorem reip. præexerceri in rebus
œconomicis. nam & domus est quædam parua ciuitas,
& œconomia compendiaris respub. sicut etiam ciuitas
magna domus est, & politia communis quædam œco-
nomia. Vnde facile discimus eundem esse aptum & di-
spensationi domesticæ et administrationi publicæ, quā-
uis hæc multitudine magnitudineq; differat, sicut in pi-
ctura quoq; ac fictura usu uenit. nam bonus statuarius
aut pictor, siue colosseas magnitudines faciat, siue pau-
ca paruaq; opera, eandem artem ostentabit. Cæterum
postquam egregiam laudem in dispensatione cōsecutus
est, insidias berilis uxoris pertulit infano amore corre-
ptæ. Capta enim adolescentis pulchritudine, & affectu
indomito rabida, de stupro eum tentauit repugnantem
ualide, ac ne audire quidem tale quicquam sustinentem
propter innatam sibi & cōtinua meditatione confirma-
tam honestatem atq; temperantiam. Sed ubi crescente in
dies flamma cupidinis atq; incesta concupiscentia conti-
nuè tentando semper repulsam passa est mulier, tandem
libidinis impatiens, & ad uim uersa in adolescentis pal-
lium manus iniecit, magna contentione trahendo illum
in thalamum, robur addente affectione, quæ solet con-
firmare uel debiles. At ille præsentem importunitatem
fortiter submouens, in has liberas & suo genere dignas
uoces erupit. Quid molesta es? Bonis moribus & legibus

bus utimur nos Hebræorum posteri. Aliæ gentes puberibus quatuordecimum annum ætatis egressis permittunt usum scortorum & foeminarum corpore questum facientium: apud nostrates nulla est meretrix, capitali supplicio proposito talem questum exercentibus. Ante legitimam copulam alios cōgressus cum muliere nescimus, casti castis uirginibus coniungimur, non uoluptatis, sed liberorum querendorum gratia. Qui ad hanc diem purus mansi, non incipiam ab adulterio leges contemnere flagitio pessimo, qui etiā si aliās perperā educatus essem, & obsecutus ætatis affectibus, aut uestram imitatus læsciendi licentiam, tamen non deberem alieno insidiari matrimonio, quod crimen cui mortalium non cæde uindicandum uidetur? nam de cæteris dissentire soliti, in hāc solam conspirant sententiam, ita ut omnes ubiq; rem capitalem pronuncient, & deprehensos iniudicatos læso dedant necandos. tu uerò quasi res per se parum damnata sit eam tertio scelere cumulas, cogens me non tantum ad adulterium, sed et ad thori herilis iniuriam. nisi fortē ideò in uestras ædes ueni, ut relictis seruilib. ministerijs inebrier & debaccher in spes domini, coniugium, familiam, cognationem eius adulterans. atqui non solum officium ei ut hero, sed & honorem ut benefactori debeo. omnia sua cōmisit meæ fidei nihil excipiens, nisi te uxorem suam. hanc cime gratiam ut ei referam autor es? Bonam scilicet gratiā dignamq; illius meritis. herus me ex captiuo & extero sua benignitate libertum & ciuē reddidit tractatum liberaliter: ego uerò seruus domino iniuriam, ne captiuo quidem & extero tolerabilem, infestam

tam? & qua fronte potero post admissum tantum scelus illum aspicere? conscientia carnifex intestina non sinet me oculos in eum erigere, ut nemo prodat alius, sed non deerunt qui prodant. præsto sunt latentes exploratores plurimi, quibus filere nō licet. taceo quòd etiamsi nemo factum uel sentiat uel enunciet, ipse meus ero proditor, colore, aspectu, uoce, ut modo dixi detegens conscientiam. fac nullum delatorem fore, asidētem Deo iustitiam res cunctas inspicientem nec timebimus nec reuerbimur? Huiusmodi multa ille canebat surdis auribus, obfundente omnes sensus improba concupiscentia. id ut animaduertit puer aufugit, relicto in heræ manibus palio quod apprehenderat. hinc illa occasionem comminiscendæ calumniæ rapuit, de uindicta cogitans. reuerso enim è foro marito honestatem & pudicitiam incesta simulans, indignabunda dixit: Adduxisti in nostras ædes istum seruum Hebræum puerum, adeò corruptum iam tua indulgentia, qui pudēda facilitate inexplorato commisisti totam familiam, ut adulta audacia ne à me quidem iniuriam abstineat. nam conseruæ non satis sunt libidini eius nunquam explebili. Nunc me matronam tentare haud ueritus, uim adiecit contumeliæ. En tibi manifestum insani conatus indicium. nam cum exclamarem præ indignatione opem domesticorum inuocās, territus hanc uestem reliquit fugiens ne comprehenderetur. Ea uestis prolata fidem adstruxit muliebri calumniæ. Herus uerò crimen ratus trudit hominem in carcerem, ipse peccans non simpliciter: primo, quia non facta defendendi se potestate damnauit insontem

tanquam

tanquam obnoxium sceleri grauissimo: deinde quia non
 animaduertit uestem quam ab adolescente relictam mu-
 lier proferebat, esse indicium uiolentie, sed muliobris,
 ipsius uero adolescentis patientie. nam si uim tentasset,
 inferre dominæ, retinuisset eius amiculum: nunc relu-
 ctans suo pallio spoliatus est. uerum huius inscitie ue-
 nia fortasse danda est ei qui degens in culina inter lanie-
 nas & fumos ac cineres, non poterat uacare causæ co-
 gnoscendæ ita ut postulabat ratio, immersus rebus cor-
 poris. Iam tres notas uiri ciuilis expressi, pastorem ar-
 tem æconomicamq; & tolerandi scientiam, de quibus
 dictum est, sed temperantia non minus confert ad tra-
 ctandam remp. hæc enim cum in omni uita salutaris est,
 tum maxime in negocijs publicis, ut abunde liquet rem
 considerare uolentibus. quis enim ignorat, gentibus, re-
 gionibus, magnis terrarum tractibus terra mariq; cala-
 mitates inflictas ab incontinentia? quando quidem pluri-
 ma & maxima bella ob amores, adulteria, muliebresq;
 illecebras conflata sunt, quæ potiore Græci barbaria-
 ciq; generis partem absumpserunt, & iuuentutem ex-
 hauserunt è tot ciuitatibus. Quod si ex intemperantia
 tum seditiones ciuium, tum bella & calamitates cumula-
 te proueniunt, satis apparet è sobrietate tranquillita-
 tem pacemq; nasci, & possessionem felicitatis integram.
 Nunc indicandū quid sub his figuris tegatur. Qui hunc
 de quo differimus emit, eunuchus merito dicitur. Nam
 emptor hominis ciuilis uulgus re uera eunuchus est, &
 uidetur quidem habere genitalia, sed ui genitalia destitui-
 tur: quemadmodum qui suffusos habent oculos, orbat
 sunt

sunt eorum efficacia, non ualētes cernere. Quæ nam igitur similitudo intercedit inter uulgum & eunuchos? quod utriq; steriles sapientiæ, uirtutē tamen approbant. Cum enim confluit promiscua multitudo hominum, loquuntur ut oportet, sed sapiunt contrarium, posthabendo insinceris legitima, quia student existimationi tuendæ, ueram honestatem negligunt. Hinc quod mireris sequitur, ut eunuchus uxorem habeat. Nam uulguſ deditus est concupiscētiæ, sicut uir mulieri, in cuius gratiam dicit facitq; omnia, in cōsiliū clam & propalam hanc adhibens in rebus minimis æquæ ac maximis, rationi uerò nusquam obtemperās. Rectē sanē præfectus etiam coquorum uocatur. Nam sicut coquus nihil aliud curat, quàm inutiles ac superuacaneas uentris uoluptates: eodē modo populus dedit se totum oblectamenti aurium, per quæ mentis intentio relaxatur, & nescio quo pacto enervatur anima. Quid autem inter medicos & coquos intersit, quis non uidet? illi quicquid ad sanitatem cōducit, etiam si ægroto ingratum uideatur, solum magno apparant studio. Hi contrā, suauia curant, utilia negligūt. Ergo medicis similes sunt in ciuitate leges & magistratus legitimi, senatores iudicesq; , prouidentes communi saluti ac securitati, quibus adulator non faciliē palpatur: cupedinarijs autem iuniorum turba est similis. Nam securi de commodis, præsentem tantum uoluptatem uenantur. Et sicut impudica mulier, sic concupiscētia uirum ciuilem adamat, sic alloquēs: Heus tu, prodi ad uulgum cum quo habitas, obliuiscere morum tuorum, studiorum, dictorū, factorum, in quibus educatus es. mihi

Philo. 10. 1.

β

obse

obsequere, me cole, age quicquid mihi placet. Nam te-
 tricum, pertinacem, ueritatis amicum, rigidum, perpe-
 tuo grauem, nūquam flexibilem, solum commodum spe-
 ctantem, securum quid auditoribus placeat, non sero: si-
 cut nec quorundam calumnias, quæ multæ defruntur
 ad uulgum meum maritum, tuum dominum. Hactenus
 enim abusus libertate uideris, immemor te seruire tyran-
 nico domino. Quòd si scires liberos suum negotium, ser-
 uos alienum agere, iam doctus esses omiſſa tua peruica-
 cia me concupiscentiam uxorem illius respicere, & om-
 nia meo arbitratu facere, ut & illi charius sis. At uerè ci-
 uilis uir non ignorat quidem penes populum esse pote-
 statem tanquam dominum, se tamen non seruum profite-
 tur, sed liberum, & qui suo morem gerat animo. recla-
 mabit igitur: populi fauorem captare nec didici, nec un-
 quam uolui, sed magistratum mihi commissum bona fi-
 de gerere, ut bonum procuratorem decet, aut patrem be-
 neuolum, absq; dolo & mihi semper inuisa simulatione.
 hanc meam uoluntatem approbabo, nihil subtrahēs aut
 celans furis in morem, sed conscientiam tanquam in so-
 le ac luce aperiens. nam lux est ueritas. nec me terreat
 ullum intentatum periculum, ne mors quidem. mori ma-
 lo quàm simulare. cur enim simulem? Si populus est do-
 minus, ego certè sum ingenuus, patricius, qui cum pri-
 mis in ciuitatem optimam maximam, hūc inquam mun-
 dum adscribi cupio. Cum enim nec muneribus, nec pre-
 cibus, nec ambitioni, nec arrogantia, nec simulationi,
 nec luxui, nec timiditati, nec iniustitiæ, nec ulli affectui
 uitiōe seruiam, cuius præterea timerem dominium? an
 fortasse

fortasse hominum? at hi potestatem in corpus meum, non in me habent. equidem me à potiore mei parte censeo, iuxta quam decreui uiuere, parum sollicitus de mortali corpore: quod in conchæ morem adhærens mihi, etiamsi conteratur à quopiam, non ægrè feram me molestis affectibus eximi, et effugere necessitatem grauissimam. Itaq; si iudicandum erit, iudicabo, nec diuiti propter opes gratificans, nec pauperi propter misericordiam: sed omisso respectu personarum incorruptè pronunciabo, quod iustum apparebit. In senatu etiam autor ero sententiarum reip. cōducibilium, uel si parum iucundæ auditu fuerint. pro concione quoq; si dicendum erit, adulationes relinquam alijs, contentus uerbis utilibus, increpans, admonens, castigans, non arrogantem insanamq; sed sobriam libertatem proferens. Quòd si quis tales castigationes nō amat, reprehendat parentes, tutores, preceptores, et omnes curatores, quia suos liberos, pupillos, discipulos obiurgare non desinunt, interdum etiam uerberant, nec tamen sēuire, sed amanter castigare dicuntur. Indignum enim esset, si cum meæ fidei commissa sit administratio reipublicæ, in præuidendis commoditatibus cederem cuius medicine professori. Nam ille in ægroto nullam splendoris fortunæ rationem habens, nec quod claro genere natus, aut opulentus, deniq; rex aut tyrannus sit, unum hoc spectat, quomodo seruari queat hominem: et si fortè sectione uestitione uel opus uideat, secatur utiq; principem suum ac dominū seruus ipse atq; subditus: ego qui non unum uirum curandum suscepi, sed integram ciuitatē laborantem morbis grauiorib.

contractis ex innatis concupiscētijs, quid agere debeo?
 num prodita utilitate publica, illius aut illius aures mul-
 cere adulatione illiberali, & ne seruo quidem decora?
Emori præstat, quam loqui ad gratiam, dissimulata ue-
ritate, & utilitate neglecta. Vsurpandum est hic illud di-
ctum poetæ tragici:

Accedat ignis, accedat & gladius.

Combure carnem hanc, concrema, repleto te

Meo cruore, nam prius uel sidera

Terram subibunt, terra uel scandet polum,

Quàm mollis à me extorqueatur uox tibi.

Hanc tam masculam mentem alienam ab omnib. affecti-
 bus, uoluptate, timore, dolore, concupiscentia, non fert
 in uiro ciuili dominus populus, sed hominem amicum
 atq; beneuolum pro inimico arripit, nec tam illū, quàm
 seipsum afficit pœna grauissima, uidelicet inscitia, quip-
 pe qui non didicit id quod in omni uita utilissimum est,
 imperata facere, unde imperandi quoq; sciētia discitur.
 uideamus sequentia, quando de præsentī loco satis dixi-
 mus. Adolescens ab amatrice apud herū insinulatus cri-
 minis quod in ipsam cōpetebat, inauditus in carcerem
 ducitur: ubi tanta uirtutis edidit specimina, ut etiam faci-
 norosis illis esset miraculo, ad suæ calamitatis solatium
 credentibus sibi contigisse hunc hominē. nota est autem
 custodum crudelitas, qui ingenio ferores magis effran-
 tur assuetudine, indies crescente scuitia, dum nihil boni
 uident nec dicunt aut faciunt, sed sæua uiolētaq; omnia.
 non sicut bene compacta corpora exercitatione confir-
 mantur & acquirunt robustam inuictamq; habitudi-
 nem

nem: sic ferox & immitis natura occupata sui similibus studijs duplo fit durior, inaccessa misericordie, qui unus affectus bonus ac humanus est. & quemadmodum qui cum bonis uiris habent familiaritatem, ex iucundissimo eorum conuictu in melius proficiunt moribus: sic etiam qui cum malis uersantur, affricant sibi eorum uitia. facile enim cōsuetudo abit in naturæ similitudinem. degunt autem carcerum custodes inter plagarios, fures, parietum perfoſsores, facinorosos, uiolentos, stupratores, homicidas, adulteros, sacrilegos, à quorum singulis nonnihil nequitie contrahunt, ut ex huiusmodi colatione miscellaneaq; temperatura conficiatur una scelestæ malorum colluuius attamen talis homo honestate adolescentis mitigatus, nō solū securitatē & ociū ei præstitit, sed etiam uinctis omnib. eum præfecit, ita ut penes ipsum species nomenq; custodis esset, rem autem & officium adolescenti cederet, quod non parum carcere inclusis proderat. iamq; locus non tam erat carcer, quàm disciplinæ meditatorium. Omisſis enim tormentis, quibus antea noctu atq; interdium cruciari solebant uarijs malis obruti, admonebantur sermonibus & præceptis philosophicis, sed maxime ipsius doctoris exemplis utilissimis. Postquam enim suam uitam continentia, cæterisq; uirtutibus plenā, uelut tabulam bene pictam in medio proposuit, conuertit etiam eos qui uidebantur insaniabiles, affectos inueteratis morbis animi, ita ut iam damnarent uitam præteritam, exprimente has uoces respicientia: Vbi tantum bonum tam diu latuit, à quo priusdem aberrauimus? Ecce iam affulgente hoc, tanquam in

speculo nostra dedecora uidentes, erubescimus. In hoc rerum statu duo eunuchi regis introducti sunt, alter pincernis præfectus, alter pistoribus, accusati damnatiq; quod non rectè fungerentur suis ministerijs. Hos quoque ille in suam curam accepit, orans deum ut sibi daret facultatem corrigendi commissos suæ fidei. Aliquanto post, cum obiret uinctos, animaduertit hos duos eunuchos cogitabundos mœstiores solito, unde coniectans eis accidisse aliquid, mœroris causam scitabatur. Quibus respondentibus ortam ex somnijs anxietatem, quod non adesset interpres: Bono animo este, inquit, & narrate. intelligentur deo uolente. Vult autem ille ut res obscuræ aperiantur ueritatem desiderantibus. Tum prior pincerna, Visus sum, inquit, uidere magnam uitem, habentem tres palmites onustos maturis uuis, quasi autumnal tempore. deinde inuitante harum pulchritudine, uidebar decerpere, & exprimere in regium poculum, moxq; regi offerre mustum meracum. Ioseph post modicum silentium, Felicitatem, inquit, hæc uisio tibi nunciat, & restitutionem in pristinum officium. Nam tres palmites tres dies significant, quibus elapsis reminiscetur tui rex, accitoq; hinc, dabit ueniam: & ut in dignitate cōfirmeris, offeres domino poculum. Sic illi letum fuit suum somnium. tum pistorum præpositus interpretationem miratus, quasi & ipse sc̃ustum uidisset somnium, quod ualde ominosum erat, deceptus bona spe alterius, narrare incipit. Ego quoq; somniaui me tria canistra baiulare in capite plena operibus pistorijs. ex his summum continebat ea, quibus rex delectatur ut deli-

catio=

cationibus & elaboratis curiosius. ea uidebantur aues in meum caput deuolantes diripere, & deuorare auide, donec in totum absumpta sunt. Ad hæc iuuenis. Vtiam tale somnium non uidisses, aut non enunciaffes: aut si narrandum erat, saltem id fecisses procul à meis auribus ne exaudirem quod non libet. piget enim me esse infelicitatis nuncium, quia compatior miseris, memor communis sortis hominum. Sed quoniam somniorum coniectoris ueritas est necessaria, tanquam uatibus & oraculorum interpretibus, nihil celabo: quandoquidem mendacium ubiq; fugiendum, in sacris consultationibus etiam religio uetat admittere. Tria canistradies tres significant, quibus elapsis rex in crucem te tolli iubebit, truncatum prius capite: atq; ita uolucres pascentur tuis canibus, donec totum absumant. Sic pistor recessit territus, tempus præfinitum expectans, & futura mala iam tum cogitatione præcipiens. Post triduum natalis regis illuxit, festiuitatem publicam affertens, præsertim aulicis. cumq; epulum præberetur optimatibus, ut fieri solet in hilaritate domestica, rex eunuchos requirens iussit produci è carcere: moxq; confirmauit euentu somniorum præsagium, iubens alterum in cruce suspendi absciso capite, alterum in pristinam dignitatem restitui. At pincernarum princeps oblitus est elus qui futura prædicendo præsentem eius calamitatem subleuarat, uel quia nemo ingratus beneficiorum meminit, uel quia deo uisum est, iuuenem non humana, sed diuina ope ad felicitatem prouehi. Nam post biennium regi futurus eius regionis status, bonus malusq;

ß

4

præmon-

præmonstratus est diuinitus duobus somnijs, quo certior res fieret. Vidit enim septem uaccas emergere in ripam e flumine, pingues ualde obesasq; uisu pulcherrimas, & pasci secundum fluuium. Post eas totidem macilentas, & uix ossibus hærentes, uisu turpissimas ascendere, pasciq; cum prioribus. Dein repente meliores deuorari a deterioribus, manente in saturatis eadem macie, imò aucta etiam. Tum experrectus, ac mox in somnum relapsus alia uisione terretur: quæ uisus est uidere septem spicas triticeas ex uno culmo enatas pari magnitudine, plenas & proceritate pulcherrimas. Deinde septem alias exiles ac languidas enatas in proximo, quæ mox impetu facto absumpserunt culmum illum cum suis spicis nitidissimis. Post hanc secundam uisionem noctis reliquum insomnis exegit, curis stimulantibus, & animum sollicitum sauciantibus: sub auroram sophistis accitis, de narrat obuersatas sibi dormienti species. Cumq; nemo posset uerum earum significatum coniecturis assequi, accedens eum pincernarum princeps, inquit, Here, spearo me inuenturum qualem cupis hominem. Misisti dudum ob quasdam noxas me & pistoribus præfectum in carcerem, in quo erat seruus principis coquorum, Hebræus genere, ei narrauimus ambo, quæ uideramus somnia. Ille rem coniecturis certissimis attigit, adeo ut euentus in utroq; nostrum eius interpretationi responderit: alter dedit supplicium, mihi tu propitiis donasti ueniã. Rex his auditis iubet properè acciri iuuenem. ministri attonsum post longã carceris illumiem, & detractis sordidis pannis eleganter uestitum, cæterisq; nitoribus ex-

politum

politum, ad regem introducunt. qui primo aspectu iudicans hominem ingenuum & bene natum (elucet enim in ipsa facie notæ, non omnibus tamen conspicuæ, sed solis perspicaces mentis oculos habentibus) Præfagit, inquit, mihi animus, non semper in obscuro fore quod tegitur somniorum ambagibus. præ se fert enim hic iuuenis sapientiam: qui ueritatem, tanquam lumen tenebris inferens, aperiet, & sua sciëntia nostratum sophistarum inscitiam abiget. His dictis ordine denarrauit utrunq; somnium. Tum Ioseph maiestate loquētis nihil territus, tanquam rex subditum, non subditus regem, liberè sed reuerenter allocutus est, dicens: Quæ facturus est deus in hac regione ostendit tibi. Duæ uisiones (crede mihi) unum somnium sunt, geminatum non temerè, sed ut res fiat credibilior. nam & septem uaccæ pingues, & septem spicæ plenæ, septem ubertatis annos significant: sicut totidem famis annos illæ septem macilētæ uaccæ turpissimæ, & septem spicæ cassæ ac marcidæ. Veniet igitur prius septennium fertilissimum, tota regione quotannis bene rigata stagnante per arua flumine, & campis solito maiores prouentus afferentibus. sequetur deinde longè diuersum septennium, grauem inopiam allaturum & rerum uictui necessariarum penuriam, nec flumine se diffundente, nec terra limo eius pinguescente, ut accolæ obliti superioris ubertatis nihil ex eius prouentu reliquum faciant. Hæc sunt quæ somnia præmonent: sed mihi numen quiddam suggerit, quod in tantis malis salutem afferre queat. Urbium regionumq; grauiissimus morbus fames est, cuius uires oportet frangere, ne ni-

mium auctus incolas deleat. at quomodo succurrendum
 est huic periculo? è septem annorum fertilitate quod
 supererit satietati hominum, hoc est quinta pars, re=
 ponatur oppidatim uicatinq; , non transportando fru=
 ges aliò longius, sed ubi demetuntur asseruando in u=
 sum eius loci hominum. eas fruges censeo cum suis ma=
 nipulis condendas, nec trituras, nec purgatas, qua=
 tuor de causis. quarum una est, ne citius uitientur nu=
 data suo tegmine. altera ut per singulos annos renoue=
 tur pristinae copiae memoria, rusticis triturantibus, &
 fruges euentilantibus. tertia ne iniri possit frumenti nu=
 merus dum incertum est quatum spicae manipuliq; con=
 tineant, ne animus colonos deficiat reputantes quan=
 tum absumptum sit, sed securitate non minus quam cibo
 se sustineant. spes enim alit cum primis, graue penuriae
 malum subleuans. quarta causa est, ut & iumentis con=
 datur pabulum, quibus aristae paleaeq; purgamenta fru=
 gum proderunt. ea cura committenda est uiro pruden=
 ti, cordato, probatoq; , qui possit sine inuidia reprehen=
 sioneq; hoc consilium exequi tanta dexteritate, ut nihil
 populo de fame futura suboleat. durum est enim iam ante
 aegris animis spem in futurum adinere. quod si quis cau=
 sam scitabitur, respondendum est, oportere sicut in pace
 paratur quae belli tempore futura sunt usui, sic in copia
 prospicere inopiae. incertum autem esse quando bellum
 uel fames immineat, quid ue futurum tempus ferat: pa=
 randum igitur maturè subsidium, ne desit cum tempus
 postulauerit. Rex audita somniorum interpretatione a=
 ptissima, ueritati congrua, simulq; cōsilio, ut apparebat
 in

in futurum utilissimo, familiaribus proprijs accitis submissa uoce dixit: Num inueniemus talem hominem afflatum diuinitus? Cumq; uideret eis probari hanc sententiam, uersus ad iuuenem stantem ait: Prope est quæ queri iubes, non longe quæredus est homo cordatus ac prudens qui exequatur tua monita: tu is es. nec enim sine numine hæc locutus uideris. I præfecturâ mei palatij suscipe, simulq; totius Aegypti procurationem. nec est cur quisquam meam facilitatem accuset, se digniorem iudicans. nam excellentes naturæ non habent opus ad experimentum longo tempore, sed incunctanter se rebus ingerunt: & præsens status moras non patitur, imminente necessitate cui prospiciendum est. His dictis eum proregē instituit, uel regē potius, relicto sibi solo imperij nomine, potestatem illi cedens & agens quicquid pertinebat ad honorē iuuenis. dat ei regium anulū signatorū, uestem augustam, torquem auream, currum secundū à regio, atq; ita iubet per urbem circumuehi, præcedente præcone & indicante noui magistratus electionem. nomen quoq; nouū indit ei, quod interpretē significat lingua uernacula: et nuptū dat filiam clarissimi apud Aegyptios uiri, qui Solis habebat sacerdotium. id actū est circiter annum eius trigesimū. hi sunt euentus piorū. nam etiamsi proclinantur, tamē non corruunt, sed erecti stant firmiter, ne supplantari queant. Quis enim expectasset intra unam diem ē seruo dominum, ē uincto præstantissimum omnium, ē carcerarij uicario proregem. fieri, & regiam inhabitare pro carcere, extrema ignominia uersa in honorem maximum. facta sunt tamen hæc;

¶

Et fient sepius, quādo deo placuerit: modo subsidat ali-
 quā probitatis scintilla in animo, quam necesse est per
 occasionem excādescere. Quoniam autem propositum
 est post rei narrationem figuram etiam explicare, dice-
 mus et de hac quantum opus est, quamuis fortasse ride-
 bit hoc aliquis temerarius. Ego tamen non dissimulan-
 ter dico, civilem uirum utiq; somniorum esse interpre-
 tem, non quales isti nugatores garruli mercenarij; so-
 phistæ quæstum facientes ex nocturnis somniorum ludi-
 brijs: sed qui magnum illud somnium commune publi-
 cumq; uigilantium non dormientium exacte intelligat,
 id somnium, ne quid mentiar, est uita hominū. nam sicut
 in somniorum uisionibus uidentes non uidemus, audien-
 tes non audimus, gustantes aut tangentes nec gustamus
 nec tangimus, loquentes non loquimur, deambulantes
 non deambulamus, sed cum uideamur uti motibus et ha-
 bitibus nullo prorsus utimur, mēte inaniter sine ullis ue-
 ris obiectis pingente sibi simulacra rerum non existen-
 tium tanquam existentium: eodem modo etiam uigilan-
 tium imaginationes somnijs sunt simillimæ. ueniunt, ab-
 eunt, occurrunt, refugiunt, prius quā comprehendan-
 tur auolant. Disquirat quisq; apud se, et domi testimo-
 nium inueniet ut ipse taceam, præsertim si quis est æta-
 te prouectior. is fuit aliquando infans, mox puer, dein-
 de pubens, dein adolescēs, postē iuuenis, postea uir, po-
 strimo senex, sed non simul omnia. nōne infans pucro
 cedit, puer pubenti, pubens adolescenti, adolescēs iuue-
 ni, iuuenis uiro, uir seni, senectus morti? et fortasse sin-
 gulæ ætates decedēdo præmoriūtur, natura nos paulatim

tim docente non timere mortem extremam omnium, quã
do priores facile tulimus, infantie, pueritie, pubertatis,
adulescentie, iuuetutis, uirilitatis, quæ omnes ætates an
te senectutem euauerunt. Quid aliæ res corporis non
ne somnia sunt? nonne pulchritudo momentanea pene
prius marcescit quàm floreat? sanitas incerta infirmitatibus
obnoxia? robur morbis expugnabile per occasiões plu
rimas? sensuum integritas humoribus uitiosis facile corrū
pitur? Iam quanta sit in rebus externis obscuritas quis
nescit? ingentes opes sæpe una dies abstulit. multi hono
ratissimi antea, uersis rerum uicibus in contemptum uene
runt cum ignominia. imperia regum maxima breui tem
poris momento subuersa sunt. fidem meis uerbis astruit
Dionysius in Corintho, quondam tyrannus Siciliæ, mox
pulsus ex Corinthum profugus, literator factus est tanto
principe. attestatur et Croesus rex Lydiæ, ditissimus re
gum, qui sperans se deleturum Persarum potentiã, non mo
do proprium regnum amisit, sed et ipse uiuus in potesta
te hostium redactus, minimum absuit quin exureretur.
Testantur de huiusmodi somnijs non singuli tantum. sed ci
uitates, gentes, regiones, Græcia, Barbaria, insularum cõ
tinentisq; incolæ, Europa, Asia, oriens, occidens. nihil
enim usquã permanet sui simile. Aegyptus quondam in
multas gentes habuit imperium, nunc ipsa seruit. Macedo
nes aliquãdiu tam potentes fuerunt, ut iura toto orbi red
derent: nunc imperatas à dominis pecunias tributum nomi
ne quotannis quæstoribus numerant. Vbi est illa Ptole
mæorum familia, cuius splendor per singulos successores
ad extremos terræ marisque terminos emicuit? ubi sunt
gentes

gentes ciuitatesq; sui iuris & liberae: rursum ubi subditorum seruitutes? nōne Persæ Parthis imperauerunt? nunc subduntur eis uersa rerum humanarū alea. Quidā fingunt sibi prolixas felicitates, at hæ sunt magnorū malorū iniitia. itaq; dum ad magnorum cōmodorum possessionē properant, graues misérias inueniunt: & diuerso malum expectando, in bona fortuita incurrunt. athletæ robore freti ac bona corporis habitudine, dum certā sibi pollicentur uictoriā, uel exclusi sunt è certamine, uel uicti ab aduersarijs. alij ne secundā quidem palinā sperātes, primam coronam reportauerunt præmium. quidā æstate soluentes tempore opportuniſſimo, fecerunt naufragium. alij hibernis tempestatibus pene obruti, portū attigerūt incolumes. Quidam negociatores certa lucra sibi proponunt, securi de periculis: alij de damno solliciti, magnum fecerunt operæ pretium. tam anceps est fortuna, rebus humanis tanquam in statera pendentibus, et inæquali pondere nunc huc nunc illuc uergentibus: tanta offenduntur caliginē. Proinde tanquā altum dormientes erramus, non ualentes quicquam ratiōcinatione uel penetrare uel certo comprehendere, quando cuncta umbris spectrisq; sunt similia. & sicut cum pompæ traducuntur prima quæq; conspectum prætereunt, itē in torrentibus fallente uisum celeritate undæ præterfluant: sic uitæ negocia currentia præterlabentiaq; uidentur manere, cum ne momentum quidem maneant, nunquam nō subterfluentia. Interea qui uigilant, quantum ad incertam perceptionem attinet, nihil à dormientibus differunt seipſos fallēdo, dum se putant rerum naturas certo per-

perspicere, quamuis interturbantibus scientiam sensibus per spectaculorum, saporum, uaporūq; illecebras, quibus inescatus animus non sinitur recte inoffenseq; per uiam publicam progredi. itaq; confusis celsis cū humilibus, magnis cum paruis, exoritur inæqualitas inducens caliginem atq; uertiginem. Cum igitur tāta perturbatione obscuritateq; uita referta sit, oportet interuenire uirum ciuilem, & tanquam doctum somniorum interpreterem, diurna somnia uisionesq; hominum qui uigilare sibi uidentur, dijudicare coniecturis uerisimilibus, persuasionibus rationi consentaneis persuadentem singula: hoc honestum, illud turpe: hoc bonum, malum illud: hoc iustum, iniustum illud, & cetera similiter: hoc prudenter factum, illud fortiter, hoc pie, hoc sancte, hoc utiliter: & diuerso hoc factum inutiliter, hoc imprudenter, hoc timide, hoc impie, hoc profane, hoc noxie, hoc ambitiose. Item: hoc alienum est, ne concupiscas: hoc tuum, utere non abutere. Affluunt opes: inpartire. nam diuitiarum pulchritudo est non in crumenis, sed in egenorum auxilio. Pauca possides? caue inuideas diuitibus. Pauperem inuidum nemo miserabitur. Honoratus es? caue insolentiam. Humilis conditionis es? noli despondere animum. Succedunt tibi omnia ex sententia? inuentionem time. Offendis sæpius? bene sperato. nam res humane mutantur in contrarium. quandoquidem sol, luna, cælum uniuersum, manifeste aperteq; noscitur, quæ perpetuo manent eadem, ueris definita regulis, ordinatis, aptis, optime congruentibus. At res terrene totæ perturbatæ sunt, incongruæ incompositeq; ut

ut propriè dicere liceat, has mersas profundis tenebris; illas similes lumini fulgētissimo, uel potius lumen ipsum sincerissimum atq; purissimum. Si quis igitur uelit res in trospicere, inueniet cælum esse diem sempiternam umbræ ac noctis expertem, quippe illustratum inextinguibilibus purissimisq; splendoribus. Et quanto apud nos sunt potiores uigilantes dormientibus, tanto in mundi uniuersitate cælestia terrestribus, ut quæ insopita uigilant, propter certas irrequietasq; uires, nunquam frustratas suis effectibus. At terrestria etiamsi paulisper excitentur, rursum degrauata in somnum recidunt, deficiente uisu animæ, ut errare necesse sit atq; offensare. nam his rebus falsæ opiniones caliginem inferunt, ut uitari non possint somnia inania, nec quicquam firmiter prehendere liceat. Figuratum est et quod in secundum à regio currum ascendere dicitur, ob causam hanc. qui rempublicam tractat, secundus à rege habetur, cum nec priuatus sit nec rex, situs in amborum confinio, priuato ciue potior, regia potestate inferior, subiectus tanquam regi populo, cui per omniâ uult gratificari bonâ fide ac sedulo. Fertur autem sublimis ceu sella cūrūli, tum à negocijs, tum à multitudine in altū elatus, præsertim cum prius magnaq; succedunt ex sententia, nemine reslante aut opponente se, sed ut in nauigatione prospera deo gubernante omnia salutariter. Anulus à rege datus insigno est fidei magistratum inter et populum regem intercedentis. Ceterum torques aurea, non ad gloriam solum, sed et a lpeccam pertinere uidetur. quamdiu enim res ciuiles ei bene procedunt, placet sibi honoratus à ciui-

bus

bus. cum autem aduersitas accidit, non uolenti quod da-
minandum esset, sed fortuito, quod meretur ueniam nihi-
lominus iniecta in torquem manu trahitur, tantum non
increpante suo domino: Hanc torquem donaui tibi, or-
namentum in prosperitate, uinculum in aduersitate. Au-
diui tamen & aliam huius loci expositionem figuratam
talem. Regem Aegypti esse nostrum intellectum, princi-
pem regionum corporearum particulariū, qui tanquā
rex potestate utatur in adamato corpore. tribus enim
potissimum occupatur negocijs, circa cibos, potus, cupe-
dias: ideo tres habet procuratores, pistorum, pincerna-
rum, coquorumq; principes: quorum alius cibos, alius
potus, alius condimenta præparat. omnes autem eunu-
chi sunt, quia uoluptatis amator sterilis est rerum ualde
necessariarum, sobrietatis, pudoris, continentie, iusti-
tie, uirtutum omnium. Nullæ enim res adeo pugnant in-
ter se, ut uirtus & uoluptas, propter quam multi negli-
gunt quæ sola curanda erant, dantes se concupiscentijs,
& sequentes quacumq; illæ inuitant. Princeps coquorū
nec in carcerem ducitur, nec mulctatur, quia condimen-
ta non sunt admodum necessaria, nō tam deliciae, quam
uoluptatis irritamenta leuia. Reliqui duo misero uentri
apparatus faciunt, pistorum pincernarumq; præfetu-
ram gerentes, quandoquidē hæc duo maxime cibis po-
tusq; uitam fulciunt: quæ ubicumq; sunt in precio, lau-
dantur eorum procuratores, & si quando cessant in of-
ficio, pœnam indignationemq; incurrunt. Puniuntur au-
tem non eodem modo, quandoquidem etiam in harum
rerum usu est differentia: cibus necessario sumitur; ui-

num minus utile censetur. nam sine mero uiuunt homines contenti fontanis laticibus sitim restringere. Quā obrem princeps pincernarum recipitur in gratiam pristinam, quippe qui peccauit in minoris momenti negotio: coquorum uero princeps nō impetrat ueniam, usq; ad ultimum supplicium procedente ira, haud secus ac in culpa grauissima. nam ciborum defectum mors sequitur. Quapropter qui hac in re peccauit, lege talionis suspensus necatur, & quod alijs intulit, ipse patitur, quippe qui esurientes & ab ipso pendētes diuturna fame cruciauit. De his quoq; haftenus. At regius uicarius assumpta Aegypti procuratione obibat eius regionis praefecturas & oppida, omnibus nouum magistratum officio se ac hilariter excipiētibus, quos tum beneficijs, tum comitate sibi deuinciebat, elucente in ipso uultu hominis eximia quadam gratia. Postquam autem euentu somnijs respondente aduenit illud prius septennium fertilissimū, quintam partem frugum quotannis exigens per subpraefectos & ministros publicos, tantum comportauit manipulorum numerum, quantum nemo antea collectum meminerat. Nec enim iniri potuit eorum numerus, quāuis plurimi occupati essent in eo negotio, quibus mos est curiose dinumerare talia. Elapso autem ubertatis septennio fames incepit, quae usque crescens & procedens non continuit se Aegypti terminis, sed diffusa per omnes deinceps ciuitates regionesq; quā longe lateq; patet orbis habitabilis, peruenit ad extremos orientis occidentisq; populos. fertur nunquam ante sic laboratum malo communi uniuersis gentibus, quale medicorum

rum filij serpiginem nominant: quod omnes partes corporis inuadens ignis more depascitur. quam ob rem quæq; gens per honoratissimos legatos frumentum in Aegyptum petebat. iam enim fama providentiam iuuenis præfecti ubiq; vulgauerat, qui commeatus copiosos seruasset ad futuram penuriam. ille primum aperiri iubet omnia horrea, ut aspectu ipso & spe recrearet animos, prius quàm succurreretur corporis necessitatibus. deinde institutis annonæ curatoribus uendebat frumentum semper in futurum prospiciens, cuius temporis maiorem quàm præsentis rationem habebat. Interea pater etiam illius, deficientibus paulatim rebus ad uictum necessarijs, ignorans felicitatem iuuenis, mittit frumentatum decem filios, retento domi natu minimo, qui proregis uterinus frater erat. Illi in Aegyptum profecti fratrem tanquam alienum adeunt, & maiestate stupefacti adorant prisco more hominem, confirmantes euentu somnia. qui uenditores suos conspiciatus mox omnes agnouit, ipse agnitus à nemine, deo nondum uolente ueritatem aperire ob causas quasdam necessarias, quas tum dissimulari fuit satius: is enim aut uultum eius mutauit in augustiorem speciem magistratu summo dignam, aut mentes obtuentium hebetauit quo minus cernerent. Ille non ut iuuenis ad tantum principatum euectus, & regi longe potentissimo dignitate proximus, elatus ætate ac potestate de uindictæ occasione cogitauit, sed imperauit suis affectibus premens atque reconcilians eos in animo, magno consilio personam insensum assumens, toruo aspectu uocæq; obiurgatoria miseros

territans. Heus uos, inquit, nihil pacatum habetis in animo. aliquis ex regis hostibus exploratores uos submisit, cui sceleratam operā polliciti, putastis uos posse fallere: sed non latent me insidiæ uestræ, quantumuis eas tegere conamini. fratres crimen intentatum à se depulsuri, negant se huic culpæ affines, qui nec ab hostibus ueniunt, nec ipsi affecti sint hostiliter, nec induci queāt ad tale ministerium. esse enim se natura pacis cupidos, & à tenera ætate legibus parere didicisse sub patre uiro sancto religiosoq; qui duodecim genuerit filios: ex quibus unum domi mansisse propter ætatem nondum peregrinationi naturam, decem coram adstare, reliquum sublatum è medio. Hæc de seipso loquentes audiens tanquam de mortuo, quid animi habere potuit? Quamuis enim ne tunc quidem affectum suum protulit, tamen intus uerebatur in pectore. nihilominus pari oris gravitate: Si, inquit, uerum dicitis uos exploratores non esse, ut certior fiam manete hic paulisper, et fratrem minimum uocate per literas. quod si patris necessitas uos manere non sinit, ne grauitè ferat diuturnam uestram absentiam, abite omnes obside hic relicto uno, donec reuertamini cum natu minimo. si secus feceritis, capitale fuerit. Hæc truculente, ut uidebatur, interminatus destitit. illi mœsti damnabant suam in fratrem seuitiam dicentes: Nunc ueterem iniuriam præsentī calamitate luimus, pœnas à nobis exigente iustitia rerum humanarum præside, quæ scelus ad tempus dissimulatum inclementer arguit, ut dignum est. quis enim pœna dignos neget? qui fratris innocentis preces immaniter contempsimus, quæ

mise=

miserari debuissimus, nocturnas uisiones narrantē qua
si familiaribus. at nos efferati & crudelissimi nefarium,
quod negari non potest, scelus perpetravimus: propter
quod & hæc patimur, & tristiora expectamus: qui cū
simus penē omnium hominum nobilissimi paternis, aui
tis, cæterorumq; maiorum uirtutibus, cognationem de
honestauimus admissō probro maximo. Tum grandior
natu, qui iam inde a principio conspirationi sese oppo
suerat: Actorum, inquit, inutilis est pœnitentia. rogabā,
supplicabam, ostendens quā impius esset conatus ue
ster, dehortans ne iræ indulgeretis. cū mihi assentiri de
buissetis, maluistis sequi uestrum insanum consilium. er
go fructum dignum peruicacia tam impia carpinus, &
mercedem accipimus debitam. Inquisitio fit in paratas
insidias inueni, nec homo inquiri, sed deus, aut diuinū
ius aut prouidentia. Hæc submissee colloquentes fratres
audiebat ille uenditus, qui per interpretem cum eis ege
rat: iamq; impar affectui prorumpentibus lacrymis, ne
deprehenderetur auersus est: & postquam de lacryma
uit, dolore paulum leuato, abstergūq; facie reuersus ad
eos iubet uinciri fratrem à grandissimo proximum, idq;
inspectantib. cæteris omnibus, quasi sibi ex aduerso op
positum. nam inter complures secundo penultimus op
ponitur, sicut primus ultimo. Et fortasse maxima pars
culpæ in eo fuerat, quasi autore conspirationis nefariæ,
qui cohortem fratrum animauerit, & ad odium incita
uerit. nam si fratri bene clementerq; consulēti, quo uno
minor, cæteris erat grandior, suū adiunxisset suffragiū,
uix admissum fuisset facinus, præualente per consensum
honore

honore ætatis & ordine, præsertim in tanti momēti ne-
 gocio. nunc maluit à meliore parte ad deteriore[m] defi-
 cere, & in immitem duramq[ue] sententiam discedere, tan-
 ta contentione, ut eius ductu hortatuq[ue] sine mora perpe-
 tratum sit impium facinus. hoc est, cur soli ex omnibus
 iniecta puto uincula. cæteri iam parabāt se ad reditum,
 præregis iussu impletis per frumentarios omnibus sac-
 cis fratrum tanquam hospitum, & reposito precio in
 eorum orificijs, nemine tamen super hac re præmonito.
 insuper auctarij uice additum est quantum redeuntibus
 in itinere posset sufficere, ut quod coemerant deporta-
 rent integrum absq[ue] ullo detrimento & dispendio. In-
 gressi uero iter cum iusto uincti fratris desiderio, nec mi-
 nus de patre solicii, ægre laturo numerosam prolem de-
 crescere singulis profectiōibus, ac ne credituro quidē
 de uinculis, sed prætexi morti hoc commentum suspica-
 turo, ut solent de cætero suspicaces esse qui semel impe-
 gerunt, sub uestperam deponunt iumentorum sarcinas,
 ipsi curas adeo non deponunt ut premantur grauius. sic
 enim usu uenit, ut interquiescente corpore mens impro-
 uisos casus per ocium pensitans angatur magnis mole-
 stijs. tum aperto uno quopiam sacco reperta est in eius
 ore crumena plena pecunijs: quibus numeratis inuen-
 tum est solidū frumenti preciū, duntaxat quantū saccus
 capiebat. qui inuenerat, rem fratrib. indicat, stupens mi-
 raculo. hi nō gratiā, sed insidias rati & animo destitue-
 bātur & consilio: cūq[ue] uellent oēs saccos excutere, metu
 persecutiōis inde profecti, penē cōtinuato cursu aliquot
 dierū iter absoluerūt magno cōpendio. Tum uero alius
 post

post alium ruentes in patris complexus, deosculabatur senem præbentem se, quamuis iam præsagientem inexpectatum nescio quid. sensit enim deesse unum salutatorem, cuius mox tarditatem accusauit, subinde prospiciens in uiam, & requirens integrum filiorum numerum. sed cum nemo superueniret amplius, uidentes eum metu sollicitum sic alloquuntur: In casibus inopinatis, mi pater leuior est cognitio quam dubitatio. nam re cognita potest inueniri ad salutem aditus, hæsitatio nihil expedit. audi nunc ualde molestum nuncium, sed auditu necessarium. Frater quem nobiscum misisti ad frumentum emendum, non reuersus uiuit tamen. bene habet quod salus eius in tuto est, detinetur autem in Aegypto uiuens apud præsidem: qui siue aliorum calumnijs, siue suspicioni sue credulus, pro exploratoribus nos habuit. cumque in defensionem nostram afferremus quod in mentem ueniebat ex tempore, narrantes de te reliquisque fratribus, uno defuncto, altero apud te manente, quem dicebamus propter ætatem teneriorem domi substituisse: atque ita omnia de tota cognatione nostra proderemus nil dissimulando quo magis suspicio eximeretur homini, nihil proficimus, illo negante se crediturum nobis, nisi uiso fratre nostro natu minimo. eam ob causam secundo genitus retentus est pro obside, dimittendus quam primum alter exhibitus fuerit. id imperatum fuit longe molestissimum. sed durior etiam est necessitas præsentis temporis, cui parere oportet propter uictualia, quæ nunc fame pressis sola Aegyptus suppeditat. Tū senex gemitum ducens ex imo pectore, Quem ergo primum, inquit, deplorabo? penultimumne;

non extremum sed primum in calamitatum ordine? an secundogenitum, qui miseria primo proximus nō prius mortem sensit quā uincula? an natu minimum, cui abominanda profectio suscipienda est, si modo proficiscetur, fratrum infortunio factus nihilo cautior. interim ipse membratim pereō, nam parentum partes sunt liberi. modo numerosa feliceq; prole stipatus ad orbitatem recido. tum maximus natu, En tibi pro uno filio duos obsides, quos solos genui: in hos ut libet seuito, ni fratrem meæ fidei committendum incolumem restituo, cuius in Aegyptum profectio duo maxima nobis afferret commoda. unum quod credetur nec hostes nec exploratores nos esse: alterum quod recipiemus fratrem è uinculis. Mœstus pater hærebat, è duobus eadem matre genitis orbatu altero, de alterius profectioe sollicitus, metuens ne impar anxietati ante reditum eius moreretur, memor præteritorum casuum. tum adhibitus est qui inter fratres excellebat animo, autoritate, facundia, quartus ætatis ordine. is communem sententiam parenti aperuit. ea fuit. quādo quidem deficiebant necessaria, absumptis quæ priore frumentatione parauerant, unā omnes proficisci, non sine fratre natu minimo. nam præfectus regionis diserte interdixerat eis reditu, ni eum adducerent. id uir sapiens reputās, tolerabilius esse unius incertum periculum quā certam tot fratrum perniciem, quæ propter domum fame pressam uitari non poterat, respondit: Cedendum est necessitati ut uideo. Fortasse natura uiam nunit ad melius aliquid, quod nondum præuidere mēte sumus idonei. Ute, & minimū quoq; quando
ita

ita uidetur assumite. Verum aliter eūdum est quā ante. tunc pecunia tantum opus erat ignotis ad emendum frumentum euntibus, & nullam passis iniuriam. nūc adiungenda sunt munera tribus de causis. ad parandam præfecti annonæ gratiam, cui uos innotuisse dicitis: ad fratrem citius redimendum è uinculis: ad tollendā quantum fieri potest explorationis suspicionem. proinde ex omnibus quæ nostra regio fert ceu primitias fert homini, & duplex premium, annumerato quod retulistis proximè. fortassis enim per alicuius ignorantiam id accidit. ego faustis precationibus abeuntes prosequar commendans salutem uestram seruatori deo, ut & apud illius regionis indigenas hospitibus conciliet gratiam, & uos restituat incolumes in patriā, unā cum fideicōmisso quod parenti debetis, tum alterum priorem: relictum in uinculis, tum hūncce quem nunc abducitis adolescētulum per ætatem imperitum rerum omnium. Ita cuncti contenderunt in Aegyptum. Post aliquot dies præfectus regionis cum reuersos uidisset gauisus est supra modum: moxq; iubet dispensatorem suum parare opiparum epulum, et uiros ad salis mensæq; communionem adducere. Introducti adhuc causæ ignari timebant, suspicando furti calumniam ob non redditum frumētī premium, quod in saccis inuenerant, & apud dispensatorem excusabant factum quod nemo accusabat, ut conscientiæ satisfaceret, simulq; proferebant pecuniam parati reddere: ille comiter hortabatur, essent bono animo. si quid inuenissent deo propitio, id eis fraudi non fore. neminem eis inuide re dona dei. nam hunc impleuisse in saccos pecuniā,

providentem non solum fami, sed & inopiæ. Sic consola-
 ti prompterunt allata munera, quæ mox domino su-
 peruenienti obtulerunt. percontanti deinde, satim saluæ,
 & an pater supersit, respondent de se nihil, sed patrem
 uiuere ualereq; cui bene precatus, & mactum dei fauo-
 re pronuncians, circumspexit requirens fratrem uteri-
 num: quo uiso iam non ualens affectum reprimere, prius
 quam eum proderet auersus, secessit quasi ad aliud nego-
 cium (nondum enim erat aperienda ueritas) & in quo-
 dam angulo effudit se in lacrymas. tum ablutus, & dolo-
 rem rationi subiiciens, ad hospites epulo excipiendos re-
 uertitur, reddito quem retinuerat obside. adfuerunt &
 alij cõuiuæ, optimates Aegyptiorum. Tractatio fuit iux-
 ta morem cuiusq; patriæ, quod durum uideretur disce-
 dere à consuetis moribus, præsertim in cõuiuium, ubi ma-
 ximè hilaritati prospicitur. Iussi deinde sedere iuxta æta-
 tis ordinem (nondum enim discumbendi mos receptus
 erat) mirabantur quòd Aegyptij non aliter quàm He-
 bræi rationem ætatis haberent in honorandis homini-
 bus, sic cogitantes: fortasse hic magistratus pro sua pru-
 dentia non solum serijs & magnis rebus ad pacis belliq;
 recta munia spectantibus induxit decorum ordinem, ue-
 rum etiam honestatem in istis leuiorib. & penè ludicris,
 quam Aegyptij hactenus rudiores nesciuerant. nam in
 cõuiuium semota grauitate leticia queritur. Interim cibi
 non ualde lauti apponuntur, quod conuiuatori non libe-
 ret uti delicijs in publica penuria: & hoc ipsum homi-
 nes prudentes in laudem uertebant, uitari luxum intem-
 pestuum & inuidiosum: probantes consilium memoris
 quid

quid uel præsentē læticiam, uel publicum statum deceat;
& utriq; se accommodantis tempori. atq; ita opportu-
nus & minimè inuidiosus apparatus fuit. quod deerat
supplebatur hospitali comitate, propinationibus, faustis
ominationibus, ad hilaritatem hortationibus, & id ge-
nus iucundis alloquijs, quæ ingenuis ac liberaliter edu-
catis gratiora sunt quàm cibi potúsue lauticiæ, non ma-
gnificiendæ nisi apud istos epulones luxus ostentatores.
Postera die sub lucem accitum dispensatorē domesticum
iubet saccos quotquot allati fuerant frumento replere,
ac rursum in cuiusq; ore precium cum crumena reponere:
in minimi autem saccum indere argenteum poculum
omnium pulcherrimū, ex quo ipse solebat bibere. Hæc
iussa ille diligenter exsecutus est, semotis omnibus arbi-
tris & testibus. Discedūt hospites ignari doli, atq; etiam
læti insperatis successibus. expectauerant enim subitu-
ros se interceptæ furto pecuniæ calumniā, recepturos
fratrem obsidem, fortasse ne minimum quidem fratrum,
ui detentum ab eo qui tam accuratè illum adduci ius-
serat. at illis omnia supra uotum euenerant, non so-
lum nullam passis calumniā, uerum etiam ad salcem
mensamq; , quo præcipuum habetur pignus amicitiae,
adhibitis: receptus est & frater illæsus, idq; absq; ullo
deprecatore: alter natu minimus reducebatur ad paren-
tem incolumis: suspicionem explorationis euaserant, re-
uertebantur onusti cōmeatibus, bonam spem & in futu-
rum conceperant, etiamsi sæpius reditura esset penuria,
pollicentes sibi securum iter, non trepidum ut ante, sed
lætum, ut ad familiarē & hospitē regionis eius summum
magistra=

magistratum. Sic affectis & sic cogitantibus repentinus inexpectatusq; pauor ingruit. Missus dispensator cum cohorte domestica, ut maneant manu significat, ipse cursum accelerat. mox anhelus: Cōfirmastis, inquit, & priora crimina, pro gratia referēdo bene meritis iniuriam, reuersi ad pristina maleficia. recepto per furtum frumētī precio maius addidistis facinus, impunitate augente, ut sit, malitiam. poculum herile pulcherrimum precio= sissimumq;, ex quo uobis præbuit, surripuistis homines grati pacatiq;, qui ne nomen quidem nostis explorato= rum, qui duplicatum attulistis frumenti precium, nimirum ut tali esca obiecta ex insidijs, maiorem prædam auferretis sed non semper felix est malitia, interdum cum maxime se celat, deprehēditur. Ad hæc cum illi præstūpore ne mutirent quidem, repente oppressi dolore metuq; duobus malis grauissimis, hærebant uerba in faucibus, ut solent inopinati casus uocem adimere. Tandem ne uiderentur silentio fateri conscientiam, Quomodo, inquit, causam dicemus, aut apud quem? nam tu contra nos exististi & iudex & accusator, qui etiam ab alijs accusatis nobis patrocinari debueras, quales sinus expertus. Certè pecuniam prius in saccis inuentam, nemine arguente ut redderemus retulimus. num sic mutati sumus, ut hospiti per furtum damnum daremus pro gratia? nec factum est hoc, & absit ut unquam ulli nostrum in mentem ueniat. Quod si apud aliquem è fratribus poculum deprehensum fuerit, is luat capite. si uerè admissum est facinus, ipsi capitale iudicamus ob causam non simplicem. primum, quia concupiscere aliena est ini=

quisi=

quissimum. tum quia nefarium ducimus uelle nocere bea-
 ne meritis. tertio, quia genus deductum ab illustribus
maioribus ignominiosis factis dehonestare probrum
est turpissimum. quibus criminibus si quis nostrum est
 obnoxius, pereat dignus non uno supplicio. & cum
 dicto iumenta sarcinis exonerant, ultro ad scrutandum
 inuitando. Dispensator non ignarus latere id in sacco
 natu minimi, quò ipse clam abdiderat, tamen arte rem te-
 gebat, initium à maximo natu faciens, & inquisitionem
 secundum ætates persequens, nemine tergiuersante, sin-
 gulis iuuantibus, donec uentum est ad minimum, apud
 quem repertum est quod querebatur, magno fratrum
 gemitu: qui scissis uestibus præmaturo luctu complora-
 bant fratrem uiuentem etiam tunc, nec minus suam ui-
 cem & parētis miseri, præsagiorum eius memores, pro-
 pter quæ fratrem cunctanter & inuitus commiserat iti-
 neri comitem. mœsti deinde turbatiq; retro in urbem re-
 deunt eo casu attoniti, nō tam fratris cupiditatem suspe-
 ctam habentes, quàm externas insidias. Tum ad regio-
 nis præfectum adducti, uerè fraternam pietatem profe-
 runt. accidentes enim uniuerſi ad illius genua, quasi om-
 nes furti cōuicti, miserabile dictu, difflebant lacrymis,
 supplicabant, seipſos offerebant, pollicentes seruitutem
 uoluntariam, illum herum appellando, se externa man-
 cipia, emptæ precio, à nullis abstinendo seruilibus nomi-
 nibus. qui magis etiam eos tentando, seuerè admodum
 respondit: Absit ut ob unius culpam in tam multos se-
 uiam, aut durius aliquid statuam. Quid opus est pœnas
 ab insontib. exigere? qui solus peccauit, solus puniatur.

Audiō

Audio iam ante à uobis prædamnatum quicumq; deprehensus fuerit. ego tamē æquitatis respectu mitigabo poenam remisso supplicio in seruitutem eum uindicās. Hac comminatione percussis cæteris, & exanimatis calumnia, quartus ætatis ordine, uir audax, & saluo pudore scædus liberè: Precor, inquit, here, ne iræ indulgeas, nèue fretus potestate regie proxima, contra inauditos insensosq; feras sententiā. Cum primum huc uenimus, percontanti tibi de patre fratreq;, respondimus patrem consenuisse non tam ætate grauatum quàm multis infortunijs, quibus more athletarum exercitatum, uitā exegisse in perpetuis miserijs atq; laboribus. fratrem adhuc puerum, patri ualde carum esse, ut prolem serotinam, & è duobus eadem matre prognatis supersitē. cum domi relictum solum, maiorem eius germanum uiolenta morte sublatum. cumq; iussisses eum huc adduci, malum minatus ni faceremus, ac ne reditum quidem ad te permittēs, mœsti discessimus: & reuersi domum rem totā patri narrauimus. Ille diu reluctatus, quòd uehementer puero metueret, tandem cogente penuria nobis redire ad frumentationem sine minimo fratre propter tuas minas non audentibus, agrè persuasus hunc unā misit, ualde incusans quòd indicassemus nos habere fratrem alium, & sortem suam miserans quòd disiungeretur à puero charissimo. est enim pro ætate imperitus rerum omnium, non externarum tantum, sed & domesticarum patriarumq;. ad sic affectum parentem quomodo reuertemur? hoc non reducto quibus eum intuebimur oculis? misera morte morietur, uel hoc solo audito quòd puer nō reuertitur. nos

homi

homicidæ patricidæq; audiemus ab inimicis infortunio nostro insultantibus. maxima criminis eius pars in me recidet. multa enim patri sum pollicitus ut pateretur ambire puerum, ultro pignus offerēdo, quod suo iure quandoq; libuerit posset à me repetere. quod nī tu propius fias, reddere qui potero? Miserere senis obsecro, reputans quā impotenter hanc calamitatem laturus sit, non recepto quem nobis inconsultē commisit filio. tu tamen pro iniuria quam uideris accepisse, pœnas sumito. en me uicarium. ex hac die seruorū tuorū numero ascribito. libēter censebor inter tuos nouitios, modo puerum digneris dimittere. id non tam puero dabitur, si condonabitur, quā senī absenti, subleuando tot anxietatibus, atq; adeo ipsi parenti omnium. ad tuam enim dextram ceu ad aram, utinā non frustra, confugimus. Miserere senis per totam ætatem exerciti honestis laboribus: qui totius Syriæ ciuitates in uenerationem sui conuertit, quamuis alio ritu uiuens & alijs legibus, longē diuersis ab indigenarum moribus. Sed uicit uitæ honestas, & perpetuus dictorum factorumq; consensus, ut etiam à suis institutis alienos ad beneuolētiā flexerit. ei sic gratificaberis, ut nihil possit contingere gratius. quid enim potest esse gratius, quā deploratum recipere? Verum hæc omnia tentamenta erāt, quemadmodum & priora, regionis præfecto explorāte horum erga fratrem suum uterinū beneuolentiā. Verebatur enim ne quod odium inter eos intercederet nouercale, ut solet in familijs prognatis è matribus diuersis, honore inter se paribus. idēo tanquā exploratores incusabat, sciscitādo quo nati essēt
genere

genere, ut per eam occasionem de germano cognosce-
 ret, num superesset, an perisset insidijs. Nec dimisit nisi
 obside retento, donec adduceretur quem desiderabat ma-
 xime, ut liberaretur à molesta solitudine. quo in con-
 spectum adducto, nonnihil cura leuatus, omnes ad ho-
 spitalem mensam adhibuit, germanum honorans potio-
 ribus partibus, interim obseruans uultus singulorum,
 ex his iudicaturus numqua subesset inuidia. cumq; ui-
 disse omnes gaudere & fauere honori pueri, non con-
 tentus duobus argumentis fraternæ erga illum beneuo-
 lentia, tertium experimentum commentus est, intenta-
 to furti crimine. nam inde certissime conijcere poterat
 de cuiusq; animo erga fratrem petitum calumnia. atq;
 ita certo persuasus maternam familiam non impugnari
 seditione domestica, probabiliter de suo casu ratiocina-
 tus est, id accidisse non tam fratrum perfidia, quam pro-
 uidentia dei prospicientis in futurum, & in imminētia non
 minus cernentis quam præsentia. tum ad reconciliatio-
 nem uersus ac fœdera, succumbens charitati domesticæ,
 ne fratribus propter ueterem iniuriam obueneret ali-
 quod dedecus, noluit agnitioni primæ interesse quen-
 quam Aegyptium: sed semoto uniuerso famulatio, repen-
 te profusis tanquam è fonte lacrymis, dextra ut propius
 accederent innuit, ne uel fortuito uerba eius exaudire
 posset quisquam alius: tum sic eos allocutus est: Rem lon-
 go tempore tectam & obliuioni mandatam ut putatis,
 nunc reuelaturus, solus solos appello. Fratrem quem in
 Aegyptum uendidistis, me ipsum præsentem nunc cerni-
 tis. Ego sum. Hac insperata uoce percussis perterritisq;

&

Et tāquam prae graui onere uultus ad terram demittentibus, ac sine uoce stupentibus: Nolite tristari, inquit, obliuionem omnium in me patratorum polliceor. nullo uobis deprecatore opus est. mea sponte in gratiam uos recipio, duabus de causis, propter pietatem erga patrē cui plurimum debeo, et propter innatam humanitatē, quae omnes praeserim sanguine coniunctos complector. caeterum hunc casum nō uobis imputo sed deo, qui me suorum beneficiorum difficillimis temporibus humano generi exhibendorum ministrum executoremq; esse uoluit: id uerum esse his quae uidetis credite. Totius Aegypti procuratio mihi cōmissa est: rex honorem mihi habet eximium, et ut parentem ueneratur quamuis aetate senior. color obseruorq; nō tantum ab indigenis, uerum etiam à plurimis gētibus uel prouincialibus uel liberis. nam omnes opus habēt meo subsidio propter inopiam. argentum aurumq;, et quod his maius est, commeatus apud me solum reponūtur, distribuēdi in singulos quantum cuiq; ad necessarium usum satis est, ut nec ad delicias supersit quicquā, nec desit ad satietatem. Quod non iactanter dico, sed ut intelligatis neminem mortalem potuisse seruo tantam conferre felicitatem, et quidem destruso in carcerem. nam et uinctus fui quondam passus calumniam. Deus extremam calamitatem miseriamq; in summam felicitatem uertit, qui solus est omnipotens. id cum mihi sit persuasissimum, non est cur timeatis, deponite omnem sollicitudinem, letitiā recipite. nunc properandum est uobis ad patrem, ut à uobis potius quam à fama accipiat letum de me inuento nūcium: solet enim

Philo. co, i.

et

illa

illa præcurrere. Tum fratres certatim collaudabant hominem, alio aliam uirtutem de prædicante, clementiam; charitatem, prudentiam, pietatem: uerò omnes uno ore laudabant, felicem euentum ad deum autorem referentis, & pristinos casus ferentis æquo animo: nec minus mirabantur insignem eius modestiam ac patientiam, qui neq; seruiens malè locutus est de fratrib. ut perfidis uenditoribus, neq; in carcerem trusus præ dolore ullum secretum effutijt, neq; tam longo tempore inter uinctos degens, ut miseri solent, suum detexit infortunium, tanquam ignarus omnium suorum casuum: ac ne tum quidem cum uel eunuchis uel regi interpretaretur somnia; occasionem arripiens suam ingenuitatem aperuit, imò nec cum uicariam regis potestatem accepit Aegypto uenerse præfectus, ut saltem obscuritatis opinionem aboleret docens se natum honesto genere, non uernam, sed insidijs quorum minimè oportuit deuolutum in graues erunas ac miseras. ad has laudes accedebat etiam æquitatis eius mentio, dexteritatisq; in obeundis munijs publicis. conferentes enim eum cum uulgata magistratuum aliorum tam arrogantia quàm imperitia, mirabantur ostentationis pomparumq; contemptum in uiro tam egregio: & quòd alienus ab omni maleficio tragico; quamuis potuerit mox in prima profectione agnitos opprimere, aut certè fame pereuntibus frumentum non præbere, adeò poenam ab eis abstinuit, ut tanquam bene meritis daret munera, reddito precio. In tātum enim perfidia patratumq; scelus latuit, ut optimates Aegypti præfecto gratularentur fratrum præsentiam, quasi iur-

primum

primum uenissent. quibus hospitaliter exceptis, rem indicarunt suo regi properè, ita ut omnia plena essent gratulationibus & leticia publica, non aliter quàm si felici prouentu frugum fames mutata esset in abundantiam. Rex cognito patrem eius adhuc esse supersitem, & numerosam familiam, hortatus est ut uniuersi conuigarent, uberrimam Aegypti partem eis se donaturum pollicitus. moxq; multa carpenta & plaustra cum iumentis ad subuectionem donat fratribus, & honestum famulitium, ut patrem securè deducerent. illi uerò ad eum reuersi, & narrantes incredibilem insperatamq; felicitatem, non ualde senem mouebant, non quòd dubitaret de fide testium, sed propter rei magnitudinem assensum suspendebat. tandem conspecto apparatu copioso, non discrepante ab his quæ nunciabantur, confirmatus laudabat deum, qui suppleuisset quod in familia desideratum fuerat. sed hoc gaudium metu sollicitabatur, ne desererentur mores patrij. norat enim iuuentutis lubricum, & apud exteros peccandi licentiam, præsertim Aegyptijs circa uerum deum cæcutientibus, & cæcas creaturas consecrantibus atq; colentibus. sciebat etiam honores diuitiasq; insidiari parum cautis mentibus, ideò metuebatur filio, quòd solus semotus à paterna familia uidebatur egere castigatore, qui ad uirtutem reuocans non sineret eum corrumpi tot prosperitatibus. Hæc cogitantem uidens qui solus inuisibilem animam introspicit, miseratus dormienti in somnis apparuit. Ne dubites, inquit, in Aegyptum proficisci. ipse itineris dux ero, secuta tutaq; facturus omnia. restituiam tibi & desideratissimum

tissimum filium, qui iam aliquot annis deploratus pro mortuo, non solum uiuit, sed & maximæ regioni præfatus est. sic senex bona spe plenus, mane letus se dedit in uiam. Hoc audito filius (nam speculatores nunciosq; in itinere disposuerat) propinquantibus circa regni fines occurrit obuiam. cumq; conuenissent circa Heroopolim ut uocant, effuderunt se in complexus mutuos, ubertim uestes rigando lacrymis, atq; ita hærentes aliquantisper explebant diutinum desiderium, & tandem unâ contenderunt ad regiam. Ibi rex conspiciatus uenerandam senis faciem, non ut præfati, sed ut suum patrem excepit honorifice: dein post solennia humanitatis officia, donauit ei agrum ubertatis præcipuæ: & quia huius filios audierat esse pecuarios, facultatesq; illorum constare pecoribus, commisit eorum curæ proprios greges ouium caprarumq; cum armentis regijs. Iuuenis autem tanta fide usus est in administrandis negocijs publicis, ut cum ratio temporum plurimas occasiones ei præbisset ad congerendam pecuniam, potuissetq; facile ditissimus sui seculi euadere, adulterinis diuitijs ueras prætulerit. & cæcis perspicaces, totum argentum aurumq; è frumenti precio collectum referens in thesauros regios, ne drachma quidem subtracta, contentus donis quibus rex eum remunrabatur. nec aliter quàm Aegypti cæterasq; regni eius provincias, externas quoq; gentes fame pressas hic uir nunquā satis laudatus curauit, paterna providentia distribuens alimenta, futuris etiā necessitatibus prospiciens, non solū presentibus. nam incunte anno egestatis septimo, accitis agricolis (iam enim ubertatis spes affulgebat


gebat) dedit hordeum & triticum ad sementem, diligenter cauens ne quis hæc in alium usum uerteret, appositis custodijs ex optimatibus, qui sationem obseruarent. Post aliquot autem annos à finita fame defuncto patre, fratres nōdum à suspicione in totum liberi, ueriti ne ille ulcisceretur iniuriam ueterem, denuo cum uxoribus ac liberis supplices petierunt ueniam. Qui lacrymans respondit: iam tempus ipsum hanc sollicitudinem exemisse uobis debuerat, nisi molesta esset conscientia. Obitus cōmunis patris renouat uobis metum ueterem, quasi ad tēpus data uenia, nequid ille contristaretur. Verū ego non mutor tempore, nec unquam uiolabo pacem semel reditam fratribus. non distuli uindictam in tempus opportunius, sed condonaui pœnam in solidum, partim in honorem patris, ne quid mentiar, partim propter fratrum necessitudinem. quamuis etiamsi patris solius respectus apud me ualuisset in hoc humanitatis officio, par est ut etiam illo defuncto ualeat. nam mea sententia nemo bonus moritur, sed uiuet in sempiternum expers senij, propter immortalem naturam animæ solute corporis necessitatibus. Cur autem geniti patris tantum meminitis? habemus alium ingentum, immortalem, æternū, inspectorem auditoremq; omnium etiam quæ fiunt per silentium, introspectientem intimos secessus animi: cum ego testem inuoco meæ conscientie, quod bona fide uobiscum in gratiam rediui. nam ego (absit dicto inuidia) dei sum, qui in uestrum bonum uertit mala consilia. Deponite metum, posthac meliore conditione apud me futuri quàm ante parentis obitum. ita confirmatis fratribus,

bus, facta cōuenientia dictis addidit, nihil omittēs quod
 pertineret ad eorum commoda. Insequutis autem feli-
 cioribus temporibus, & regione restituta in abundan-
 tiam pristinam cum magna incolarum lætitia, honora-
 batur ab omnibus, gratiam referentibus pro acceptis be-
 neficijs in difficultate superiorum temporū. fama quoq;
 apud exteras ciuitates celebrabat hominis uirtutes in-
 clytas. Vixit annos decem supra centum in senectute de-
 functus prospera, formosus admodum & prudens faci-
 dusq; testatur de eius corporis pulchritudine amor qui
 mulierem adegit ad insaniam: de prudentia uero æqua-
 nimitas perpetua in tantis circa fortunam eius mutatio-
 nibus, illo casus omnes bene uertente, & coaptāte que
 uix coaptari posse uidebantur. quantum autem ratione
 orationeq; polleret declarauit & somniorum interpre-
 tatio, & in fortuna uaria semper sui similis constansq;
 facundia, ad persuadendum efficacissima, ut omnes uo-
 lentes libentesq; non coacti iussa facerent. Ex hac ætate
 decem & septem annos usq; ad exitum adolescentiæ ui-
 xit in paternis ædibus: tredecim sequentibus improui-
 sos casus pertulit, insidijs petitus, uenditus, seruiens, ca-
 lumnias ferens & uincula. reliquos octuaginta exegit
 in principatu summaq; prosperitate, famis uber-

tatisq; præses, & gubernator optimus,
 egregioq; potestate utri-

TOMI PRIMI PHILONIS

ludæorum, &c.





Dos tomos pta. ca. 60. p. 5

